SEXTI AURELII VICTORIS

HISTORIA ROMANA.

VOL. II.

SEXTI AURELII VICTORIS

HISTORIA ROMANA

EX EDITIONE TH. CHR. HARLESII

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1829.

NOTÆ VARIORUM

IN

SEXTUM AURELIUM VICTOREM.

EX EDITIONE ARNTZENII,

AMSTEL. ET TRAJ. BAT. 1733. 4to.

NOTÆ VARIORUM

IN

SEXTUM AURELIUM VICTOREM.

ORIGO GENTIS ROMANÆ.

PRÆF. Non dubito fore plerosque, qui hæc Aurelii Victoris esse negabunt, ejus qui concise Viros Illustres, copiosius vero atque elegantius Augustos pertractavit. Stylus enim, non malus auctorum index, repugnare videtur. Quoniam tamen in vet. cod. Msc. eidem tribuuntur, quod Aurelii nomen et ἐπιγραφὴ, quod in Prolegomenis posui, libelli titulum præcederet, eademque manu scripta omnia essent, et ante historiam Augustam, 'Secunda pars Aurelii Victoris,' fidem meam liberare volui, et integrum, ut reperi, Victorem repræsentare. Illud forte movebit, quod initio T. Livium vocet recentiorem: et 'memoriæ nostræ proclamans historia,' inquit extremo. Atqui Constantii et Juliani æqualis Victor, qui aliquot seculis a Livio absunt. Dein, quem 'Victorem Afrum' nominet, quæro an seipsum, more Græcorum? ut Herodotus initio historiæ. Sed de his docti judicabunt. Cujus cujus tamen fragmentum, visum est non indignum quod in manus hominum veniret, propter et veterum qui interciderunt auctorum reliquias hic inspersas, et Annalium Pontificum fragmenta; quæ omnia temporis injuria deperdita quotidianis pæne conviciis efflagitant homines eruditi: tum quia Virgilio illustrando erit: quare cum illo et Dionysii Halicarnassei et Livii lib. I. diligens lector componet. Nihilo certe meliora sunt, quæ falso Messallæ Corvini nomine circumferuntur de progenie Octaviani Augusti; et Donati titulo, vita Virgilii, Terentii, et de Comœdia Rhapsodiæ. *Schott.* Quæcumque ad hujus auctoris potissimam emendationem illustrationemque faciunt, petenda omnino ab amicissimo nostro A. Schotto: adeo enim uberrimis notis Victorem egregie adornavit, ut nihil mihi fere reliquerit, nisi ut industriæ ipsius faveam atque applaudam: tanto quidem magis, quod bina modo haberem ad manum hujus scriptoris exemplaria, eaque notæ non nimium electæ; certe scripturæ recentis: quæque solummodo continerent Viros Illustres, non etiam Cæsares, aut istud de Origine Urbis. *Grut.*

Antiate] P. Valerium forte intelligit; quem, nescio quamobrem, *Antiam* non *Antiatem* cognominari voluit. Meminit illius C. Plinius in præfatione Nat. Hist. (tametsi Turneb. aliud subjiciat) Livius, ceteri.

Nam de patria Verrii Flacci, Antiasne fuerit, mihi N. L. *Schott.*

Verrio Flacco, Antiate] Sic recte hæc distinguit doctissima fœmina, Sylburgii et Schotti secuta sententiam, cum separat duos, quos pro uno male acceperunt editores. Atque ita melius editum apud Plinium in Catal. lib. XXXIII. 'L. Pisone, Antiate, Verrio.' lib. XXXIV. et alibi. Erit hic Q. Valerius Antias, cujus mentionem etiam facit Gellius Noct. Att. I. 7. et III. 6. et alii, de quibus conferendus Vossius in Hist. Lat. *Arntz.*

Marco Varrone] Sic vetus liber, sed ego *Licinio Macro* legendum putabam. *Schott.*

Neotericorum] Ascon. Pedian. ad Cic. Divin. in Verr. p. 22. 'Hoc quidem leviter a Cicerone dictum et neoterice putant.' In seq. nota quid de Asconio cogitet, qui post Aurelium Victorem fuisset, nescio, cum ille ætate longe præcesserit. *Arntz.*

CAP. I. § 1 *Arma Jovis*] Virgilii locus exstat Æn. VIII. vs. 319. *Sylburg.*

§ 2 *Consilio*] Pro 'judicio;' quomodo hanc vocem hic esse exponendam monuit Barthius Adv. XIII. 16. et XXI. 2. cui adde Scalig. ad Manil. lib. IV. vs. 889. *Arntz.*

Cœlo et terra editos] Qui illustre aliquod beneficium primo mortalium generi præstitissent, ut Cererem, repertis et frugibus et agricultura, ἀποθεώσει quadam homines illi consecrarunt, cœloque donarunt: quod inde originem traxisse, et tanquam numina cœlo delapsa mortalium bono, stulte crederent, eorumque parentes ignorarent; aut ex inopinato ipsi apparuissent. Tertull. Apologetico. Sed ne aliorum scrinia compilare videar, lege Erasmum Chiliasten et Cæl. Rhodig. XX. 28. Illud addam ex eodem Tertulliani libro: 'Saturnum,' inquit, 'quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus' (sic enim leg. alii docuerunt, non *Theodorus*) 'aut Thallus: neque Cassius Severus, aut Corn. Nepos, neque ullus commentator hujusmodi antiquitatum, aliud quam hominem promulgarunt.' Quod Minutius Felix in Octavio exscripsit, et Lactantius Divin. Institut. I. 13. ut in Fragmentis Corn. Nepotis diximus. *Schott.* De Cœlo et Terra genitis notavit idem Schottus scitu non indigna: propterea vero talibus Cœlum patrem tribuit antiqua superstitio, quia cœleste illis, non terrestre nec crassum ingenium, ut ceteris hominibus, inesse vidit. *Sylburg.*

§ 4 *Trojæ qui primus*] 'Primum' vero pro principe dici non admodum tritum esse censet Barth. Adv. XXXIII. 21. et XXXIX. 10. Virgil. tamen ita passim. Vide ad eum Serv. Æn. I. vs. 24. et II. vs. 636. Bronkh. ad Prop. Eleg. I. 7. 3. Ovid. Her. IV. 117. 'Prima securigeras inter virtute puellas Te peperit:' adde ib. vs. 39. et XVI. 257. Terent. Eun. I. 2. 10. et Stat. Theb. IV. 810. *Arntz.*

Athamanta] Et hic et apud Virg. legendum *Acamas* non *Athamas* recte vidit Heinsius ad Sabin. Ep. II. 23. Fuit ille Demophoontis frater, quocum ad bellum Trojanum fuit profectus, quare hos duos jungit Dict. Cret. de Bell. Troj. I. 14. 'Postremo omnium Demophoon atque Acamas fuere.' Adde Muncker. ad Hygin. Fab. CVIII. Quare hanc vocem Pierii auctoritate suffultus merito in Virgilii contextum admisit Maasvicius, id quod hoc loco imitari maluimus. *Arntzenius.*

Ad perfectum] Vide Not. Delph. Quæ ita sentit ex conjectura Schotti margini apposita, sed *ad perfectum præcipuus* recte exponi potest, pro 'omnino præcipuus,' qui sine dubio, illis temporibus, reliquis omnibus palmam præriperet. Sic August. de Civ. Dei XI. 28. 'Iste deficiat, quo male vivimus, donec ad perfectum

sanetur:' nec multum abit Livius XXIII. 2. 'Improbus homo, sed non ad extremum perditus;' id est, qui nondum ad summum inprobitatis et scelerum gradum ascenderat. Ceterum de Machaone, et quid in arte medendi valuerit, confer Celsum init. Præf. lib. 1. *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Xipheo*] Quidam codd. *Xutho:* et mox, *copulatam.* Creusæ Etechtheidis ab Apolline vitiatæ, meminit etiam Pausanias in Atticis, 26. 37. meminit item Xuthi ab Erechtheo ad filiæ connubium asciti, in Achaicis, 205. 28. Sed hujus historiæ non meminit: non multum absimilis historia narratur ab eodem in Arcadicis 239. 17. de Auge Alei filia ab Hercule compressa. *Sylburg.* Si libri ulli sunt in quibus restat *Xutho,* utique sequendi. Fabula autem isthæc non tam enucleatur ex Pausaniæ Atticis atque Achaicis, quam ex Euripidis Ione; quæ necessario consulenda. *Grut.*

CAP. III. § 1 *Saturniam*] Minus tamen accurate *arcem* a nostro vocari, cum reliqui *urbem* dicant, putat Rycquius de Capit. cap. II. p. 15. Minuc. Fel. Octav. cap. 22. 'Urbem Saturniam dedit' (an *condidit*) 'de suo nomine.' Sed eo respectu arx dici potest, quod posita fuit in et ad montem illum, in quo postea stetit Capitolium, ut magis arcis quam urbis speciem præberet: et imitatur Virgilium suum Æn. VIII. 358. 'Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit arcem: Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.' Adde Varronem loco ab Anna laud. [Vide Not. Delph.] *Arntz.*

§ 2 *Rapto vivere*] Recte, quod alii *ex* seu *de rapto.* Liv. VII. 25. 'Quos rapto vivere necessitas cogeret.' XXII. 39. 'In diem rapto vivit.' XXVII. 12. 'Pars maxima rapto vivere hominum assuetorum.' Silius Ital. II. 501. 'More ferarum Viventes rapto populos.' Just. XLI. 4. 7. Curt. III. 10. 9. et alibi: pro *eduxit* forte *traduxit* reponendum in margine monuerat Schottus: vide Virgil. l. l. vers. 314. *Arntz.*

Hæc nemora] Petitus locus est ex Æn. I. 314. *Sylburg.*

Insinuans ad] [Vide Lectt. Varr.] Et certe multo felicior, et ad literarum ductum accommodatior est conjectura Scriverii, quam ideo in contextum recipere malui, cum certum sit Ms. hoc loco fuisse corruptum. *Arntz.*

§ 4 *Istum*] Ex hac voce binæ faciendæ videntur, *Is tum.* Grut. Sed liberemus auctorem ab errore, cum *istum* referendum sit ad *usum;* non enim indicare vult Saturnum, sed Janum hanc formam excutiendi æris invenisse: Serv. ad Virg. Æn. VIII. 357. Si Saturnum vel Janum voluisset intelligi, *iste* dixisset. *Arntz.*

§ 5 *Naviandi dicunt*] Aut deest vox, aut *naviam* legendum; qua de Festus Pompeius: 'Navia ex uno ligno exculpto; ut navis, quo utuntur alveo in vindemia:' et Macrob. Saturn. I. 7. his gemina refert: 'Janus,' inquit, 'cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, et ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum et rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit. Cum primus quoque æra signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret. Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut naviam, lusu teste vetustatis, exclamant:' sic enim in Mss. quatuor integre legi, non *navim,* testantur Pithœi fratres doctissimi. Hodieque in usu est ille lusus; Galli vocant *jouer à croix ou pile.* Ceterum de signato ære primum a Jano, vel, ut alii, a Saturno, Athenæus lib. XV. Plu-

tarch. Problematis: Plinius l. xxxiii. cap. 3. Ovid. Fast. lib. i. et Lactantius Divin. Instit. lib. i. De Quadrante Ratito M. Terent. Varro de L. L. lib. iv. et Festus Pompeius. *Schott*. Aut deest quidpiam, aut legendum *naviam*: de quo vocabulo vise quæ Schottus ex Festo et Macrob. annotat. *Sylburg*.

§ 7 *Cognomento quoque addito Pater*] Vide Torrent. ad Horat. Sat. ii. 6. 20. et Scriver. ad Martial. Epigr. viii. 8. *Arntz*.

Cap. iv. § 2 *Græca scil. appellatione*] Ἀπὸ τοῦ ὄρεος, *a monte*, quod montes ipsi incolerent. Dion. Halicarn. lib. i. Lege igitur *quæ illi ὄρη vocant*: vel *qui illis oras faciunt*. Schott. Facile assentior Schotto, qui conjicit legendum *a cacuminibus montium, quæ illi ὄρη vocant*. Ejus vero Aboriginum etymologiæ meminit etiam Dionysius Hal. lib. i. p. 11. dum eos ex quorundam sententia denominatos tradit ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκήσεως, *ex eo quod in montibus habitarint*. Sed affert tamen idem Dionysius et alias duas rationes nominis, p. 8. alteram ab errore, alteram ab origine; quarum prioris hic quoque fit mentio. *Sylburg*.

§ 4 *Picus*] Eandem genealogiam recenset Servius ad Virg. Æn. x. 76. 'Stercutii Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus est filius.' Lactant. Div. Inst. lib. i. cap. 22. 'Sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui et Saturno avo nefaria sacra constituit, et Picum patrem inter Deos honoravit:' et sic ex membr. Flor. recte A. Gronovius supplevit Justinum xliii. 1. 6. 'Post hunc Picus, tertio loco regnasse Faunum ferunt.' *Arntz*.

§ 6 *Sed urbem Saturnus*] Pro *urbem* Schottus mavult *versus*: vulgata lectio retineri potest, si hæc periodus sequenti postponatur. *Sylburg*. Nihil certius est, quam verba perperam digesta sic ordinanda: *proditum est. Ejus rei Ennius testis, cum ait: 'Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant.' Sed et urbem Saturnus, &c.* Grut. Nostrum auctorem eo nomine, quasi non testaretur Ennius hoc versu Urbem a Saturno esse conditam, reprehendit Merula ad Enn. p. 77. Sed malim ego sequi Gruterum. In margine per conjecturam reponebatur loco *urbem*, *versus*; quod neque sic satisfacit. *Arntz*.

Versibus, quos olim] Laudat Cicero hæc Enniana: 'Scripsere alii rem Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant, Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat, Nec dicti studiosus erat,' &c. In Bruto, Oratore, et lib. de Divinatione, et Varro de L. L. lib. vi. *Schott*.

§ 7 *Invium deum*] Corruptum pro *Inuum Deum*. T. Livius lib. i. 'Pana Romani post Inuum vocarunt:' et Servius ad illud Virg. Æn. lib. vi. 'Pometios, Castrumque Inui, Bolanique, Coramque:' 'Inuus,' inquit, 'Latine appellatur; Græce Πᾶν. Item Ἐφιάλτης Græce; Latine Incubus. Idem Faunus; item Fatnus Fatuelis. Dicitur autem Inuus ab ineundo passim cum omnibus animalibus; unde et Incubus dicitur.' Male quoque in vulgatis Servii exemplis *Inus* pro *Inuus* excusum. *Schott*. et *Sylburg*. Adi Serv. ad Virg. Æn. vi. 776. Illud *Invium* nihil est, neque quicquam certius hac emendatione Schotti, nisi velimus auctorem nostrum monstra fingere. Livius lib. i. c. 5. 'Quem Romani deinde vocarunt Inuum.' Hunc Inuum et Pana eundem fecit Macrob. Sat. lib. i. c. 22. 'Pan ipse, quem vocant Inuum.' Quomodo non inelegans, sequioris licet seculi, poëta Rutilius Itin. lib. i. vs. 232. 'Hoc Inui Castrum fama fuisse putat: Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala sylvis Sive sinus patrios incola Faunus init.' Armentis Inuum præesse scribit Arnob. Adv. Gent. lib. iii. p. 113. 'Armentorum et pecorum gregibus Pales præsunt, Inuusque custodes.' De Inui

Castro confer nitidæ literaturæ virum Drakenb. ad Sil. Ital. VIII. 361. Confirmat hanc rem Gyrald. in Syntagm. Hist. Deor. in 'Pane' p. 451. Quare hanc conjecturam in ipsum textum admittere non dubitavi, præsertim cum nobiscum faciat Erud. Salmasius ad Solin. pag. 294. a. *Arntzenius.*

CAP. V. § 1 *Ante annos circiter sexaginta*] [Vide Not. Delph.] Hæc Annæ computatio facillat, nisi typographis vitium hoc tribuatur. *Arntz.*

Evander Arcas] Arcades se indigenas esse, non advenas, gloriari solebant: eaque causa lunulas in calceis gestabant, antiquitatis insignia, quod se cum luna natos jactarent, homines lunatici: Plutarchus ἐν αἰτίοις. Cicero pro Fundanio, quem Servius in Georg. lib. II. testem advocat, 'Arcades se esse προσελήνους asserunt:' et Apollonius Argonaut. lib. IV. Ἀρκάδες οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται. Ovidius Fast. I. 'Orta prior luna (de se si creditur ipsi) A magno tellus Arcade nomen habet. Hinc fuit Evander,' &c. *Schott.*

§ 2 *A qua dicta*] Græca brachylogia, pro 'quod ab ea dicta essent.' *Sylburg.*

Postea nos Palatium] Hoc loco in margine reposuerat Schottus et Sylburgius, 'alii Palatinum;' qui fortasse existimarunt *Palatium* non recte dici pro monte Palatino. Sed pro recepta lectione stat Just. lib. XLIII. c. 1. § 6. 'Montem, quem ille postea Palatium appellavit.' Ex poëtis Prop. IV. 9. 3. 'Venit ad invictos, nemorosa Palatia, montes.' Et Tibull. II. 5. 25. 'Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ.' Vide Salm. Exerc. Plin. pag. 10. b. Gron. ad Liv. lib. I. c. 5. Comment. ad Just. XLIII. 1. 6. et Not. inf. cap. XXIII. § 1. et 2. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *Recaranus quidam*] De Carano Heraclida, id est, posteritate Herculis, Alexandri Macedonis genere paterno, Livius lib. XLV. Plutarchus Alexandro, Solinus Polyhistoris cap. 15. Justinus lib. VII. M. Velleius Paterculus lib. I. et Suidas. De Recarano vero nihil adhuc compertum habeo. *Schott.* De Recarano ut Schottus, ita nec ego quicquam compertum habeo. *Sylb.* Adde Salm. ad Solin. p. 7. a. 'Garanum' eum appellat Verrius Flaccus apud Serv. ad Virg. Æn. VIII. 203. et Voss. de Idolol. I. 12. *Arntz.*

§ 2 *Nequitiæ versutus*] Mira locutio. *Nequitiæ*, in dandi casu. *Anna.* Immo gignendi. Plinius Hist. VII. 12. 'Respondit versutus ingenii mango.' Vechnerus Hell. lib. I. cap. 18. *Arntz.*

Præter cetera] Munckerus ad Anton. Liber. c. XXXIII. p. 193. hærens, quid sibi vellent hæ voces, rescribit *præter ceteros*, sc. homines; quod reliquos omnes furandi arte post se relinqueret, quod reliquos hac arte vinceret. Cic. de Orat. II. 54. 'Præter ceteros Attici excellunt.' Just. XI. 10. § 8. 'Insignis præter ceteros fuit Abdolonimus.' XXI. 6. § 1. 'Virum solertia facundiaque præter ceteros insignem.' Dict. Cret. de Bell. Troj. IV. 13. 'Quem dilectum præter ceteros percoluerat.' Nazarii Paneg. Constant. cap. 15. § 4. 'Quia in dimicando præter ceteros insignes fuissent.' Lactant. de Mort. Pers. c. 16. 'Qui præter ceteros tempestatem expertus es.' Alia Pricæus ad Euang. Lucæ c. XIII. vs. 4. et Taubm. ad Plaut. Asin. Act. V. sc. 2. vers. 6. Quare miror, cur similem locutionem non admiserit idem Munckerus ad Hyginum fab. XCII. 'Divitem præter ceteros præstaturum:' ubi substituit *præterea ceteros*, infelici conatu, cum sensus sit planus, se divitem opibus reliquos superaturum: sic alibi Hyginus fab. LXVII. 'Fortissimus præter ceteros erat:' et fab. CII. 'Solus præter ceteros ausus fuit.' Neque tamen vulgatam in hoc Victoris loco

scripturam velim condemnare, cum *præter cetera* sit 'præter ceteras animi dotes,' 'præter ceteras nequitias et versutias,' 'præter ceteras res vel artes.' Terent. in Andr. act. I. sc. 1. vers. 31. 'Horum ille nihil egregie præter cetera Studebat.' Nec multum abit ab hac locutione Plautus Amph. II. 11. 140. 'Enim vero illud præter alia mira miror maxime.' *Arntz.*

§ 5 *Appellavitque maximam*] Varie tradunt id veteres: quidam Jovi Inventori eam dedicasse Herculem, quidam suo numini seu sibi; id enim voluit Solinus in Polyh. cap. I. 'Suo quoque numini idem Hercules instituit aram, quæ maxima apud pontifices habetur:' ibi *suo numini* est *sibi;* quia jam tum divinitatis suæ erat certior. Prop. El. IV. 7. vs. 82. 'Et nunquam Herculeo numine pallet ebur.' Epithal. Incerti Maxim. et Const. dict. cap. XI. § 3. 'Cujus tot aras, tot templa, tot numina colo, Hercules dedit:' sic enim legendum videtur, non *nomina:* singuli enim Dii plura habebant numina. Ceterum de ara ipsa inspice Heins. ad Ovid. Fast. I. 580. Donat. de Urb. Rom. II. 25. Gron. ad Liv. lib. I. cap. 7. Cerda ad Virg. Æn. VIII. 271. Salm. in Exerc. Plin. p. 7. et Bertald. de Ara, Thes. Græv. tom. VI. cap. 11. *Arntz.*

CAP. VII. § 2 *Violare*] Recte hæc vox de tali armento, quod Diis est consecratum, et ad eos pertinet. Hygin. fab. CXXV. p. 188. 'Sed ira Solis, quod pecus ejus erat violatum, cum in insulam ejus venisset, et monitu Tiresiæ vetuerat violari.' *Arntz.*

Latronem quendam] Virgil. Æn. lib. VIII. nunc semiferum, nunc semihominem appellat; qui hic legendus. *Schott.*

Abstraxisse] Conveniens huic rei vox, quæ de furtis boum adhibetur: hac eadem in historia Virg. Æn. VIII. 263. 'Abstractæque boves, abjuratæque rapinæ.' Statius Achill. I. 153. 'Raptasque domos, abstractaque coram Armenta.' Ovid. Fast. I. 550. 'Traxerat aversos Cacus in antra feros.' Quæ adduco, ne hoc loco temere *attraxisse* reponatur. Latine enim etiam dicitur 'abstrahere' in speluncam, in aliquem locum. Sall. Jug. c. XXIX. § 2. 'A bono honestoque in pravum abstractus est:' et c. XLI. § 5. 'In duas partes abstracta sunt,' &c. *Arntz.*

§ 4 *Quam opinionem sequi metuit*] Metuo ne et Harpyiarum ungues hunc locum contaminarint, cum prius *maluit* legeretur: recte, nam Virgiliana Æneid. VIII. 193. cum iis quæ ex annalibus pontificum hic leguntur, gemina sunt. *Schott.* Bene ab aliis monitum reponendum vel *sequi maluit*, vel *haud sequi metuit*. Nisi si fuit *sequi meruit*, pro 'non est dedignatus sequi,' 'dignam duxit quam sequeretur;' satis nove. *Sylburg.* et *Gruter.* Vel *non metuit* legendum; ut prima litera hujus vocis corruptioni causam dederit, cum *non* particula per compendium a librariis scribi soleat. Certe elegans est locutio, 'metuo aliquid facere' cum infinitivo, pro non audeo, nolo. Val. Flacc. Argon. VII. 177. 'Jam fœdera faxo Æsonii petat ipsa viri, metuatque morari.' Ovid. Her. XVI. 283. 'An pudet, et metuis Venerem temerare maritam?' Liv. XXXII. 31. 'Ut tentare spem certaminis metuerent:' ubi Gron. Hæc autem particula *non* sæpius a librariis fuit neglecta, præsertim apud JCtos; quibus unicum solet esse in desperatis locis perfugium. Ex multis vide Hotom. Amic. Resp. I. 20. Cujac. Obs. lib. I. cap. 1. et lib. XII. cap. 18. Gothofr. ad Inst. de Rer. Divis. § 9. et de Contrah. Emt. ad l. 57. pr. ff. Schultingium, nunquam sine honoris præfatione mihi nominandum, ad ff. si quis jus dic. § 1. adde Comment. ad Cicer. pro Marc. cap. 4. *Arntz.*

CAP. VIII. § 3 *Pinarios dictos*] Mirum vocis 'Potitiorum' originem non attulisse. Dubitari enim potest, an a potiendo, an a potando, ἀπὸ τοῦ ποτίζειν, dicti. Illa enim familia huic ministrare debebat. Vide Pet. Nannium Συμμίκτων lib. v. et de Appio Claudio Liv. lib. IX. Val. Max. lib. I. cap. 1. et Victorem nostrum de Viris Illustribus cap. 34. *Schott.*

§ 5 *Nec non etiam*] Hunc pleonasmum non sapere puræ Latinitatis genium pronuntiat, qui nuper in Germania auctorem nostrum vulgavit, Junckerus in Præf. Sed si verum est, quod ipse loco illo statuit, Virgilium optimo L. L. tempore vixisse, non erit rejicienda hæc locutio, cum Noster eam ex ipsius poëtæ lectione, in quo versatum fuisse vel primo aspectu apparet, hausisse videatur; sic enim ille Georg. II. 413. 'Nec non etiam aspera rusci Vimina per sylvam.' Capit. in Pertin. cap. 5. 'Patris patriæ nomen recepit, nec non simul etiam imperium proconsulare:' et Spartian. in Sev. cap. 9. 'Parthis etiam in ditionem redactis, nec non etiam Adiabenis.' *Arntz.*

§ 6 *Intra dies triginta*] Vide Coler. ad Valer. Max. lib. I. cap. 1. ex. 17. et Serv. ad Virg. Æn. VIII. 269. Eodem autem libro ad vs. 179. male scribitur *familia Pinariorum*, cum esse deberet *Potitiorum*. Arntz.

Resedisse] *Redisse* in marg. volebat Schott. Ego nullam video rationem; quare *resedisse* retineo, quod idem est ac 'remansisse;' Pinarios deinceps retinuisse curam horum sacrorum. Martial. Epigr. IV. 13. 'Candida perpetuo reside concordia lectò.' Tacit. Ann. IV. 55. 'Lydum patriis in terris resedisse.' *Arntz.*

Etiam pietate] Ego nihil muto, cum præcedens *religione* receptæ lectioni faveat: religio enim est justus metus Numinis, qui debitas a peccantibus exigit pœnas, adeoque vox hæc in se timorem continet. Hinc 'per timorem religionem nasci' scribit Servius ad Virg. Æn. VII. 60. et VIII. 349. Contra 'pietas' amorem paternum, nullo metu aut timore conjunctum, designat. Sensus igitur hujus loci erit, Pinarios hæc sacra custodisse, non tam quod exemplo Potitiorum edocti, præsentem irati Dei vindictam ob violata sacra timerent, (hoc enim per 'religionem' exprimere videtur Noster) quam quod pio cultu Herculis Numen prosequerentur. Forte pro *edoctos* haud absurde reponeres *adductos*. Arntz.

Custodisse] Unde hæc familia audit 'custos Herculei sacri' apud Virg. Æn. VIII. 270. et Mamert. in Paneg. Maxim. Herc. c. I. § 3. 'Herculei sacri custos familia Pinaria.' *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Nec non et*] Neque hunc pleonasmum admittit in præfatione sua editor Germanus, uti nec superius illud *nec non etiam*: habet etiam hunc ex lectione Virgilii sui, qui in ea locutione frequens est: ut Æn. I. 752. 'Nec non et vario noctem sermone trahebat.' Et VIII. 461. 'Nec non et gemini custodes limine ab alto.' Adde Georg. I. 212. II. 53. et 451. Æn. VII. 521. IX. 310. et passim alibi. Quin etiam perpetuus Virgilii sui imitator Silius Ital. lib. XI. vers. 432. 'Nec non et lævum clypei latus aspera signis Implebat Spartana cohors.' Consule præsidium et dulce decus nostrum Drakenb. ad Sil. Ital. XIV. 203. Judicium igitur de hac locutione nimis severum, si poëticam esse dictionem voluisset, non magnopere repugnarem, quamvis ab ea tamen non abstinuerunt prosæ, sed sequioris ævi, scriptores. Suet. in Vespas. XVIII. 3. 'Præstantes poëtas, nec non et artifices coëmit.' Flor. III. 5. 29. 'Nec non et in meridiem verso agmine.' Just. IV. 1. 3. VI. 3. 2. et XXIX. 4. 8. Arnob. Adv. Gent. IV. p. 151. 'Nec non et illa proles Jovis.' Celsus de Vit. Cæs. p. 209. 'Nec

non et minori ejus fratri sceptrum dedit:' ita enim et ibi legi posset, cum ita loquatur idem scriptor p. 199. *Arntz.*

Trahens] Phrasin hanc Virgilio debet Æn. II. 321. ' Parvumque nepotem Ipse trahit.' Et vs. 457. 'Ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat:' ad quem locum recte observat Servius, dici de puero, qui non æquis passibus parentem manu ducentem sequitur. Silius Italicus lib. IV. vers. 30. ' Dextra lævaque trahuntur Parvi, non æquo comitantes ordine, nati.' Et Pun. VI. 403. ' Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus.' Senec. Troad. 1089. ' Parvulum dextra trahens Priami nepotem.' Val. Max. V. 4. 1. ' Liberos secum trahens castra Volscorum petiit.' Inspice Vorst. ad Just. XVI. 5. 5. et ad Val. Max. III. 2. ext. 8. *Arntzen.*

§ 2 *At vero Lutatius*] Puto *Lutatius* per *t* legendum. Nihil tamen affirmo. Hoc tantum; videri corruptum hoc nomen in Servio, qui Livium falso citat auctorem proditæ patriæ ab Ænea et Antenore: cum ille diserte in iis, quæ vulgo exstant, libris affirmet, in neutrum vetusto jure hospitii, et quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, sævitum. Ea enim librariorum audacia semper fuit, ut quæ ipsi ignorarent, in notiora perverterent, ut *Lutatium* in *Livium;* quod de illo ne fando quidem audivissent. *Schott.* *Lucatius* citatur etiam c. 10. et rursum c. 13. Schottus dubitat an scribendum sit *Lutatius* per *t*. Sed quid si potius *Vulgatius?* ut infra. *Sylburg.* Hæc repetita sunt ex Vossio de Hist. Lat. lib. I. cui non inmerito placet Schotti conjectura apud Serv. ad Virg. Æn. I. 246. *Arntz.*

§ 3 *Cui Iulo cognomen*] Livium et Virgilium secutus eundem Ascanium et Iulum fuisse dicit, sic enim poëta: ' Ascaniusque puer, cui nunc cognomen Iulo.' Ovidius quoque binominem vocat Ascanium. Dionysius tamen, Eusebius, alii rectius Iulum Ascanii filium faciunt. Male Livius Sylvium Ascanii filium appellat, cum esset Æneæ postuma proles, ut Virgilius Æneid. lib. VI. ait et Servius. Infra tamen Victor tanquam sui oblitus, Iulum Ascanii filium nominat. *Schott.* et *Anna.* Unde in nummis, Æneæ sacra patremque portanti unus etiam additur comes filius. Meurs. ad Lycophr. Alex. vs. 1268. et Perizon. ad Ælian. Hist. III. 22. *Arntz.*

§ 4 *Remisisse*] Plura habent viri docti ad Just. I. 9. 12. Cujacius Obs. XXI. 29. Burm. ad Quintil. Decl. II. c. 1. et Schulting. ad Decl. IX. c. 10. et ad Senecæ Suasor. I. 5. Gron. Epist. ad Salm. in Syll. Epist. Burm. tom. II. p. 612. et Drak. ad Sil. Ital. XVII. 367. ' Tranare pericla Magnanimum patiare ducem, vitamque remittas.' ut Seneca in Herc. Œt. 900. ' Multis remissa est vita, quorum error nocens, Non dextra, fuerat.' *Arntz.*

Ænum ex suo nomine] Quam auctor hic *Ænum*, Dionysius Hal. et Stephanus Byz. vocant ' Æneam.' *Sylburg.* Vide Not. Delph. Adde Potterum ad Lycoph. Alex. vs. 1236. *Arntz.*

§ 7 *Tubamque*] De ' tuba ' etiam Prop. III. 16. 3. ' Qua jacet et Trojæ tubicen Misenus arena.' Solin. Polyh. c. XI. p. 10. ' A gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, a tubicine Misenum.' Servius ad Virg. Æn. III. 239. *Arntz.*

CAP. X. § 1 *Euxini cujusdam*] Quem ' Euxinum ' Noster, eum ' Euximum ' vocat Servius ad Virg. Æn. IX. 710. ' Boiam Euximi comitis Æneæ nutricem, et ab ejus nomine Boias vocatas dicunt:' qui locus ex sententia nostri auctoris ita posset distingui: *Boiam Euximi comitis, Æneæ, &c.* ut more antiquo matrem intelligat. Hæc igitur mater Euxini vocabatur Boia; quare fortasse infra *Euboicus*

sinus pro *Euximus* erit scribendum, ut à Boia et Euxino hic locus nomen acceperit, quasi Boia Euxini; scil. mater; vel, quod malim, a Græca voce εὖ ob amœnitatem et elegantiam locorum, qua re semper celebres fuere Baiæ. Sic ipse locus ab hac muliere primum dictus erit Boia seu Baia, dein adjacens littus seu sinus ob amœnitatem Euboicus. Et sic cum Nostro consentient reliqui scriptores, qui ad Cumas seu Baias, Euboicum sinum seu littus collocant. Serv. ad Virg. l. l. et Æn. VI. 2. 'Et tandem Euboicis Cumarum adlabimur oris.' Lucan. Phars. v. 183. 'Talis in Euboico vates Cumana recessu.' Martial. Epigr. IX. 30. 'Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ Tempora.' Adde Virg. Æn. VI. 42. et Cellar. Geogr. II. 9. p. 529. Scio de origine vocis Euboicæ alia sentire et veteres et recentiores geographos, sed nos de nostro auctòre loquimur, et notum est, quantopere in hisce rebus variet antiquitas. Si vero quis ab hoc Euxino seu Euximo velit fingere sinum Euxinium, per me licet; sed tum mirari non desinam, Nostrum tanquam notum sua ætate locum adferre, cujus tamen nullam prisci faciant mentionem; præsertim cum tam multa datur huic rei occasio; quid enim in Italia notius, quid Baiis prælucet amœnis? Et quæ ratio esset, cur ille sinus a filio denominaretur Euxinius, cum a matre potius nomen trahere oporteret? Cetera enim loca non a filio, sed ab ipsis hominibus, qui perierunt, acceperunt nomen, ut Misenum, Prochyta, Caieta, &c. *Arntz.*

Ultimo ætatis affectam] Senec. de Otio Sap. c. 32. p. 579. 'Usque in ultimæ ætatis humanæ terminos procedat:' ubi malim legere *ultimos.* Arntz.

Cimbarionis] Monstrum certe vocis, ex qua nihil sani elicio. Latere posset *Cumarum urbs,* vel *Cumæa urbs,* ex Virg. Æn. III. 441. 'Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem, Divinosque lacus, et Averna silentia sylvis, Insanam vatem adspicies:' ubi consulendus Servius. Collocantur autem fere Cumæ inter Avernum lacum et Misenum promontorium, quo in loco oracula reddebat Sibylla Cumæa. Cellar. Geogr. Ant. lib. II. c. 9. p. 529. Conjecturæ Ortelii, quas adfert Anna, videri possunt in ejus Thes. Geogr. voc. 'Cimbarionis et Euxinium:' id quod ante Annam jam monuerat Sylburgius. *Arntz.*

Prochytam] Hunc etiam locum misere vitio librariorum habitum esse existimo, quare pro *cognitam,* substituo *cognatam,* ut sequentia verba 'cognatione sibi conjunctam' a mala manu irrepserint, cum prius in margine exponendi causa essent apposita. Cognatam hanc Æneæ fuisse ex Nævio etiam tradit Servius ad Virg. Æn. IX. 715. 'Prochyta ergo alta, quondam scilicet. Hanc Nævius in primo belli Punici de cognata Æneæ nomen accepisse dicit.' Confer quæ de hac muliere collegere Grang. ad Juven. Sat. III. 5. et Casaub. ad Strab. lib. V. p. 379. ed. Almel. Vel ipsa vox *cognitam* seu *cognatam* ex margine in textu potuit irrepsisse. Verum hisce in rebus sine Mss. codd. aliquid certi statuere non licet. *Arntz.*

§ 3 *Ex nomine nutricis*] Virg. Æn. lib. VII. initio: 'Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix Æternam moriens famam, Caieta, dedisti.' *Sylb.* et *Anna.*

§ 4 *Navigii*] Pro navigationis longæ. Vide Virg. Æn. v. *Schott. Sylb.* et *Grut.* Et sic recte summus Gronovius Obs. ad Script. Eccl. cap. 25. Sequioribus namque temporibus navigium pro navigatione posuerunt. Dict. Cret. de Bell. Troj. lib. VI. c. 9. 'In spelunca fatigatum navigio somnoque jacere.' Atque ita in jure nostro l. I. § 2. ff. de Rip. Mun. 'quæ

navigio non est impedimento:' ut præferunt pandectæ Florentini; male vulgo *navigationi*. Adde Munck. ad Hyg. Astron. Poët. c. 25. *Arntz.*

§ 5 *Cum patre Anchise*] Vide tamen La Cerda ad Virg. Æn. III. 709. et Munckerum ad Hyg. fab. 260. quibus adde Serv. ad Virg. Æn. I. 271. 574. et III. 711. aliter Tzetzes ad Lycoph. Alex. vs. 1263. *Arntz.*

CAP. XI. § 1 *Venerem sibi aliquando*] Apud Virgilium Harpyarum una, Celæno nomine, hanc famem prædicit l. III. *Anna.* Et Tzetzes ad Lycoph. Alex. vs. 1250. ubi adde ad illum locum Meursium. *Arntz.*

§ 2 *Scrofam incientem*] Sic emendavi, pro 'partui vicinam.' In vet. cod. *intimentem;* unde *enitentem* primo divinaram. Sed Festus Pompeius de Verborum Significatione lib. VII. extremo nos manu duxit: 'Gravida est,' inquit, 'quæ jam gravatur conceptu: prægnans velut occupata in generando quod conceperit: inciens propinqua partui, quod incitatus sit fœtus ejus.' *Schott.* Ad hanc rem alludit Juven. Sat. XII. vs. 72. 'Cui candida nomen Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen.' Et vet. Schol. ad Sat. VI. 177. De 'scrofa' Hygin. Fab. CCLVII. 311. Pessime vero hanc κελαινὴν porcam appellat Lycoph. Alex. vs. 1256. ut recte vidit Tzetzes et ibi et ad vs. 1232. *Arntz.*

§ 3 *Tum simulacris Deorum Penatium*] Vide Not. Delph. Bene vidit Anna hæc non cohærere, neque tamen quidquam deesse existimem, modo levi immutatione ita legas, *ducem cum simulacris Deorum Penatium prosecutum:* ut sensus sit, Æneam prosecutum esse cum simulacris scrofam: inf. c. XIII. § 3. 'Cum simulacris Deorum errantes.' Quam facile autem *cum* et *tum* inter se confundantur, norunt, qui unquam veteres codd. inspexerunt. Vide Stat. ad Tibull. I. 9. 42. p. 318. Drakenb. ad Sil. Ital. I. 40. et Duker. ad Flor. II. 16. 3. et III. 10. 26. *Arntz.*

Lavinium dixit] Fortasse legendum *ibidem urbem auspicatum, quam post Lavinium dixit:* qua de re vise et Messallam Corvinum 375. *Sylb.* Aliquid deest; et legendum *ibidem urbem auspicatum, postque eam Lavinium,* vel simili modo; ut jamdudum annotatum aliis. *Gruterus.* *Postque Lavinium* in margine Schott. vel *ibidem auspicatum post, quam* (sc. urbem) *Lavinium.* Arntz.

CAP. XII. § 3 *Sorte*] Respicit ad id, quod oracula, ut notum est, sortibus dari solerent. Sen. Œdip. vs. 288. 'In tempore ipso sorte Phœbea excitus.' Apul. Metam. lib. IV. p. 157. ed. Elm. 'Sed Apollo sic Latina sorte respondit.' Atque ita felici sorte hanc vocem Justino reddidit Græviius XII. 2. § 14. 'Moriensque non in patria fuisse sibi periculosam sortem:' quomodo ubique *sortes* oraculo Delphico Apollinis tribuuntur. Hygin. fab. 32. 102. 109. 120. 136. 179. 190. Livius lib. V. capp. 15. 16. 23. &c. Adde Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. vs. 45. *Arntz.*

§ 5 *Suem XXX. porcos*] Libet elegans Cassii fragmentum e Diomede Grammat. I. proferre: 'Grundiles Lares a grundio antiquo verbo dictos accepimus, quos Romulus constituisse dicitur in honorem scrofæ, quæ triginta pepererat porcos. Hoc ita esse affirmat Cassius Hist. II. Pastorum vulgus sine contentione consentiendo præfecerant æqualiter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent, monstrum fit sus: parit porcos triginta, cui rei fecerunt Laribus grundiles.' Vide et Nonium Marcellum 'Grundire.' *Schott.*

CAP. XIII. § 2 *Per colloquium inquisito*] Sic recte habet locus, ut sit ablativus absolutus; 'cum inquisisset per colloquium:' itaque minime opus aliorum *inquisisse.* Grut. Sæpe hæc participia simpliciter ponuntur, cum nihil adsit unde pendeant. Justinus XVI.

5. 1. 'Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis pararetur:' et XLIII. 5. 6. 'Petitoque ut intrare illi Urbem liceret:' frequens præsertim hac in locutione Tacitus. Vide Gunther. Latin. Rest. tom. II. p. 9. quocum tamen confer Periz. ad Sanct. Min. l. III. c. 9. et quos laudat Drakenb. ad Sil. Ital. lib. XVI. vs. 97. *Arntz.*

Qui essent] Nota formulam, qua in peregrinos et advenas inquirerent. Flor. IV. 12. 14. 'Postulato silentio, qui vos, inquit, estis?' Virgil. Æn. I. 373. 'Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?' ubi Serv. 'Est naturalis interrogatio, qui estis? unde vel quo itur?' Hygin. fab. CXXVI. 'Eumenes eum rogavit, unde esset; Et ille ait, se naufragio huc pervenisse.' Cebes in Tab. prope init. Συμβαλεῖν τίνες καὶ πόθεν ἦσαν· *Conjicere, quæ et unde essent:* et Lucianus Philop. p. 776. *Arntz.*

§ 3 *Patria*] Præfero, quod in margine conjecerat Schott. *patria*, cum in editis haberetur *patrio*. Patrium enim bellum erit proprie, quod in patria inter cives geritur. Firmat hanc conjecturam Ovidius ex Pont. Ep. I. 3. vs. 71. 'Pulsus Aristides patria Lacedæmona fugit.' Just. XXI. 6. 5. 'Profugisse se ad regem expulsum patria fingit.' Val. Max. lib. VIII. c. 7. ex. ext. 15. 'Per summam iniquitatem patria pulsus.' Virgil. Æn. I. 624. 'Finibus expulsum patriis nova regna petentem.' Nepos Arist. c. 1. § 3. 'Quendam scribentem, ut patria pelleretur.' Seneca Octav. vs. 242. 'Templis expulit superos suis Civesque patria.' *Arntz.*

Communes] Nec heic quidquam mutandum cum Sylb. vox enim *communes* satis indicat de utraque parte intelligendum. Sic et Livius lib. XXIX. c. 23. 'Societas inter populum Carthaginensium regemque, data ultro citroque fide, eosdem amicos inimicosque habituros, jurejurando adfirmatur.' *Grut.* Just. IX. 3. 6. 'Communem hostem putant communibus viribus submovendum.' Cicer. de Off. lib. II. c. 18. 'Communem hostem tenuiorum putant.' Confer Cortium ad Sall. Jug. c. LXXXI. § 1. *Arntz.*

§ 5 *At vero Amatam*] Sic et virgo Vestalis a Pontifice Maximo capta appellari solet, quoniam, quæ prima capta est, hoc nomine fuisse traditum est. Agellius Noctium Atticarum lib. I. c. 12. *Schott.*

Consobrino suo] Confer Serv. ad Virg. Æn. VI. 90. VII. 366. XII. 29. et alios. *Arntz.*

§ 7 *Lucatius*] Sed et hic, et supra c. IX. § 2. *Lutatium*, non *Lucatium* legendum esse jam monuerunt viri docti. *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *Igitur Æneam*] Accusativus *Æneam*, cum suo comitatu, absolute accipiendus est: quippe quod structuræ lex requirat nominativum. *Sylb.*

Mezentii regis Agillæorum] Livius: 'Ad Mezentium Etruscorum regem confugiunt, qui Cære opulento tum oppido imperitans,' &c. Urbs enim eadem Agilla a Catone, et Cære, facta voce de χαῖρε, appellabatur, teste Servio in Æneidos lib. VIII. qui historiam narrat; ut et Strabo. Hinc Cæritum tabulæ, de quibus Agellius XVI. 13. et Asconius in Divinationem. Unde colligere est, aut aliter olim diphthongum *Ai* pronuntiari solitam; aut non recte hodie Græcæ linguæ pronuntiationem restitui, ut literæ quæ scribuntur, eædem omnes clare distincteque efferantur; quod tamen probo: non recte enim αι cum ε sono confunditur. *Schott.*

§ 2 *Euryleone*] Ascanio, qui et Euryleon dicebatur. Infra Ascanius idem qui Euryleo; quanquam hujus Ascanii nominis nemo quod sciam meminit. *Anna.* Nimis secure hæc scribit doct. fœmina, cum hoc ei nomen etiam tribuat Dion. Halicarn. Ant. Rom. I. c. 40. pag. 52. ed. Sylb. *Arntz.*

Circa Numici] *Numicii* scribendum hic, et post paullo videtur. 'Numicius' enim a Plinio III. 5. et Ovid. Metamorph. fluvius ille vocatur. Ab Halicarnasseo ποταμὸς Νομίκιος, cujus mediam syllabam mi Horatius Epist. I. 18. 20. præter grammaticorum legem corripuit; quam alibi idem extendit: 'Brundisium Numici melius via ducat an Appi.' *Schott.* Eodem modo uti hic emendarunt viri eruditi, etiam apud Livium I. 2. *Numicium* pro *Numicum* reposuerunt Glarean. et Sigonius: quod in illo auctore possem ferre, sed apud Nostrum cur mutem, causæ nil video, qui fere sequi poëtas solet. Hi enim secundum casum formant *Numici* vel a nominativo Numicus vel certe contracte pro *Numicii*. Vide talia loca apud Sil. Ital. lib. I. vs. 666. Emmen. ad Virg. Æn. VII. 150. et Cellarium in Geogr. Vet. II. 9. p. 503. 'Numicum' tamen sine interposito *i* hunc fluvium nominat Solinus in Polyh. c. II. p. 10. 'Apud Numicum parere desivit:' sic servant edd. quas vidi, et excerpta cod. Ms. Apud Vibium quoque Seq. p. 60. 'Numicus in agro Laurenti:' nec recedit Servius, qui licet alibi 'Numicium,' tamen etiam 'Numicum' scribit ad Virg. Æn. IV. 620. VI. 88. et 332. VII. 797. XII. 794. et aliis locis. Arnobius Adv. Gentes lib. I. p. 20. 'In alveis Numici cum ranis et pisciculis degunt.' Ex poëtis eum 'Numicum' vocat Silius Ital. VIII. 180. 'Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus.' Conf. Const. Fann. ad Ovid. Met. XIV. 328. Turneb. Adv. XI. 17. Torrent. ad Horat. Ep. I. 6. init. et Vossius de Idolol. I. 12. Pari igitur jure et *Numicium* et *Numicum* dicere potuit, quisquis fuerit hujus libelli auctor; neque etiam apud Livium, nisi addixerint codd. quidquam mutarim temere. *Arntz.*

Præstringerentur] *Præstinguentur* malo quam *perstringerentur*, tametsi hanc vocem cum illa frequenter scioli commutarint; proprietatis credo ignoratione exsulavit hactenus, nunc a variis in veterem possessionem ex Asconio restituta. Lucret. 'Perstrinxit stellas exortus uti ætherius sol.' *Schott.* et *Sylburg.* Dedimus hic Schotti notam ex ed. ejus ultima; in priori enim locus Lucretii III. 1057. *præstinxit* citatur. Apud Nostrum autem *præstinguentur* edidit Schottus, *præstringuerentur* aliquot posteriores, de quibus vocibus non eadem sentiunt homines elegantiores. 'Præstinguere' enim ubique in Plauto, Nonio, Cicerone, et aliis restituere voluit Lambinus ad Lucret. l. l. ad Plaut. Mil. Glor. act. I. sc. 1. vs. 4. Acidal. ad Vell. Paterc. II. 18. § 4. et Fabricius ad Ascon. Pedian. p. m. 221. Contra 'præstringere' scribendum esse urguet Giphanius in Collect. ad Lucret. Davisius ad Minuc. Felic. Octav. c. 23. Burm. ad Quintil. Inst. Orat. X. 1. p. 886. et Oudend. ad Lucan. I. 154. ceterique, quos sequor. Male autem negat Anna (quod venia illius sexus dictum velim) 'perstringere' hoc sensu recte dici, quam in rem testimonia attulit Drakenb. (cujus me fidelissimis monitis ab adolescentia formatum esse, est quod mihi sæpe gratulor) ad Sil. Ital. I. 358. Val. Max. IX. 1. ex. 5. 'Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret.' Quintil. Decl. CCLII. p. 457. 'Ingens pondo argenti perstringet oculos:' quem locum tentare non debuerat Francius, nimis sæpe ad emendandum pronus. Seneca ad Helviam c. 9. 'Igne fuso perstringentes oculos.' Neque ibi quidquam mutarim, nisi voluerint codd. Ceterum quod Lambinus statuat *præstinguere* dicendum, non *præstringere*, ex eo quod Latini dicant 'præstigiæ,' parvi est momenti, cum æque 'præstrigium,' quam 'præstigiæ' reperiantur. Prudent. Cathem. Hymn. VI. vs. 139. 'Procul esto prævicaci Præstrigiator astu:' ubi Isonis glossæ: 'Præ-

strigium' (ita enim videtur esse reponendum) 'dicitur monstrum a præstringendo.' Confer easdem glossas ad Hymn. III. Peristeph. vs. 86. Atque ita in uno cod. apud Valer. Max. VII. 3. ex. 4. invenerat Torrenius. *Arntz.*

Universos utriusque] Legendum videtur interposita littera *incesset* aut *incessisset*: uti etiam monitum a Sylburgio. *Grut.* et *Sylb.*

§ 3 *Apertis fugatisque*] Hinc 'cœlum apertum' apud Ovid. Art. I. 247. 'Luce Deas cœloque Paris spectavit aperto.' Et Fast. I. 681. 'Cum serimus, cœlum ventis aperite serenis.' Apposite magis ad hunc locum Virgil. Æn. I. 586. 'Cum circumfusa repente Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.' 'Serenam' autem 'faciem' statim dicit pari modo ac Phædrus Fab. IV. 16. 'Faciem ad serenam subito mutato die.' Pro *absumtum* vero, quod ediderat Schottus, nos *adsumtum* reposuimus, id quod volebat etiam Muncker. ad Hygin. fab. XV. ubi eam locutionem *cœlo* pro *ad cœlum* pluribus confirmat. Sil. Ital. I. 370. 'Mugitum ingentem cœlo dedit:' ubi Drakenb. et eod. lib. vs. 508. 'Cœloque attollit lumina supplex.' Adde lib. III. vs. 342. et eundem Drakenb. ad lib. XIII. vs. 708. et Vorst. ad Just. lib. VIII. c. 6. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Patrem indigetem*] Qui indigetes Dii dicantur, Servius in duodecimo Æneid. tradit et Sext. Pompeius. *Schott.* Indigetes Dii qui vocentur, Sextus Pomp. tradit, et Serv. in Æn. XII. Dion. Hal. LII. 15. χθονίους interpretatur, dum heroicum Æneæ monumentum inscriptum ait πατρὸς θεοῦ χθονίου. *Sylb.*

Cap. XV. § 4 *Lucius Cæsar*] Post paullo 'Caius Cæsar,' et infra 'Julius' nominatur: quare vereor, ut recte habeat scripta lectio, legendumque sit *Julius Cæsar.* Certe proclivis error, traductis nonnihil litteris pæne iisdem. Et vero 'C. Julium Cæsarem' auguralium libros scripsisse inter doctos convenit, laudatos a Priscian. Gram. libb. VI. et VIII. Auspiciorum sextum decimum Macrob. Saturn. I. citat; et pontificalium libros auctor noster sup. quos, licet non nominet, perpetuo citari puto. *Schott.* et *Sylb.*

Edidit] Ita recepi ex conjectura Schotti, quam in margine adposuerat. Vulgatum *dedit* nemini credo satisfaciet. Sic Tacit. Ann. IV. 34. 'Quod editis annalibus C. Cassium Romanorum ultimum dixisset:' et Valer. Max. VIII. 14. ext. 3. 'Discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donaverat.' Sic aliquoties Cicero et alii. Errori causam dedit ultima littera præced. vocis, qualia librariorum errata passim observarunt viri docti. Ex multis vide Giofan. ad Ovid. Met. XIV. 484. *Arntz.*

§ 5 *Julia filia*] Procul dubio pro *filia* reponendum *Julia familia*. Grut. et Anna. Sic et Schottus in marg. qua lectione nihil potest esse certius. Ab Julo enim genus suum deducebant Julii. Ipse Cæsar apud Suet. in ejus vita cap. 6. 'A Venere Julii, cujus gentis familia nostra est.' Vell. Paterc. II. 41. § 1. 'Hic nobilissima Juliorum genitus familia, et quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise et Venere deducens genus.' Liv. I. 3. 'Quem Julum eundem Julia gens auctorem nominis sui nuncupat:' et sic Servius ad Virg. Æn. I. 271. 'Sed magis ad familiam respexit, quia omnis gens Julia inde originem ducit.' Facilis hic est librariorum lapsus, et sic *familia* nobis obtrudi, ubi *filia* esset legendum, vidit magnus ille Ciceronis sospitator Victorius ad Ep. ad Famil. XIII. 8. quamvis hujus inventionis laudem ei eripere conetur ad eundem locum Manutius. *Arntz.*

Cap. xvi. § 1 *Tyrrhum*] Hic nominatur 'Tityrus' a Dionys. Hal. p. 376. 16. 'Tyrrhenus' p. 56. 23. Sed *Tyrrhum* agnoscit etiam Virgil. et quidem tribus in locis. *Sylburg.* 'Tyrrhenum' vocat Dionys. qui hanc historiam narrat. *Anna.* Atque ita legendum esse in marg. conjecerat Schottus. *Arntz.*

Cap. xvii. § 2 *Nescio quantis*] Pro *quantis* in vet. lib. est *quat's*, superscripta ad *t* desuper apostropho: unde Schottus conjicit legendum *quatenus:* historiam eandem narrat etiam Dionys. Hal. 54. 13. *Sylburg.* [Vide Lectt. Var.] Sed omnes hæ conjecturæ non meliorem efficiunt sententiam, quam in vulgata lectione habetur. Certe nescio cur minus ridiculum sit hic legere *queis*, quam *quantis*. Quis enim hoc ab historico postularet, ut semper obscura illa custodum nomina adderet, quæ res legenti tædium potius conciliaret, quam inter historici virtutes recenseri posset. *Nescio quatenus* scribere non potuit Noster, siquidem gentium sacris addictus, qui non solum custodiis, verum vel vinculis retinere solebant Deos: de quo more Freinshem. ad Curtium iv. 3. § 22. et Lactant. Divin. Inst. ii. 4. Igitur nisi a posteriori manu hæ duæ voces profectæ sint, *quantis* positum erit pro 'quam multis:' ut infra Epit. cap. xv. § 6. 'Ne si plures reperirentur, quantis odio esset, intelligeretur.' Quomodo et alii. Vegetius de Re Milit. iii. 5. 'Signorum militarium quanta sunt genera:' sic enim est in Ms. Stewechii; et eod. lib. cap. 9. 'Integris suis quantos possint hostes interimant.' Dictys Cret. de Bell. Troj. i. 6. 'Quantis mortalibus tam atrox facinus indignationem incuteret:' ubi hanc vocis significationem non capiebat fœminarum decus, cum omnino *quantam* legendum esse pronunciaret. Latinus Pacatus in Paneg. c. xlvii. § 5. 'Quantis stupentium populis, quam multo circumdabor auditore:' et Manilius Astr. iii. 285. 'Tertiaque in quantas partes inducitur ejus.' Consulendus Barthius ad Claudian. Cons. Honor. iii. 116. Wasse ad Sallust. Bell. Jug. c. xliv. p. 347. Weitzius ad Salvian. de Gub. Dei iii. p. m. 194. et Broukh. ad Prop. Eleg. lib. i. el. 5. vs. 10. et el. 12. vs. 4. Quare non debemus ad infimam cum Junckero Latinitatem hujus vocabuli usum detrudere. Vide ejus præfat. in Aurel. Si tamen aliquis malit legere *nescio quatenus*, per me licet; sed tum vix dubito, quin a glossatoris manu, qui has hominum ineptias ridebat, ex margine in textum irrepserint. *Arntzenius.*

§ 4 *Inter Iulum*] Idem Dionysius. *Anna.* Et Festus in v. 'Silvii.' *Arntz.*

Ejus rei] Deesse dativum *plebi*, vel *nobilibus*, adnotat Schottus in marg. Dionys. Hal. lvi. 42. τοῦ δήμου (i. e. *populi* seu *plebis*) suffragiis decisam litem refert. *Sylburg.* Quid si legeres? *permissa disceptatione ejus plebi.* Arntz.

§ 6 *Coloniæ deductæ*] Qui 'prisci Latini' dicti sunt, inquit Livius: de Præneste et Pometia dixi in Notis de Vir. Illust. *Schott.*

Camena] Vide Ortelium Thes. Geogr. hac voce. Sed cum hic præsertim urbes Latii memorentur, leviori mutatione ego scriberem *Cameria*, quam urbem veteris Latii fuisse testis est Liv. i. 38. 'Inde priscis Latinis bellum fecit. Ad singula oppida circumferendo arma nomen omne Latinum domuit, Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria, Crustumerium:' ubi cum eadem urbe, quacum hoc in loco, jungitur. Cui rei accedit, urbem 'Cameriam,' ut dixi, fuisse prisci Latii; jam omnes colonias ab illo Sylvio deductas priscos Latinos esse appellatas prodit idem Livius i. 3.

'Is Æneam Sylvium creat; is deinde Latinum Sylvium. Ab eo coloniæ aliquot deductæ et prisci Latini appellati.' *Arntz.*

Ronillæ] Pro *Ronillæ* scribendum potius *Bovillæ:* cujus oppidi passim inter Latina fit mentio. 'Rusellanos' inter Etruriæ populos recenset Dion. Hal. 189. 10. *Sylburg.* Potius locum heic habuerit *Bovillæ*, ut jam indicavit Sylburg. *Grut.* et *Ann.* Neque ego dubito scribere *Bovillæ*. Sed malim aliquando, præsertim in nominibus propriis, esse nimis timidus. Hæc quoque urbs est Latii, non procul a Roma. Propert. El. IV. 1. 31. 'Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillæ; Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.' Plura Freinsh. ad Flor. I. 11. § 6. et Heinsius ad Ovid. Fast. III. 667. In eandem, nihil enim facilius, conjecturam incidit Ortelius in 'Ronillæ.' *Arntz.*

Cap. XVIII. § 1 *Tiberius Sylvius*] Pro *Tiberio* supra 'Tiberinus' est p. 376. 25. et apud Dionys. Hal. p. 57. 14. itemque apud Cassiodorum infra 591. 46. et apud Euseb. in Chronicis. *Sylb.* Lege *Tiberinus Silvius.* Is autem Calpeti filius fuit. *Anna.* Ita etiam reponendum esse censuerat in margine Schottus. Sed peccatum non esse librariorum, cum alii etiam eum 'Tiberium' appellent, opportune notarunt Salvagn. ad Ovid. in Ibide vs. 516. et Berkelius ad Steph. de Urb. voce Ἄλβα. Aliter tamen Merula ad Ennium Ann. I. 170. Qui eundem errorem esse apud Festum scribit, scilicet ita ille in voce 'Albula:' 'Tiberis autem a Tiberio Sylvio rege Albanorum.' Nam aliter vel ipse vel ejus epitomator Paullus in voce 'Tiberis:' 'Tiberis fluvius dictus a Tiberino rege Albanorum.' Varro de L. L. IV. 13. 'Sunt qui Tiberis priscum nomen Latinum Albulam vocitatum literis tradunt, posterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum:' ubi ab aliis male itidem legi *Tiberium* testantur notæ marginales. Sed receptam lectionem veriorem esse constat ex Servio ad Virg. Æn. VIII. 330. qui, teste ipso Varrone, Tiberim a Tiberino dictum tradit. Confer eundem ad Æn. III. 500. VIII. 72. et X. 145. Cerdam ad Virg. VIII. 331. Turneb. Advers. XI. 17. et Gron. ad Liv. I. 3. Gunther. Ligur. de Gest. Fred. Barb. IV. 149. 'Te placido transmissa' (sic enim malim pro *transmisse*) 'vado vetus Albula transit; Albula, cujus aquis Tiberinus nomina fecit.' Rectius igitur *Tiberinum*, quam *Tiberium* dici statuo, præsertim cum deinde etiam a Tiberi deductum sit epitheton Tiberinus; inf. Epitom. c. XXIII. § 7. et Deus Tiberinus, quod notum; non tamen omnibus locis pro *Tiberium* statim reponendum esse *Tiberinum*, cum Eustatius ad Dionys. Perieg. vs. 350. Festus, hic locus, et alii eam lectionem tueantur. Ceterum in notis Sylburgii observari velim, secutos nos esse in Dionysio ceterisque, numeros paginarum ejus editionis quam ipse fuerat secutus. Sed hoc semel hic monuisse sufficiat. *Arntz.*

§ 2 *Aremulus Sylvius*] 'Aremulum' agnoscit cum Eusebio etiam Cassiod. Sunt qui 'Remulum' vocent: Liviani libri 'Romulum;' itidemque Messalla supra 376. 26. A Dion. Hal. 57. 20. dicitur 'Allades,' non sine mendi suspicione. *Sylburg.* Ita variant in hoc nomine ipsi veteres. Euseb. in Chron. ad ann. MCXLII. Et Oros. I. 20. Confer Merul. ad Enn. Ann. I. 171. Ciofan. ad Ovid. Met. XIV. 614. et Heinsium ad Fast. IV. 49. *Arntz.*

§ 3 *Raptusque turbine*] In omnibus edd. quas consului, antea *ruptus* legebatur, nullo sensu: quomodo enim vento romperetur corpus? Quare levi mutatione *raptus* reposui. 'Rapi' enim 'turbine' dicuntur, quæ vento vehementiori de loco suo mo-

ventur, et in aliam partem transferuntur. Mamert. Paneg. Maxim. c. XII. § 2. 'Nisi si haustu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur.' Claudian. de Rapt. Pros. I. 69. 'Ceu turbine rauco Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali Hispidus et Getica concretus grandine pennas, Bella cupit, pelagus, sylvas, camposque sonoro Flamine rapturus.' Florus III. 11. § 3. 'Rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates:' uti hunc locum Cl. Dukerus recte exposuit. Silius Ital. III. 523. 'Interdum adverso glomeratur turbine Corus: In media ora nives fuscis agit horridus alis, Aut rursus inmani stridens avulsa procella Nudatis rapit arma viris.' Seneca de Vita Beata c. 28. 'Nonne nunc quoque turbo quidam animos vestros rotat et involvit, fugientes petentesque eadem, et nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit?' Valer. Flaccus Argon. I. 620. 'Vela super tremulum subitus volitantia malum Turbo rapit.' Atque ita in vulgata versione Jobi c. XXVII. vs. 21. 'Tollet eum ventus urens, et turbo rapiet eum de loco.' Lucan. III. 46. 'Cæsar ut emissas venti rapuere carinas.' Liv. I. 16. 'Sublimem raptum procella.' XXIV. 8. 'Turbato mari rapitur vento navis.' XL. 2. et cet. Iscanus Bell. Troj. I. 87. 'Sed rapit aura ratem.' Virgil. Culic. vs. 210. 'Rapior per inania ventis.' Hygin. fab. XIV. p. 45. 'Vento rapta navi deserti sunt.' Propert. El. II. 21. 10. et 23. 57. Hinc 'rapax' et 'rapidus' epitheta sunt, quæ 'turbini' adjungunt poëtæ. Lucan. V. 595. Statius Theb. VII. 133. 'Turbine prævectus rapido:' ita enim ibi legendum, non *rabido*. Ovid. Epist. Her. VII. 67. Valer. Flacc. Arg. IV. 262. et 510. Neque novum est voces hasce 'raptus' et 'ruptus' inter se confundi; vide Heins. ad Claud. de Rapt. Pros. I. 145. ad Ovid. Ep. Her. VI. 27. Vossium ad Cæsar. Bell. Civ. I. 5. § 1. Burm. ad Ovid. Am. El. I. 7. 49. et Art. I. 329. Drakenb. ad Sil. Ital. I. 177. et 569. et III. 196. Eadem est varietas apud Senec. in Thyest. vs. 777. Atque hanc vocem corruptam puto apud Nazar. in Paneg. Constant. c. XXXIII. § 5. 'Facilior quidem et multo proclivior lædendi, quam commodandi semper est via; vulnerare integrum, quam sauciato mederi; dissipare rupta, quam divulsa componere:' circumfertur hodie *rapta*, sed sequens *divulsa* hanc emendationem exigit. Postea tamen video in hoc Victoris loco etiam *raptus* edidisse Sylburgium. *Arntz.*

CAP. XIX. § 3 *Fratris sui filium*] 'Egestum' Halicarn. Plutarch. 'Ænitum' in Parall. num. 69. Eutrop. 'Sergestum' appellat; alii etiam 'Lausum.' *Schott.* et *Sylb.*

§ 6 *Necari jussit sacerdotem*] Quidam vivam humi defossam aiunt, ut Vestales delinquentes solent. Vide Plutarch. Probl. 96. *Schott.*

CAP. XX. § 1 *Solito instituteque*] *Solito* autem simpliciter pro 'solito more,' ut apud Ovid. Fast. V. 547. 'Quid solito citius liquido jubar æquore tollit Candida, Lucifero prævemiente, dies?' Senec. in Agam. vs. 715. et Obrecht. ad Dict. Cretens. de B. Troj. V. 5. Plene tamen dixit Martial. Epigr. V. 68. 'Hybernos peterent solito cum more recessus.' Addatur Heins. ad Ovid. ex Pont. Ep. III. 1. 165. *Arntz.*

Disjectis] Sensus est, 'disjectis, quæ cum illa erant, virginibus seu comitibus.' *Sylb.*

Conturbatamque] Nolim quidem hanc lectionem damnare, cum ei favere videantur sequentes voces 'mox recreatam.' Non male tamen legi posset *constupratamque*. Sueton. Vitell. c. 12. 'Adolescentulum mutua libidine constupratum:' in Tiber. c. 44. § 4. 'Ibidem statim seductum constupraret:' et Curtius X. 1. § 5. 'Qui nobi-

lem virginem constupratam servo suo pellicem dederat.' *Arntz.*

§ 3 *Inpositos alveo pueros*] Livius 'fluitante alveo expositos' pueros dicit, quem pro navigio rudi capit Gyraldus, nam Plutarch. in 'Romulo' scapham vocat. *Schott.* Et Scheff. de Mil. Nav. I. 3. Celsus de Vita Cæs. p. 217. fin. 'Aut alveo obruto demersus in pelagus:' ita enim ibi lego. Vide Cort. ad Sall. Jug. c. 18. *Arntz.*

Repente exierat] Friget hæc oratio, cui enim utilitati vocula *repente?* Sensu commodiori olim forte lectum fuit *raptum ierat* vel *exierat:* supina enim in *um*, ut loquuntur grammatici, finem notant propter quem aliquid fit, pro 'exierat, ut raperet.' Vide Periz. ad Sanct. Min. III. 9. p. 463. Et hoc modo 'ire' et 'exire' eleganter secum habent hoc supinum. Lucretius lib. I. vs. 792. 'Nam quodcunque suis mutatum finibus exit.' Virgil. Æn. IV. 117. 'Venatum Æneas unaque miserrima Dido In nemus ire parant.' Horat. Od. I. 2. 15. 'Ire dejectum monumenta regis.' Tacit. Ann. IV. 1. 'Quo facinore dominationem raptum ierit:' ut recte ibi Lipsius: et Hist. II. 6. 'Scelestis armis res Romanas raptum ire.' Victor infra de Cæsar. c. XXXIII. § 8. 'Imperium ereptum ierat.' Varro de Re Rust. III. 6. 'Habere locum ante se, quo pastum exeant diebus apricis.' Conferri meretur Cort. ad Sall. B. Cat. c. XXXVI. § 4. 'Rapere' autem proprie lupis tribuitur. Phædr. Fab. I. 16. § 5. 'Rapere atque abire semper assuevit lupus.' Virgil. Æn. IX. 566. 'Martius e stabulis rapuit lupus.' Hinc 'raptores' suo nomine appellantur. Avianus Fab. I. et Emmen. ad Virg. Æn. II. 356. Et 'rapidi rapacisque' iis epitheton additur a poëtis; ex quibus Ovid. Tr. El. IV. 1. 79. Seneca Œdipo vs. 149. Horat. Od. IV. 4. 50. et Epod. XVI. 20. et sic quidam codd. ap. Statium Theb. X. 42. quamvis ibi nil mutem. Λύκοι ἅρπαγες apud Matth. Euang. c. VI. vs. 15. ubi evolve Pricæum. Λύκους ἁρπακτῆρας memorat Lycophron in Alex. vs. 147. ubi conf. Potterum: idem Lycoph. vs. 1309. Καὶ δευτέρους ἔπεμψαν ἅρπαγας λύκους· *Et secundos miserunt rapaces lupos.* Adde Tzetzem ad Eum. vs. 102. et Jungerm. ad Pollucem X. 31. Sic 'Hirpini' dicti sunt, quod 'lupos imitarentur, id est, rapto viverent;' lupi enim lingua Sabinorum 'Hirpi' vocantur, ut voluit Servius ad Virg. Æn. XI. 785. *Arntz.*

Accæ Larentiæ] In Schotti libb. et hic et in sequentibus constanter habet *accelerantiæ.* Schottus, transpositis litteris, scripsit *Accæ Larentiæ,* ut apud Plutarch. quoque legitur in Romulo: apud Livium vero, et apud Dionys. Hal. diphthongo 'Laurentia' est; itemque supra 376. 34. et infra 489. 20. *Sylburg.* Optime. Nam Fasti ELAR. NP. *Laurentinalia Nefastus primo.* Anna. Et Heins. ad Ovid. Fast. III. 55. et nos infr. Vir. Ill. c. 1. De fastis adi Gron. ad Liv. I. 4. *Arntz.*

§ 4 *Addunt quidam*] De locutione 'tutelæ esse' confer Gronov. ad Liv. I. 6. *Arntz.*

Ruminalem dictam] Hujus fici meminit Corn. Tacit. Annal. XIII. extremo. De lupa eadem in Eusebii Chronicis leguntur. *Schott.*

Ruminare sit solitum] Salm. ad Solin. p. 800. *Arntz.*

CAP. XXI. § 2 *Hæ consistunt*] Serv. ad Virg. Æn. I. 277. et III. 647. Quid si hic pro *hæ*, legeretur *nudæ consistunt,* ut respiciat morem meretricibus in lupanari proprium, ut nudum corpus prostituerent, quo facilius petulantium libidinem excitarent? Juven. Sat. VI. 122. 'Tunc nuda papillis Constitit auratis.' Petron. Sat. c. 7. 'Video quosdam inter titulos nudasque meretrices furtim conspatiantes:' ubi alia Wouwer. Brisson. de Jur. Conn. p. m. 146. Lips. ad Tacit. Ann. XV. 37. et Colerus in Pa-

rer. Juris c. 8. Sed recepta lectio sententiæ videtur esse adcommodatior. *Arntz.*

Græcarum Latinarumque literarum] Falsterus de Urbibus Stud. Laude Clar. p. 232. *Arntz.*

§ 3 *Qui sibi*] Vellet aliquis ex sequenti littera restituere *quis sibi.* Sed aliud suadet linguæ genius, et ita recte constituit Virgil. diligentissimus magni poëtæ emendator Pierius ad Ecl. II. vs. 19. 'Nec qui sim, quæris, Alexi.' Sic *qui* etiam sequente littera *s* est loco τοῦ 'quis:' ut apud eund. Ecl. I. vs. 19. 'Sed tamen iste Deus, qui sit, da Tityre nobis:' ubi Emmen. Ovid. Ex Pont. Ep. IV. 3. 2. 'An notum, qui sis, omnibus esse velim?' Adde tres studiis quondam meis moderandis triumviros, quos sine grata mentis testatione præterire nequeo, Burman. ad Ovid. Met. XV. 1. et plena manu ad Phædr. Fab. I. 13. 6. Drakenb. ad Sil. Ital. IX. 651. et Duker. ad Florum I. 18. § 20. *Arntz.*

§ 4 *Remores dicti*] Festus in 'Remores.' *Arntz.*

Cap. XXII. § 1 *Sollemne*] Scribo *sollenne*, id est, annuum. Tibull. 'Hoc sollenne sacrum, cunctos hoc sumet in annos.' *Anna.* Sic 'solennia vota' per 'anniversaria sacra' exponit Serv. ad Virg. Ecl. V. 74. Propert. El. III. 8. 31. 'Annua solvamus thalamo solennia nostro.' Ovid. Fast. II. 247. 'Forte Jovi festum Phœbus solenne parabat.' Lucan. V. 401. 'Haud meritum Latio solennia sacra subacto.' Plura Gronov. ad Livium I. 7. Claud. Dausq. de Orthogr. part. II. p. 292. et Junius ad Tertull. de Pallio p. 4. *Arntz.*

§ 3 *Eaque in centenos homines*] Contra Livius: 'Non cum globo juvenum (nec enim erat ad vim apertam par) sed alii alio itinere, jussis certo tempore ad regiam venire pastoribus.' *Schott.*

Eo signo] Non multum abludit Phædrus Fab. IV. 5. 6. 'Ut conspicuum in prælio Haberent signum, quod sequerentur milites.' Et Lucan. II. 329. 'Quo publica signa ducemque Pompeium sequimur.' *Arntzenius.*

Cap. XXIII. § 1 *Remuriam appellaret*] Ennius apud Cicer. de Divinat. lib. I. 'Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent: Omnis cura viris, uter esset induperator.' *Schott.* *Remuriam* seu *Remoriam* agnoscunt etiam alii scriptores, cum Græci, tum Latini: ut apud Dionys. Hal. docui, ad 73. 3. Ennius ap. Cic. de Divin. lib. I. trib. syllabis 'Remuram' vocat, hoc versu: 'Certabant urbem Romam Remuramve vocarent:' ut Schott. notat. *Sylb.*

§ 4 *Intellexit sese*] Ex serie præcedentis orationis posset legi *intellexisset se*, quia hæc præterita præcedunt. Verum talis enallage non est infrequens: supr. cap. XXII. § 3. 'Vinciri se passus est,' pro, *esset.* Vide de hac diligentissime agentes Muncker. ad Hyg. Fab. CXLVIII. Cortium ad Sall. Catil. cap. XII. § 1. *Arntz.*

§ 6 *Egnatius lib.* I.] Sic Merula ad Ennium p. 201. et 220. *Arntz.*

§ 7 *Nostræ memoriæ proclamans*] Mallet fortasse aliquis abl. casu *nostra memoria.* Sed ferri et genitivus potest, si referatur ad nomin. *historia.* Sylburg. Sed ex hoc loco vel admodum difficili vel certe corrupto nihil de ætate hujus scriptoris statui potest. Nec qui genium purioris Latinitatis cognitum habet, Livii eum ævo tribuet. 'Proclamare' proprie est alte, clara voce clamare; ut *proclamans* hic forte erit 'clare aperiens,' 'in media luce collocans ad nostram usque memoriam.' Sed ex hac me difficultate non expedio. Ubi in ultimo capite a recepta lectione recessum est, confer quæ notantur ad Viros Illustres infra. *Arntz.*

Ne quis vallum transiliret] Livii verba sunt: 'Vulgatior fama est, ludi-

brio fratris Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo .... interfectum:' quomodo melius legi quam *transilivisse* Diomedes Gramm. I. admonuit. *Muros* tamen non recte appellat, cum Tarquinius Priscus primus Urbem muro lapideo cinxerit; nisi muri fundamentum et designationem aratro factam intelligas. Illud non prætermittendum, primum Virorum Illustrium caput de Proca in Mss. abfuisse; sequebatur enim perpetua serie *Romulus asylum convenis:* nam vulgatæ editionis illa de origine Urbis hinc concinnata. *Schottus.* Sed hoc caput agnoscunt omnes nostri, nullo excepto. *Arntz.*

DE VIRIS ILLUSTRIBUS.

Cap. I. § 1 *Proca* in frontispicio legendum, ut Virgil. in Æneid. lib. VI. 'Proximus ille Proca Trojanæ gloria gentis.' Præpostere in aliquibus codd. *Procas* legitur: nam iambus est in tertio, nec Latinum nomen in *as* primæ invenitur. Eusebius etiam, Divo Hieronymo interprete, in serie regum Latinorum ita scribit: 'Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, Aventinus, Ascanius, Sylvius, Æneas Sylvius, Latinus Sylvius, Tiberinus Sylvius, Agrippa Sylvius, Romulus Sylvius, Proca Sylvius, Amulius, qui regnavit annis quadraginta quatuor.' Hanc autem historiam etiam Ovidius poëtice in Fastis auspicatus est, ut dulcedini quoque poëtarum aliquid in hoc opusculo tribuamus: 'Sylvia Vestalis, quid enim vetat inde moveri? Sacra lavaturas mane petebat aquas.' *Machan.* Nec titulus hic, nec primum hujus libelli caput De Proca, seu de Romuli et Remi ortu, in Schotti libro Ms. exstant: sed, ut modo dixi, cum extremo superioris libri, qui est de Origine Gentis Romanæ, continuatur caput secundum hujus libelli de Viris Illustribus: attamen etiam alii scriptores historiam Romanam a Proca auspicantur; ut Orosius II. 2. et I. 1. teste Schotto. *Sylburg.* *Procas* alter Lugd. et Haun. Machanei sententia Livii I. 3. Ovid. Met. XIV. 622. aliorumque auctoritate munitur. Neque tamen posterius omnino est damnandum, cum in codd. Virgilii Æn. VI. 767. constanter legatur *Procas*, quod etiam oportebat, ut syllaba produceretur, quæ natura sua brevis erat: sed hæc ratio non maximi erit momenti, cum brevem vocalem longam reddere potuerit vel per cæsuram, vel Græcorum more, cum sequens vox a duabus consonantibus incipiat. Apud Euseb. Chron. anno 1198. non *Proca*, sed *Procas Silvius* exprimitur, ut apud Serv. ad Virg. Æn. VII. 657. et IX. 387. Neque scio quo jure statuatur, *Proca* magis esse nomen Latinum seu Romanum, quam alia nomina propria primæ flexionis, quæ deinde a Romanis recepta utraque terminatione inveniuntur. Horum seriem enumerat Dausq. in Orthogr. part. I. pag. 59. *Arntz.*

Annuis] Non agnoscit hanc vocem Fran. Seneca tamen Herc. Fur. vs. 540. 'Stat pontus vicibus mobilis annuis.' Si cui placeret *annuis* ejicere, posset hanc loquendi rationem firmare ex Just. II. 4. § 12. 'Vicibus gerebant bella, solæ terminos alternis defendentes.' *Arntz.*

Et ut alternis] Uterque Lugd. Haun. et ed. Mach. *et* delent: nec male. Pejus Fran. pro *alternis* substituit *alteris*, quod non ferendum. Liv. II. 2. 'Rogando alternis suadendoque cœpit:' et XXII. 41. 'Cujus eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat.' Seneca de Vita Beata cap. 5. 'Incertissimaque dominia inpotentissimaque alternis possidebant.' Martial. Epigr. v. 39. 'Aut cum fratre sedere Non potes: alternis, Calliodore, sede.' Fortasse hæc vox corrupta apud Lactant. Div. Inst. v. 15. 'Quoniam brevia et caduca sunt omnia, et præferunt se alteris homines.' Si reponatur *alternis*, ut de mutabilitate fortunæ, quæ brevis est et caduca, loquatur auctor, qua hic jam extollitur, ille deprimitur. Adde Cerd. et Emmen. ad Virg. Ecl. III. 59. et Abram. Gron. ad Just. II. 4. § 12. Auctior est Lugd. 2. et Haun. *alternis vicibus:* ut Lucan. Phars. I. 409. 'Quod terra fretumque Vindicat alternis vicibus.' Senec. Herc. Fur. vs. 377. Hipp. vs. 1028. et alii. Sed hæc vox male repetitur ex superioribus. *Arntzenius*.

Imperium non dedit] Plutarchus Amulio pecunias, et aurum Troja advectum sorte contigisse refert, quibus opibus fretus ipsum fratrem, cui regnum evenerat relictum a patre hæreditarium, expulit. Tacet Cornelius de morte fratris Sylviæ, de qua Livius: 'addit sceleri scelus, stirpem fratris virilem interfecit.' Quem Halicarnasseus 'Egestum' appellat. *Mach.*

Ream Silviam] Plutarchus. Hanc alii *Iliam*, alii *Ream*, alii *Silviam* appellant. *Mach.* Constanter in antiquis 'Rea Silvia' scribitur, more Latino, qui fere adspirationes auferunt, unde Cic. in Orat. se more majorum diu *triumpos*, non *triumphos*, et fortasse *tropæa*, non *trophæa* pronuntiare solitum affirmat. Cur etiam 'Silvia' et 'suboles' a subolesco scripserim, ne quis forte calumnietur, studio a me factum sciat, secutumque veterum librorum auctoritatem et analogiam: quod ubique facturum me semel monuisse sufficiat. De Martis stupro vide Prudent. Adv. Symmachum lib. I. et Oros. VI. 1. qui ad nomen alludens 'Ream matrem stupri ream' appellat. *Schott.*

Vestæ] Abest in Msc. nostro L. Annæi Flori initio: et certe Justin. lib. XLIII. in Martis luco sacerdotem fuisse ait: et Plutarch. in Parallelis extremo Junonis, diserte ex Aristide Milesio. Et infra Noster ad Numam referre videtur. *Schott.*

Sacerdotem præfecit] *Sacerdotio* in Lugd. altero: quomodo apud Justin. X. 2. § 4. 'Mox pœnitentia ductus Solis eam sacerdotio præfecit.' *Arntz.*

Romulum et Remum] Inverso ordine tres scripti *Remum et Romulum:* quo modo et alii ordinem neglexerunt. Just. XLIII. 2. § 7. 'Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere.' Cassius in Fragm. Ann. II. p. 48. ed. Cort. 'Præfecerat æqualiter imperio Remum et Romulum.' Spartian. in Severo cap. 1. 'Lupæ se uberibus ut Remum inhærere vel Romulum.' Serv. ad Virg. Æn. I. 277. 'Unde nati sunt Remus et Romulus.' Festus in 'Ruminalis:' 'Lupa mammam dedit Remo et Romulo.' Tzetzes ad Lycophr. Alex. vs. 1226. 'Ῥῶμον καὶ Ῥωμύλον ἀπὸ Κρεούσης γεννηθῆναι. *Arntz.*

§ 2 *In vincula compegit*] Sic Justin. lib. XVI. 'Igitur Clearchus LX. senatores comprehensos (nam ceteri in fugam dilapsi erant) in vincula compegit.' Plautus Amphitruone: 'Quid faciam nunc si tresviri me in carcerem compegerint?' Sic idem in Menæchmis et Rudente loquitur. Similes dicendi formas in melioris notæ auctoribus observare licet. 'In catenas conjecit' Cæsar Comm. Gall. I. 'In compedes conjecit' Sueton. in

Vitell. cap. XIII. ut in Amm. Marcell. lib. XVII. 'Vivosque captos compegit in vincula:' et lib. XXV. 'Ut deditum noxæ mancipium in custodiam compegerunt.' *Schott.* 'Conjecit' codex H. Cic. pro Dejot. cap. 7. 'Fratres meos, inquit, quod erant conscii, in vincula conjecit.' Hygin. Fab. CXC. 'In vincula est conjectus ibi:' et Lamprid. in Alex. Sev. cap. 53. 'Comprehendi jussit et in vincula conjici.' Sed ex sequenti verbo *abjecit* hic error ortus. Lugd. 2. *compedit.* Sed et hoc falsum. *Arntz.*

In Tiberim abjecit] Boend. *projecit;* nil muta. Quintil. Arg. Decl. VI. 'Abjectus in mare.' decl. VI. cap. 22. 'Cum exanime corpus in fluctus esset abjectum.' Just. XLIV. 4. § 6. 'Ad ultimum in oceanum abjici jussit.' Hygin. Fab. LIII. 'Eamque in mare abjecit.' Spartian. in Severo c. 11. 'Cadaver in Rhodanum abjici præcepit.' Lamprid. in Heliog. c. 17. 'In Tiberim abjectum est, ne unquam sepeliri posset.' Ammian. Marcell. XIV. 7. p. 41. 'Velut exsaturati mox abjecerunt in flumen.' Lactant. Div. Inst. VI. 12. 'Largitio hominum patrimonia sua in mare abjicientium:' et sic de Morte Persec. c. 51. p. 301. Capit. in Clod. Alb. c. 11. Celsus de Vit. Cæs. pag. 213. ed. Dav. supra Orig. Gent. Rom. c. XX. § 3. et ceteri: quare nihil temere unius codicis voluntate mutandum, quamvis et 'projicere in aquam' Latinis non sit ignotum. Livii Epit. LVIII. 'Insepultus in flumen projectus.' Quintil. Decl. V. 20. 'Projectus in fluctus exitum faciam hominis:' et Oros. IV. 16. fine, 'In mare projectus est:' pro *accurrit* autem in sequentibus *decurrit* præfert Lugd. I. *Arntz.*

§ 3 *Lupa accurrit*] Eusebius Faustulum regii armenti pastorem ad Accam Laurentiam uxorem suam detulisse refert, quæ propter pulchritudinem, et rapacitatem corporis quæstuosi 'lupa' a vicinis appellabatur: unde ad nostram usque ætatem, et memoriam meretricum cellulæ 'lupanaria' appellantur. De capto Remo, et Romulo vi se defendente, notanda etiam inter Plut. et Liv. nonnulla discrepantia; alter enim ad Numitorem primum, alter ad Amulium ductum scribit. *Machan.*

Accæ Larentiæ] De qua Agell. Noct. Attic. V. 7. ubi *Larentia* legitur, ut in veteribus libb. omnibus. Lactant. I. 20. Hujus sepulchrum in via nova Romæ in Velabro fuit, teste Varrone de Ling. Lat. lib. V. *Schott.* et *Anna.* Melius legitur *Larentiæ*, et ita ediderat Aldus. Confer Comm. ad Minuc. Felic. Octav. c. 25. Neap. ad Ovid. Fast. III. 57. Gron. ad Liv. I. 4. Voss. de Idolol. I. 12. Plut. in Romulo pp. 19. 20. &c. Atque sic passim optimi codd. *Arntz.*

§ 4 *Amulio interfecto*] 'Patruo,' inquit L. Annæus Seneca: is enim auctor potius est, quam L. Florus: quod ex declamatorio stylo, et Lactantio Divin. Institut. VII. 15. facile doceri potest. Patruum magnum jurisconsultorum filii appellarent: sic Tacitus Annal. II. 'avunculum' dixit pro avunculo magno. Paulus vero Oros. II. 4. Numitorem avum interfectum ait; falso: aliter VI. 1. nam in regnum restituerunt Numitorem, et patruum Amulium interfecerunt. *Schott.*

Ipsi] Melius Parisinus *ibi*, non *ipsi* præfert. *Schott.*

Pastoribus adunatis] Mediol. cod. *adunatis pastoribus.* Cicero de Oratore I. 'Romulus pastores et convenas congregavit.' De pastoribus vide infra in Flaminio, et Justin. lib. XXXVIII. *Schottus.* *Adunatis* omnes nostri, nisi quod H. *adjutatis.* Sed Ald. Gryph. et editt. *coadunatis*, qua voce utitur Dict. Cret. de Bell. Troj. IV. 13. et versio vulgata Joël. c. II. vs. 16. Sed alteram cum scriptis præfero, cum Aurelio dignior sit. Just. V. 9. § 6. 'Adunatis exulibus

castellum Phylen Atticorum finium occupat:' quomodo et alibi loquitur sæpius. Lactant. de Mort. Pers. c. XXIII. 'Urbanæ et rusticæ plebes adunatæ:' quem locum minus bene tentat Gale. Sic enim et c. XLV. fin. 'Adunari omnes angustiæ temporis non sinebant:' quibus locis videndus Bauldry cum Cellario Lat. Rest. p. 107. et Borrichio Cogit. p. 40. ubi, inter alia simul vera, hujus loci lectio vindicatur. *Arntz.*

Civitatem condiderunt] In monte Aventino, de quo Agell. Noct. Attic. XIII. 14. ex a. d. XI. Cal. Maias, qui dies consecratus Palilia dictus: Olympiadis VII. anno I. ante Christum natum DCCL. ab orbe condito MMMCCXII. ab eversa Troja CCCCXXXII. sed de his in fragmentis Nepotis diximus. Ideo autem hic repetere placuit, quod aliorum calculus fallat, et commentatores hic turpiter alucinentur, et tanquam in limine impingant: absit verbo invidia. *Schottus.* Hoc mihi suspectum; nam falsum est, Romulum, antequam de cœlo servasset, civitatem condidisse quam postea Romam vocaverit. *Anna.* Non assequor acumen doctissimæ fœminæ, cum verba seqq. de augurio non inducant absolutam necessitatem, Romam conditam fuisse ante quam victor exsisteret Romulus, sed rationem tantummodo dat cur Romulus potissimum huic Urbi nomen inposuerit. Et si error esset Aurelii, pro eo caussam dicit Servius ad Virg. Æn. VII. 678. ubi de incerta hujus Urbis origine agens, scribit, 'Unde nec historicos, nec commentatores varia dicentes imperitiæ condemnare debemus; nam antiquitas ipsa creavit errorem.' *Arntz.*

Augurio victor] Ennius in Annalibus: 'Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est, Certabant Urbem Romam Remuramve vocarent.' Idem apud Isidor. XV. 1. 'Hujus nata est auspiciis illa inclyta Roma.' Rursus idem: 'Omnia cura viris uter esset induperator.' Hinc lege cautum a Romulo 'ne quid inauspicato publice gerunto.' Cicero de Nat. Deor. III. *Schott.* De Romulo Livius I. 6. 'Ut Dii, quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent:' et c. 8. 'Ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant.' Censor. de Die Natali c. 17. fine: 'Si ita esset de Romuli Urbis condendæ auguriis ac duodecim vulturibus:' de hac vocis significatione Liv. VII. 26. Virg. Æn. I. 396. Serv. ad Æn. I. 402. et XII. 869. *Arntz.*

Vultures] In augurandi scientia sacri teste Suet. Aug. c. 95. et Plut. in Quæst. Rom. Jul. Obseq. A. U. C. DCCX. 'Cæsar,' inquit, 'cum in Campum Martium exercitum deduceret, sex vultures apparuerunt. Conscendenti deinde rostra creato consuli iterum VI. vultures conspecti, veluti Romuli auspiciis novam Urbem condituro signum dederunt.' *Schott.*

Ut eam prius legibus] Inter alias legem tulerat: 'Mœnia sancta existimanto.' Cujus Cic. Nat. Deor. lib. II. meminit: Plut. in Problem. Zonar. tom. II. quam etiam facto ipso Romulus sanxit interfecto fratre Remo. Portas sanctas negat Plutarch. quod alioqui cadavera per eas efferri non potuissent. Vide Theophilum Instit. Tit. de Rerum Divisione II. § 'sanctæ quoque:' ubi fabula de Diis. *Schott.* Pro *legibus, quam mœnibus muniret*, consensu plerorumque codd. et edd. reposui *legibus muniret, quam mœnibus*. Verbum scilicet, quod spectat ad duo membra, sæpe ad primum refertur. Sic ex codice scripto lego apud Cicer. Orat. pro Ligar. cap. 9. 'Magni cujusdam animi est atque ejus viri.' Sed talia sunt obvia: pro eo quod sequitur *transiliret*, in Lugd. 1. est *transiret*, ut videatur librarius voluisse, legem tulisse Romulum, ne quis quacunque etiam ratione muros transscenderet; sed hoc non conve-

nit narrationi Livianæ I. 7. Ceterum hanc ob caussam sanctos deinde muros habitos esse non sine caussa statuunt eruditi. Vide Marcil. ad Inst. de Rer. Div. § 10. Aleand. ad Caii Inst. lib. II. tit. I. § 1. et Salmuth. ad Panciroll. Reb. Deperd. XXXII. 112. *Arntz.*

Transiluit] Agrippin. lib. *transiluit.* Quomodo veteres potius dixisse auctor Diomedes Gramm. I. ex Livio I. 7. 'Ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros.' Virg. 'Saluere per utres.' Idem, 'dissiluit Turnus bijugis.' *Schott. Transiluit* etiam optimus Lugd. et ed. Schotti, ut prisci scriptores loquuntur, quamvis posterioribus sæpe displicuerit. Ovid. Fast. III. 70. 'Non tamen expediit transiluisse Remo.' Fast. IV. 727. 'Certe ego transilui positas ter in ordine flammas.' Et ex Pont. Ep. I. 5. 76. 'Indicium studii transiluisse mei.' Silius Pun. IV. 70. 'En age, qui sacros montes rupesque profundas Transiluit.' Heins. alia ad Ovid. Fast. IV. 805. Trist. IV. 3. 8. Gron. ad Senec. Thyest. vs. 768. Voss. de Anal. III. 33. Burm. ad Quintil. Decl. II. 21. et VI. 5. et nos inf. cap. 22. *Transiliit* est in H. reliqui *transilivit.* Arntz.

Celere] *Fabio* abest in melioribus libris et Mss. omn. ceterum unde 'Celer' dictus sit, ridicule Philippus Poncherius interpres explicat, quasi funebres ludos et viscerationem, quæ tum nulla erant, 'celeriter' curaverit: unde dictum constat multis post seculis Q. Cæcilium Metellum anno DCXCIII. ejusque Nepotem DCXCVI. Plutarch. hunc a 'celeri' ex agro Latino in Etruriam fuga sic appellatum ait. Vide et in Vita Coriolani, ubi de Rom. nominibus. *Schott.* In aliis edd. est *Fabio Celere*, sed priorem vocem cum Schotto, delent omnes nostri. *Arntz.*

Rutro] De rastro verba ipsa Varronis ponam, De Lingua Lat. 'Hirpices regula cum pluribus dentibus, quam, item ut plaustrum, boves trahunt, ut eruant quæ in terra sunt. Sirpices postea detritas a quibusdam dicti. Rastelli, ut hirpices, serræ læves. Itaque homo in pratis per fœnisecia eo festucas abradit: quo abrasu rastelli dicti. Rastri, quibus dentalibus penitus eradunt terram, atque eruunt, a quo rutabra dicti.' Virgil. in Georg. 'Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva, neque illum,' &c. Alii Remum in contentione augurii a Romuleis satellitibus occisum volunt. *Machan.* Pro *rastro* quidam libri *rutro* habent: de quo Varro de Ling. Latina, lib. IV. Festus et Nonius. Græce *κρώπιον* dicitur. Varr. *περὶ ἀρχῆς.* 'Cui Celes Antipatri Stoici filius rutro caput displanat:' ad quem locum vide Turneb. Advers. XVII. 23. et Victorium XXIII. 5. Eusebii quoque interpres D. Hieronymus Remum fuisse a Fabio Romuli duce occisum ait 'rutro pastorali.' Libet hic *ἐν παρέργῳ* Nasonis adferre locum quarto Fastorum, ut emendandum vidit Valerius Andreas Belga eruditus: 'Nec mora transiluit, retro Celer occupat ausum:' repone *rutro Celer.* Vide Dionys. lib. II. qui *σκαφίον παρὰ τὸ σκάπτειν* appellat. *Schott.* Vulg. l. *rastro*: sed *rutro* habent etiam membranæ Eusebii: eandemque lectionem sequi videtur etiam Sex. Pompeius, dum scribit rutrum tenentis juvenis effigiem esse in Capitolio: ac rutrum idem Festus denominatum significat ab eruenda humo seu arena: sicut et Dion. Hal. *σκαφίον* appellat, 74. 42. *παρὰ τὸ σκάπτειν, a fodiendo.* Verumtamen rastro quoque humum effodi solitam, docet in Nerone Sueton. c. 19. Supra utrumque per dubitationem ponitur, 'rutro vel rastro fertur occisus.' *Sylb.* Sic recte hunc locum emendarunt viri docti, licet omnes nostri repugnent. Confer

Salmas. ad Solin. p. 365. Merul. ad Enn. p. 219. et Heins. ad Ovid. Fast. IV. 843. Rutrum est instrumentum rusticum et militare. Rastrum vero hic locum habere non potest. Nonius, c. I. n. 66. Liv. XXXVIII. 45. 'Secures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in XL. longas naves opus esset:' quo loco inter instrumenta militaria enumerat 'rutra;' quod fecit etiam Veget. de Re Milit. I. 24. 'Ad quod opus ligones, rutra, qualos aliaque utensilium genera habere convenit:' ut quidem Stewechium secutus malim ibi, quam *rastra*, quo modo eandem vocem corruptam esse disces apud eundem ex notis Scriv. et Stewechii ad II. 25. *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Asylum*] Locus erat sacer, ut Dionys. ait; inter duos lucos, saxo circumdatus, ut Ovidii carmen indicat: 'Romulus ut saxo lucum circumdedit alto.' Latine 'confugium' dici valet; dicitur ab *α sine*, et *σύρω*, *traho*, quia inde aliquem abstrahi nefas fuerat. Ut nunc fit in sacris nostris delubris. Per andistincon autem *rho* et *lambda* mutantur, ut Palladæ distichon indicat: Ῥῶ καὶ λάμβδα μόνον κόρακας κόλακάς τε διΐστᾶ· Οὐκοῦν ταυτὸ κόραξ, βωμολόχος τε κόλαξ· id est, *Rho et lambda solum adulatores et corvos discernunt: Nempe idem corvus et scurra assentator.* Et proprie *βωμολόχος aris insidians* exponitur, ut apud Aristotelem in Ethicis deprehendimus. Asilus autem cum Latino *i* significat tabanum, vulgo dictum a Græcis œstrum. Virg. in Georg. 'Cui nomen asilo Romanum est: œstrum Graii vertere vocantes: Asper, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis.' *Asylum* autem illud primi Athenienses statuerunt. *Mach.* De asylo Romuli ejusque origine Conradus hoc loco multa, pluraque ad Æmilium Probum Magius, quæ non describo. Vide et Jac. Durantium Variarum I. 1. et Ferrandum Adduensem lib. II. *Schott.* Male aliquot scripti *asilum*, cum hæ voces deberent distingui. Evolve Comm. ad Lucan. I. 97. Weitz. ad Valer. Flacc. III. 581. et Dausq. de Orthogr. part. II. p. 45. *Arntz.*

Magno exercitu facto] *Mox exercitu facto* in Mss. est. Sic in Mario loquitur et Sallustius libris Historiarum, quod et Seneca Epist. XX. 115. adnotavit. *Schott.*

§ 2 *Ludos Consualia*] Varroni 'dicta a Conso, quod tum feriæ publicæ ei Deo, et in circo ad aram ejus a sacerdotibus fiunt ludi illi; quibus virgines Sabinæ raptæ.' Titus Livius Consum 'Neptunum equestrem' appellat. Plutarch. 'Fama est Romulum aram conditam sub terra invenisse, et a consilio nomen inditum, quod consiliarius foret, sive quod,' &c. de quibus plura apud Dionys. et eundem Plut. lege. *Mach.* 'Consalia' vocat Plut. Quæst. Rom. De his legendus Tertull. libro de Spectaculis et idem Plut. in Romulo. Hi Magni Ludi etiam appellati: Virgil. 'magnis Circensibus actis:' nam et Circenses iidem vocantur. Ascon. Verr. II. Dionys. Ἀρχ. Ῥωμ. I. ait: 'his ludis immunes ab opere equos et mulos fuisse, coronarique floribus solitos.' Exstat veteris poëtæ carmen apud Nonium Marcellum 'Cernuus:' 'Ibi pastores ludos faciunt cernui Consualia.' Vulgo male *Sibi pastores* pro *Ibi:* et Scaliger *coriis Cernualia* reponit ad Festum in 'coinquire.' *Schott.* Vide Gron. ad Liv. I. 9. XXX. 39. et Burm. ad Quintil. Inst. Orat. I. 5. p. 65. minus recte igitur *Consuales* est in H. *Arntz.*

Virgines raptæ sunt] Parisinus *captæ.* Festus auctor est virgines inde tanquam ex gremio matris rapi solitas. Catullus: 'Qui rapis teneram ad virum Virginem.' Qua de re docte Jacobus Rævardus, vir illustrandæ jurisprudentiæ natus, et immatura morte præreptus, ad legem XII. tab. c. 21. *Schott.* et *Anna.*

Talassio] Simplici *s* antiqui libb. et Mss. præferunt, quomodo et Græci scribunt Ταλασίαν; Plut. in Romulo. Martialis Epigr. I. 36. 'Quid si me jubeas Thalassionem Verbis dicere non Thalassionis?' Et XII. 42. 'Nec tua defuerint verba Thalasse tibi.' Vide Plut. in Pompeio et problemate 30. Græci vero *Hymen*, *o Hymenæe* nuptialem vocem habebant. *Schott.* Non *Thalassius* scribendum, tamquam ἀπὸ τῆς θαλάσσης, a mari: sed *Talasius*, a lanificio, quam ταλασίαν Græci nominant: ut præter Pompeium Festum tradit etiam Plut. in Quæst. Rom. pag. 484. *Sylb.* Varie hæc vox scribitur. *Talasio* Lugd. 1. et Franeq. *Talassio* B. *Thalascio* H. Malim abjicere adspirationem, ut Dausq. in Orthogr. part. II. p. 307. et Turn. Advers. XI. 17. *Arntz.*

Duci] 'Ducendi' vox in matrimoniis hinc usurpari cœpta. D. August. de Civit. Dei VI. 9. 'Domum ducenda est, quæ nubit: adhibetur Deus Domiducus.' Sic et Martianus Capella de Nuptiis Philologiæ lib. II. *Schott.*

§ 3 *Cesserant*] Non *cesserunt*, legunt Mss. cum Mediolan. *Schott.*

Omnibus nuptiis] Inclusa, *in* et *ergo*, absunt a vulg. libb. contra ex iisdem seq. v. additum *vi*. Syib. Contra voluntatem et Mss. et edd. veterum hic excudebatur *in nuptiis*. Sed hanc præpositionem sine ulla necessitate sæpissime inculcari a librariis docuerunt Sciopp. Veris. IV. 8. V. D. ad Just. XXII. 6. § 9. Gronov. ad Liv. VII. 38. Torren. ad Val. Max. I. 5. ex. 2. Var. Lect. ad Plin. Epist. IX. 4. et ad Cic. ad Famil. Epist. VI. 6. et nos infra ad Epit. cap. 35. § 2. ita in cod. scripto inveni apud Virg. Æn. V. 220. 'Et primum scopulo luctantem deserit alto:' pro vulgato *in scopulo.* Arntz.

Invocaretur] In Mss. melius *iteretur.* Schott. Si exstat in aliorum libris Mss. *nomen iteraretur*, quemadmodum id apparet in uno Palatino, in altero autem margini allinitur, habetque textus *vocaretur;* melius est sine dubio scriptura vulgata, quamvis neque ipsa absurda. *Grut.* *Uteretur* Lugd. 2. *vocaretur* L. 1. et H. *Arntz.*

Vi rapuissent] Sic vulgati, quos quidem viderim, omnes: nos ex antiquo libro *vi* vocem superfluam vi exturbavimus, et ut otiosam expunximus. Est enim 'rapiendi' ea notio, teste Donato, ut significet per vim, aut cum festinatione, aut furore capere: unde rapina, quæ palam et vi fit: furtum fere clam et occulte. *Schott.* Nota est ea vocis 'rapiendi' significatio, de qua Schol. Juven. ad Sat. I. 34. et Broukh. ad Tibull. El. I. 2. 26. Sed cum et olim editi et scripti constanter servent *vi rapuissent*, illam vocem cum Schotto vi exturbandam esse non censeo. Distinguendum enim est inter raptum, qui fit injecta manu, et illum, qui fit volente et consentiente virgine. Priori modo non raro vocula 'vis' huic verbo additur, qua indignitas rei exprimitur, cum invitæ illata sit injuria. Ovid. Epist. Her. V. 131. 'Vim licet appelles, et culpam nomine veles, Quæ toties rapta est, præbuit ipsa rapi.' Et XVII. 21. 'An, quia vim nobis Neptunius attulit heros, Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?' Iscanus Arg. de Bell. Troj. lib. III. 'Repetant qui pace sororem Hesionem, magna vi nuper ab Hercule raptam.' Just. XXVIII. 2. § 9. 'Qui uxores cum propter originis dehonestamenta non invenirent, vi publica rapuerint.' Dictys Cret. VI. 5. 'Interventu parentis puella ablata per vim:' et sic in tali re Arnob. Adv. Gent. V. 162. 'Cum rapere voluptatem insidiosa fraude nequivit, vi matrem aggressus est.' Adde eod. lib. p. 158. 'Et ex utroque sexu vi rapta devastare.' Conjungit hæc duo 'rapere vi' etiam Suet. in Cæs. cap. 26. § 7. et August. de Civ. Dei I. 28. 'Vi' autem 'ra-

pere' idem est, quod dixit Flor. I. 1. § 10. 'Manu capta sunt:' ubi Duker. et Cort. ad Sall. Jug. cap. 5. § 4. vel quod Virgil. Æn. VIII. 635. ex q. Minuc. Felix cap. 25. 'Raptas sine more Sabinas.' Quod non erit, ut plerique exponunt, 'sine exemplo;' sed, ut recte Servius, 'sine ullo bono more, vel raptas, stupratas, id est, per vim.' Adde Burm. ad Ovid. Art. I. 119. Ovidius etiam Met. VI. 524. 'Et virginem, et unam Vi superat.' De ipso raptu Romuli August. de Civ. Dei II. 17. 'Filias alienas fraude spectaculi inductas, non a parentibus accipi, sed vi ut quisque poterat auferri.' Certior autem mihi semper visa est emendandi ratio, si ex scriptis aliquid quasi postliminio reducatur, quam si ejiciatur; nam facilius indocti librarii ipsi voces potuerunt omittere, quam de suo addere, cum raro talium rerum sibi haberent copiam. Hæc etiam vox nonnihil turbarum excitavit apud Corn. Nepot. in Hamilc. c. 1. ubi quidam legunt *aut vi certe vicissent aut victi manus dedissent:* alii ibi *vi* omittunt; alii *virtute*, alii *vere* conjiciunt. Verum quamvis abesse posset hæc vocula, nulla tamen est ratio, cur eum Bosio locum non temere sine ope melioris codicis sanandum existimemus, cum 'vi vincere,' sit fortitudine, virtute vincere: adi Comment. ad Justin. v. 1. § 10. et Græv. ad I. 6. § 12. Gronov. ad Liv. VII. 32. et Cort. ad Cic. ad Fam. Epist. v. 10. Sed ut dicam quod sentio, abesse poterat, et simpliciter scribi *aut certe vicissent:* cum *vi* nec in codd. Mss. nec antiquis editt. appareat, inducta forte ex præcedenti syllaba, cum *ut* et *vi* centies commutentur. Sed hoc Aurelii loco nulla esse potest suspicio, *vi* in contextum ex marginalibus glossis irrepsisse, cum talis expositio vocis 'rapere' necessaria non esset in hac re; nam passim ita simpliciter occurrit, ut ap. Prop. El. II. 7. 15. 'Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas.' Cortius ad Sall. Catil. cap. 51. § 9. et cet. Confer Muretum ad Tit. Inst. 'De bonis vi raptis:' princ. *Arntz.*

Cæninenses] *Cæninenses* vera est scriptura, quam variis modis corrumpere aggressi sunt indocti scribæ, et sic recte legitur apud Serv. ad Virg. Æn. VIII. 638. cum in plerisque ejus edd. tantum per simplex *e* exprimatur. Inspice Sigon. ad Liv. I. 9. Salmas. ad Flor. I. 1. § 11. Broukh. ad Prop. Eleg. I. 10. 7. et Burm. ad Ovid. Fast. II. 135. *Arntzenius.*

Bellum sumserunt] *Bella* Lugd. I. Sed hoc perinde est; nota interim phrasin minus vulgarem: inf. cap. 71. § 1. 'Bellum adversum Romanos sumsit.' Tacit. Ann. II. 45. 'Cherusci socilque eorum sumsere bellum:' et Hist. IV. 66. 'Non ideo, inquit, bellum sumsimus.' Qualia plura adduxit Heins. ad Ovid. Ep. Her. XVII. 371. Drakenb. ad Sil. Ital. I. 272. Duker. ad Flor. IV. 12. § 24. et Cort. ad Sall. Jug. cap. 83. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Vicit*] Sic pro *devicit* legunt H. B. uterque Lugd. et ed. antiq. quod mihi quidem magis placet. 'Vincere' enim certamine, prælio, armis, &c. apud veteres pro devincere invenies. Lactant. Div. Inst. v. 6. 'Excellentem viribus gentem bello vicerat.' Ovid. Her. XVI. 359. 'Pene puer vario juvenes certamine vici.' Quod et alibi sæpius obviam: ita inf. cap. 29. in scriptis est, *hoste victo Valerius Corvinus dictus.* Pro *prælio* hoc loco *certamine* reperitur in H. *Arntzenius.*

Spolia opima] De 'spoliis opimis' vide quæ in Corn. Cossum infra adnotavi. *Schott.* Freinsh. ad Flor. II. 17. § 11. et Periz. Anim. Hist. cap. 7. *Arntz.*

Feretrio] Sic dicto, quia ex voto (auctoribus Plut. et Liv.) propriis humeris tulit Romulus, 'fabricato ad id apte ferculo,' ut Livianis verbis utar: et hæc palma duobus tantum

contigit postmodum, Cornelio Cosso, et Marco Marcello. *Mach.* *Feretrio* cur potius quam *Pheretrio* ediderim, in promptu ratio est, quod ita analogia exposcat, sive ea a 'ferendo,' sive a 'feriendo,' sive etiam a 'ferculo,' aut 'feretro' ducta sit. *Schott.*

§ 5 *Antemnates*] Pleniores sunt libb. Mss. quos non sequi religio propemodum fuisset in tanto omnium consensu, et Eutropii auctoritate lib. I. init. *Antenates* autem scriptum habebant, alii *Antemnates* præferebant. *Schottus.* Inclusa, *Antemnates, Crustumini, Fidenates, Veientes,* a vulg. libb. absunt: Schottus e vet. cod. inseruit: eosdemque recenset etiam Sigon. supra, 9. 6. et Eutrop. infra 559. 18. *Sylb.* Hæc quatuor verba in omnibus nostris desiderantur, fidem tamen Schotti secutus ejicere nolui, eo contentus, si parenthesi includantur, quo facilius ab aliis secerni possint. Vide Liv. I. 10. Serv. ad Virg. VIII. 638. et Solini Polyh. c. 1. p. 2. D. De Orthographia adde Dausq. part. II. p. 34. *Arntz.*

Crustumini] 'Crustumerium' appellat Plin. III. 5. agens de his oppidis in Latio deletis, et Dionys. lib. I. nunc 'Crustuminum,' nunc 'Crustumerium.' *Schottus.* Sil. Ital. VIII. 367. 'Antemnaque prisco Crustumio prior.' *Arntz.*

Sabini] Ceterum sequentem vocem *etiam* non agnoscunt nostri. Sed si priores voces admittantur, ad connectendam orationem inserenda est. *Arntz.*

Ob raptas] In Mss. *ob raptas virgines:* sed *virgines* superat. *Schott.*

§ 6 *Sacrorum gratia*] Vox *gratia* in Mss. abest, et recte, mea quidem sententia: irrepsit enim ex ora in contextum. Solent enim Latini, teste Prisciano, eleganter hac prætermissione in generandi casu uti, ut intelligatur 'caussa,' vel 'gratia,' unde hic ab aliis adscriptum fuisse suspicor. Sallust. Jug. 'belli patrandi cognovit.' Sic alii, 'Reipublicæ defendendæ laborat.' Liv. etiam lib. v. et Hirtius de Bello Alexandrino, aliique sic loquuntur, quod alii ante me monuerunt. In insulam igitur glossema deportetur. *Schott.* et *Sylb.* Optimo jure *gratia* ejecit Schott. quam vocem alii olim editi hic intrudunt, a quo tamen peccato abhorrent nostri manu exarati. Solitum hunc esse librariorum hanc constructionem ignorantium errorem docuit Burm. ad Petron. c. 49. Davis. ad Cicer. de Nat. Deor. I. 22. Torren. ad Val. Max. III. 7. ex. 2. Cort. ad Sall. Catil. c. 6. § 7. et Jugurth. c. 88. § 4. Oros. v. 12. 'Cum sæpe populum Romanum largitionibus promissisque nimiis in acerbissimas seditiones excitavisset, maxime legis agrariæ, pro qua etiam frater ejus fuerat occisus:' ita legi potest ex Ms. cum hodie in editis conspiciatur *legis agrariæ caussa.* Virg. Æn. XI. 126. 'Justitiæne prius mirer belline laborum?' ubi Comm. et Drakenb. ad Sil. Ital. XVI. 166. ex quibus patet, quam accurate scribat Rupertus in Ench. p. 293. scriptores inferioris ævi sic tantum loqui solitos. Meliora docent infinita prisci etiam seculi testimonia. Nec incognita fuit Græcis hæc loquendi ratio. Palæph. de Incred. c. 31. Ὁ δὲ ἔθωκε τῆς ἑαυτοῦ θυγατρός. Lucæ Euang. XXIV. 29. Munck. ad Anton. Liber. c. 4. et Heupel. Can. de Dial. c. 2. *Arntz.*

Et T. Tatius] Ad hunc strenarum, quæ Kalendis Januariis mitti ultro citroque solent, originem refert Symmachus Urbi præfectus epist. x. 28. 'Ab exortu,' inquit, 'pæne Urbis Martiæ strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis: qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auspices primus accepit. Nomen indicio est viris strenuis hæc convenire ob virtutem.' *Schott.*

In arcem produxisset] Sic Mss. in

vulgatis legitur *in Capitolium perduxisset*, ut sit πρόληψις. 'Producere' autem elegantius quam 'perducere,' quasi porro ducere, auctore Nonio Marcello. *Schott.* Vulgo legitur *produxisset*, sed rectius *perduxisset*, ut mox. *Sylburg.* Malim cum Pal. uno et Schotti membranis *in arcem.* Sylburg. quidem pugnat pro retro vulgatis *perduxisset;* sed frustra: etiam 'producere' heic proprie locum habet; quemadmodum exemplis aliquot ostendit Brisson. de Verb. quæ ad jus pertinent, significatione lib. XIV. *Grut.* Verum ego cum Mss. plerisque et edit. vetust. aliter sentio, et *perduxisset* retinere malui. Adhibetur enim hæc vox de talibus, qui copias in destinatum sibi locum ducunt. Sic virgo hæc viæ dux Sabinos in certum et præscriptum locum (sc. Capitolium) perduceret. Vell. Paterc. II. 54. § 3. 'Ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia perductis ad eos legionibus.' c. 106. § 2. 'Romanus cum signis perductus exercitus:' et c. 111. § 3. 'Partem exercitus ab Urbe perduxi ad filium ejus:' quo modo fortasse reponendum ap. eundem eod. lib. c. 78. § 1. 'Perducto eorum exercitu in Syriam.' Noster inf. c. 49. § 6. 'Reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit.' Liv. XXII. 22. 'In castra Romana perducti.' Valerius Maximus lib. VI. 5. ex. 1. 'In castra Romanorum perduxit.' Frontin. Strat. II. 111. ex. 20. 'Perduceret hostes in confragosa loca:' et c. 5. ex. 35. 'In præparatas insidias perduxit exercitum.' 'Producere' autem proprie de eo duce dici existimo, qui milites ex castris educit, ut hostibus faciat pugnandi copiam. Sic Cæsar B. Civ. I. 42. § 2. 'Copias suas ad infimas montis radices producunt.' Liv. XXVI. 3. 'Eos ferociter pugnam poscentes productos in aciem.' Corn. Nep. in Milt. c. 5. § 4. 'In aciem equitum decem millia produxit.' Inf. in Cæsar. c. 35. § 4. 'Producta in speciem acie.' Sed hæ voces ita passim permutantur. Gron. ad Liv. XXX. 12. Drak. ad Silium XV. 100. Torren. ad Val. Max. VI. 2. ex. 3. Oudend. ad Lucan. III. 384. et IX. 389. V. D. ad Petron. Sat. c. 8. init. et ad Corn. Nep. in Annib. c. 5. § 3. *Arntz.*

Armillas] Ornamenta vocitata sunt, quæ viri militares ex auro ab Imperatoribus donati gerunt. Armillum autem urceoli vinarii genus, ut Nonius inquit: utrumque ab armo, id est, humero dictum. *Mach.* Scilicet solebant scutum, armillas et annulos læva manu gestare viri militares, ut est in Ovid. Am. El. III. 8. 15. 'Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum Scuta tulit: dextram tange, cruenta fuit.' *Arntz.*

Dolose repromissis] Mediol. *promissis*, a quo stat vetus liber calamo exaratus: nihil tamen muto, quod sic Sueton. frequenter loqui meminerim: tametsi promissio relationem (ut cum dialecticis loquar) sua vi significet. Loca piget huc congerere. Utitur et in Scævola auctor noster. *Schott.*

Ubi Titus] Pro *Titus* malim *Tatius* ut § seq. in vulg. lib. utrumque nomen exprimitur 'Titus Tatius:' ut paullo ante et inf. § 11. *Sylburg.* *Tatius* est in Leid. 1. et B. *Tatius Titus* Leid. 2. et F. non male, cum certum sit prænomina ipsis non raro nominibus postponi. Livii Epit. lib. II. 'Virtute Coclitis Horatii prohibitus est.' Vell. Pat. II. 33. fine, 'Haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare adsueverat.' Vide Duker. ad Flor. III. 21. § 18. et Periz. Epist. ad Heins. XXXII. tom. IV. Syll. Burm. p. 786. *Arntz.*

Habuerant] *Habuerunt* B. et T. *Arntz.*

§ 7 *Tenebant*] Cod. Fran. *tendebat;* forte pro *in montem Tarpeium tendebat.* Sed recte se habet vulgata lectio. Tenere namque locum aliquem

dicuntur duces, in quo castra posuerunt. Eumenii Paneg. Const. Cæs. dict. cap. 15. § 5. 'Signifer nefariæ factionis, cum ab eo littore, quod tenebat, abscessit.' Hirtius B. Alex. c. 6. 'Urbis partibus exclusis, quæ ab ipso tenebantur.' Plura Gronov. ad Liv. XXIV. 3. et XXVII. 17. *Arntzenius.*

Hostus] Scripsi, non *Hostius*, sequutus lapides Capitolinos, Valerium Maximum et Macrobium, qui hoc prænomen sic efferunt. *Schottus.* *Hostus* agnoscunt quoque nostri tantum non omnes: adde Sigon. ad Liv. I. 12. et de Nomin. Rom. c. 3. et Pigh. ad Val. Max. fragm. de Nomin. p. 878. *Arntz.*

Dimicans cecidit] Leid. 2. et ed. ant. *dimicando.* Cave quidquam mutes; est enim elegans locutio, cum participia illa *dimicans* et *pugnans* exprimant, tales non inultos periisse. Liv. II. 46. 'Aut prope te hic Q. Fabi dimicans cadam.' III. 5. 'Acriter dimicans cecidit.' Just. IV. 5. § 7. 'In prima acie fortissime dimicans primus cadit.' VIII. 1. § 13. 'Primus inter confertissimos dimicans cecidit:' et XXXV. 1. § 11. 'Invicto animo inter confertissimos fortissime dimicans cecidit.' Cæsar B. Gall. v. 35. § 7. 'Fortissime pugnans, dum circumvento filio subvenit, interficitur.' c. 37. § 4. et 5. VI. 40. § 7. et VII. 50. § 6. Nepos Hamilc. cap. 3. 'In prælio pugnans adversus Vettones occisus est.' Liv. XXVI. 25. 'Pro patria pugnantes morte occubuerunt.' Sic XXVII. 16. et 49. XXXVII. 11. et alibi. *Arntz.*

Fugere cœperunt] Nonnemo mutat *fugam cœperunt.* Schott. Quem ut sequamur, nulla est ratio. Hirtius Bell. Alex. c. 20. 'Temere in naves refugere cœperunt:' et Phædr. Fab. I. 12. 7. 'Venantum subito vocibus conterritus Per campum fugere cœpit.' *Arntz.*

§ 8 *Statori*] Quia fecit 'stare' aciem Romanam contra Sabinos; in qua pugna etiam vulneratus Romulus fertur. *Mach.*

Et exercitus seu forte] *Exercitui* legit B. F. et aliquot vetustæ edd. ceteri codd. nihil mutant, nisi quod eædem editt. et F. pro *forte* habeant *sorte.* Omnino male. Veteres enim philosophi, ut erant in rebus de providentia divina admodum dissidentes, putabant, res humanas duobus modis evenire; vel casu aliquo fortuito, vel consilio et administratione Deorum. Plinius in Paneg. c. 1. 'Ac si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur.' Cic. ad Famil. Ep. VII. 5. 'Ut illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videretur.' Valer. Max. VII. 2. ex. 5. 'Directum est autem sive casu sive etiam cœlestis numinis providentia.' Tacit. Ann. VI. 22. 'Sed mihi hæc ac talia audienti in incerto judicium est, fatone res humanæ ac necessitate inmutabili, an forte volvantur.' Cæsar B. Gall. I. 12. § 6. Inspiciatur Serv. ad Virg. Æn. IV. 620. J. F. Gron. ad Liv. I. 4. Wass. et Cort. ad Sall. Jug. c. 1. et Lactant. Div. Inst. I. 2. Has vero voces a librariis passim inter se confundi multis exemplis ostendi posset, quod agemus inf. capp. 7. et 13. *Arntz.*

§ 9 *Tunc raptæ*] Non ita Parisinus. Sed *tum captæ.* Schott. Sed male; 'rapere' enim propria hac in re vox. Val. Max. II. 4. ex. 4. 'Romulus raptis virginibus Sabinis.' Ascon. Pedian. Procem. Act. in Verr. pag. 57. 'Quibus aiunt raptas Sabinas esse.' Ovid. Ep. Her. XVII. 22. 'Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?' Sen. Herc. Œt. vs. 419. 'Virginum thalamos petit; Si qua est negata, rapitur:' ubi eodem modo peccant duo codd. Traj. qui legunt *capitur.* Error ceteris librariis non infrequens, uti notarunt Sciopp. Veris. I. 9. Gron. ad Liv. VI. 28. Comm. ad Petron. Sat. cap. 29. et ad Flor. I. 1. § 10. c.

12. § 4. et lib. II. c. 6. §. 2. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XIX. 74. Burm. ad Met. II. 603. et Drak. ad Sil. Ital. XV. 659. *Arntz.*

Hinc patres, inde conjuges] Mss. *matres* habent, non recte: dixit enim accusandi casu *patres*, ut totidem pæne verbis Liv. 'hinc patres, hinc viros orantes.' De virginibus enim sermo est, quarum oratio querelis plena a Livio et Ovidio; ac de Græcis Plutarcho effingitur. Parisinus verbis decurtatis legit, *et hinc patres, inde conjuges conciliarunt.* Schott. *Hinc patres, deinde* Leid. 2. Sed frustra. Martial. Ep. III. 58. 'Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur:' et IX. 55. 'Inde salutatus picæ respondit arator, Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.' Vide etiam Ep. I. 118. et Petron. in fragm. pag. 687. Porro voculam *pacem* non admittunt G. B. et F. ut *conciliarunt* ad *patres* et *conjuges* referretur, sed melius receptam tuebimur. Just. XXII. 2. § 7. 'Non pax tantum Agathocli conciliatur.' Cicer. ad Fam. Ep. X. 27. 'Pacis inter cives conciliandæ te cupidum esse lætor:' et Dares Phryg. de Exeid. Troj. c. 37. 'Postquam multa verba de pace concilianda dixerunt.' *Arntz.*

§ 10 *Fœdus*] Unde 'comitium' a *con* et *eundo* dictum, quia ibi Tatius cum rege Romano pacta iniit. *Machan.*

§ 11 *Centum senatores a pietate Patres*] Patres certe a pietate vel ab honore dicti. *Mach.* Mss. Pulmanni: *quos pro senectute senatores, Patres a pietate nominavit:* itaque *a pietate* lego, ubi vulgati *ab ætate* proclivi errore, cum idem pæne sonus sit. *Ab ætate* enim senatores, *a pietate* (vel, ut Liv. *ab honore*) Patres dicti. Cum hæc ita emendassem, vidi sententiam a Mediolan. cod. confirmari, et a Dominico Machaneo, quem ita legisse ex scholiis apparet. Putavi ergo hunc locum sic interpungendum: *Centum senatores ab ætate; a pietate Patres appellavit;* nec muto sententiam, præsertim cum amicis quibusdam eam probavero: tametsi Sallust. Catilinaria vulgatam lectionem tueatur: 'Delecti,' inquit, 'quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicæ consultabant. Hi vel ætate, vel curæ similitudine, Patres appellabantur.' Nobiscum vero facit Eutrop. L. Ann. Flor. et Mess. Corvin. 'centum,' inquit, 'senatores creavit, quos Patres ab auctoritate nuncupavit:' sic enim legendum vel *ex auctoritate* e L. Floro I. 1. *Schott.* et *Sylburg.* *A pietate* constanter omnes Mss. antiq. edit. et Mach. in aliis posterioribus est *ab ætate.* Hoc si recipiamus dicendum erit, Patres dictos esse quod reliquos ætate præirent. Dubitanter Sallust. B. Catil. c. 6. § 6. et ex eo Serv. ad Virg. Æn. V. 758. 'Vel ætate vel curæ similitudine Patres appellabantur.' Quod dicit *ab ætate* ego non credo; sic enim nulla justa esset differentia inter *senatores*, qui a senectute, et inter *Patres*, qui ab ætate dicerentur, cum utraque appellatio eodem rediret. Quare præfero alteram sententiam *a curæ similitudine*, seu, ut Noster dicit, *a pietate;* id est, cura illa paterna, qua cives prosequerentur. 'Pius' enim et 'pietas' proprie parentibus tribuitur, qui summa cura salutem filiorum suorum quærunt, et eorum commodis inserviunt. Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. vs. 41. 'Stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans.' Iscan. de B. Troj. I. 322. 'Hæc inter medios enses timet, illa Charybdin Incurrit, pietas nunquam secura quiescit.' Ovid. Ep. Her. XV. 115. 'Non aliter quam si gnati pia mater ademti Portet ad exstructos corpus inane rogos.' Epist. Her. XIX. 123. et Fast. VI. 559. Alia Manut. ad Cicer. ad Fam. Ep. I. 1. vs. Knatchbull ad Ep. Timoth. c. V. vs. 4. Hinc principibus, magistratibus, et omnibus illis qui in imperio positi sunt, 'pie-

tas' tribuitur. Sic Imperatoribus in Paneg. Eumenii pro Rest. Schol. c. 20. § 2. ' Quidquid invictissimi principes urbium, gentium, nationum, aut pietate restituunt, aut virtute devincunt:' et Paneg. Nazarii Constant. Dict. c. 6. § 5. ' Itaque non plus ex eo laudis fortitudini tuæ datum, quam pietati tributum est.' Adde Eumenii Paneg. Constantio Cæs. c. 1. § 4. et Constantino Dict. Flav. Nom. c. 7. § 4. Et, ut propius ad rem veniamus, ipsi senatui tribuitur pietas apud Suet. in Domit. c. 11. § 5. ' Permittite, Patres conscripti, a pietate vestra impetrari:' ut et apud Lampr. in Alex. Sev. cap. 11. Sic hujus vocis significatione altius repetita, ducibus Mss. et derivationis verisimilitudine, *a pietate* hoc loco omnino esse retinendum duxi. Adde Freinsh. ad Flor. I. 1. § 15. *Arntz.*

Quas a suo nomine] In quibusdam libb. abfuit præpositio. *Schott.* Neque eam agnoscunt G. B. F. Lugd. 1. et plerique ex editis: verum rectius additur. Hyginus Fab. CXCII. ' Quæ a fratris nomine appellantur Hyades.' Ovid. Epist. XIX. 125. ' Ab inviso privignæ nomine dictum.' Et Fast. V. 78. Sine præpositione tamen etiam Noster paullo post et Hyg. Fab. CXLV. ' Suo nomine Argos oppidum cognominavit:' et Fab. CLXXVIII. ' Cilix suo nomine Ciliciæ nomen indidit:' ubi tamen malim *a* vel *ex suo nomine:* ut CLXXVI. ' Qui ex suo nomine terræ nomen indidit.' Ovid. Fast. III. 783. ' Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen.' Et VI. 26. ' Junius a nostro nomine nomen habet.' *Arntz.*

Ramnenses] Alii *Rhamnenses* scribunt. Mss. concisius *Ramnes,* Parisinus *Romnes;* quam lectionem parum abest quin præferam, ut Romulo magis affinem. Utitur et auctor Pervigilii Veneris, quod a P. Pithœo Lipsius noster Elect. lib. I. publicavit: ' Unde Ramnes et Quirites, proque prole posterum Romuli matrem crearet, et nepotem Cæsarem.' *Schott.* *Ramnes* G. et F. Adi Weitz. ad Pervig. Ven. vers. 72. et Serv. ad Virg. Æn. v. 560. Eadem varietas est apud Varr. de L. L. 16. ubi quidam *Ramnes a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone.* Arntz.

Tatienses] Ita scripsi, ut præter Mss. Aldinus, Paris. et Mediolan. codd. suaserunt: suasit et M. Varro et Plut. Accedit et ratio, ne *Titiensis* a Tatio dicam prohibens, quamquam Sextus Pomp. ita derivet. *Schott.* *Titienses* vel *Ticienses* habent F. B. G. et Lugd. 1. fortasse illi a Tito non a Tatio hoc nomen deduxerunt, cum utrumque huic regi competat. *Arntz.*

A Lucumone] *A luci communione, Luceres* omnes scripti legunt: fortasse non male, quia in ' luco ' asylum, eiviumque coitio fuit: fateturque Livius se hujus centuriæ originem in tanta narrantium varietate referre non posse, an a ' Lucumone' an a ' luco,' an ' Lucero ' Ardeæ rege appellata. Suspicari libet ab Hosto Hostilio dictam, quem Dion. Halicarn. ' Luconem ' (Ausonius fortasse *Lucumonem*) Tuscum appellare videtur, et Romulo laboranti suppetias tulisse ait. *Schott.* *A Luci communione* quoque G. F. B. Retinui vulgatum, præsertim cum in Tuscia ' singulis curiis singulos Lucumones imperasse ' prodat Serv. ad Virg. Æn. x. 202. Ut novum non erit Lucumonem etiam apud Romanos præfuisse, et ab eo nomen centuriis fuisse inditum. Ascon. Ped. ad Cic. in Verr. de Præt. Urb. p. 72. ' Luceres altera a Lucumone, sive Lucretino, sive a luco, quem lucum asylum vocaverat Romulus.' *Arntz.*

§ 12 *Raptarum nomine*] Vett. libb. *nominibus:* rectius. Hinc quidam tantum XXX. raptas fuisse putant: verisimilius Juba et Dionys. DCLXXXII. raptas aiunt. *Schott.* Sed totam hanc

paragraphum delent quatuor nostri. *Arntz.*

§ 13 *Cum apud Capreæ paludem*] Ita vulgati: nos antiquos libros expressimus *ad Capræ paludem.* Utrumque dici Plutarch. auctor est. *Schott.* *Capreæ* tres Mss. et omnes, si a Machaneo decesseris, vett. edd. Utrumque quidem recte dici existimant viri docti; verum hoc observandum erit, quamvis utrumque in Mss. codd. occurrat, optimos tamen ex iis et præstantissimos fere *Capræ* præferre. Sic apud Flor. I. 1. § 16. 'Cum concionem haberet ante urbem apud Capræ paludem:' sic esse in melioribus et antiquioribus libris notat Salmasius et Heinsius ad Ovid. Fast. II. 491. ad quem locum etiam opportune monet Burmannus et ibi quosdam codd. habere *Antiqui Capræ dixere paludem.* Solin. Polyh. cap. 1. pag. 2. 'Apud Capræ paludem nonis Quintilibus apparere desiit,' ut est in Gryph. ed. et excerptis Var. Lect. *Capreæ* in ed. Salmas. Liv. I. 16. 'Concionem in campo ad Capræ paludem haberet.' *Arntz.*

Nusquam comparuit] De morte Romuli ita varia a Plut. et Dionys. referuntur, ut satius sit de illa tacere, quam varias opiniones referre. *Mach.* *Nusquam comparuit* malim. *Nunquam* quidam libri, male. *Schott.* Posteriori tamen modo Fran. et Leid. 2. et magna pars editorum, minus bene: hoc Lamprid. in Vita Comm. cap. 2. dicit, 'Nonarum Juliarum die, quo in terris Romulus non apparuit:' ut quoque August. de Civ. Dei III. 15. Terent. in Eun. IV. 3. vers. 18. 'Ille autem bonus vir nusquam apparet.' Lactant. de Mort. Pers. cap. 2. p. 42. 'Nusquam repente comparuit, ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret:' et August. de Civit. Dei XVIII. 24. 'Mortuum Romulum, cum et ipse nusquam comparuisset, in Deos retulere Romani.' Recte itaque hanc formulam defendit summus Scaliger ad Euseb. Chron. p. 77. a. Hæc ita confunduntur quoque inf. in Epit. cap. 42. § 4. et apud Virg. Æn. II. 620. 'Nusquam abero et tutum patrio te limine sistam.' *Nunquam* habent a prima manu excerpta Voss. *Arntz.*

In concionem processit] In Mss. perpetuo per *t* scriptum 'contio' reperi, quasi coitio: alioqui a 'conciere' non male per *c* scribitur, quasi convocatio. Hæc eo pertinent, ne quis damnet, ubi a vulgi scriptura sciens volensque recessero, analogiæ et librorum scriptorum auctoritati innixus. *Schott.* Per *t* solus Leid. 2. et sic depravate alii alibi codd. a quibus recte a viris doctis discessum est. Vide Dausq. de Orthogr. tom. II. p. 91. *Arntz.*

Jurejurando] *Jurando* Lugd. 2. *Arntzenius.*

Augustiore] 'Augustus' adjectivum, sacrum significat ab avium gestu, vel gustatu, quod Ovidius innuit: 'Templa vocant augusta patres, augusta senatus: Templa sacerdotum rite dicata manu.' Ennius: 'Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.' *Mach.* *Augustiore*, quippe Deus jam factus. *Augustiorem forma* Lugd. 1. quomodo etiam mutant apud Flor. I. 1. § 18. et alii ita loquuntur. Virg. Æn. I. 72. 'Quarum quæ forma pulcherrima.' Et Æn. V. 295. 'Euryalus forma insignis.' Confer tamen Gron. ad Liv. I. 9. et Suet. in Ner. cap. 1. 'Juvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse.' Ut autem Deos suos, si apparent, humano habitu ampliores fingebat antiquitas, qua de re agit Turn. Adv. XXX. 39. Lips. ad Tacit. Ann. XI. 21. et Eleg. Bronkh. ad Tibull. El. III. 6. 22. sic etiam eis qui in Deos recepti erant, hoc idem accidisse credebant, unde 'augustus' proprie tribuitur illis qui ex hominibus in Deorum numerum relati sunt. Lactant. Div. Inst. I. 15. 'Vi-

disse se regem humano habitu augustiorem.' Flor. IV. 12. fine: 'Reverentius visum est nomen Augusti, ut scilicet jam tum, cum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur:' ubi Dukerus: ac de reliquis Diis Livius V. 41. 'Præter ornatum habitumque humano augustiorem.' VIII. 6. 'Visa species viri majoris, quam pro humano habitu augustiorisque.' Adde IX. 7. et VIII. 9. Val. Max. I. 8. ex. 8. 'Vidit humano habitu augustiorem.' Arnob. adv. Gent. I. 10. 'Augustissimos illos asseveratis Deos.' Pomp. Mela I. 13. et reliqui; quare pessime *angustiore* Fran. obtrudit. *Arntz.*

Ad Deos abiret] *Adiret* legitur in Lugd. 2. quod vanum est. 'Adire' namque 'ad Deos' proprie dicuntur illi, qui supplicibus precibus ad Deorum templa accedunt. Lactant. de Mort. Pers. cap. 15. 'Sic ergo ad judices, tanquam ad Deos adiretur:' quod firmat Herald. ad Arnob. adv. Gent. I. 30. Broukh. ad Tibull. El. I. 5. vers. 39. et Burm. ad Ovid. Fast. II. 191. 'Abeunt' vero 'ad Deos,' qui post mortem in Deorum numerum recipiuntur. Cic. Tusc. Quæst. I. 14. 'Abiit ad Deos Hercules, nunquam abiisset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi viam muniisset.' Lactant. purissimæ Latinitatis imitator, Div. Inst. I. 15. 'Ipsi populo persuasit Romulum ad Deos abiisse:' et III. 18. 'Ut cum repente non apparuisset, abiisse ad Deos crederetur.' Hoc 'ire ad Deos' dixit Sen. Lud. Claud. p. 845. 'Ire in cœlum' Suet. Aug. cap. 101. Similia peccata in 'abire' et 'adire' observat Sciopp. Veris. II. 14. et IV. 6. Burm. ad Quintil. Decl. IX. 5. et cum Servio Pierius ad Virg. Æn. VI. 375. Pro sequenti *eundemque* habet B. *eum denique.* Arntz.

Ut a seditione abstinerent] Sic quidam libb., sed nostram lectionem retineo, cum sic in Lutatio Catulo loquatur. *Schott.* *A seditionibus* edidit Mach. Sed reliqui scripti (excepto H.) et inpressi in Schotti lectionem consentiunt. Tibull. El. I. 2. 57. 'Tu tamen abstineas aliis.' Just. I. 1. § 7. XII. 2. § 11. et Burm. ad Ovid. Met. X. 539. *Arntz.*

§ 14 *Auctoritati*] Quidam libb. *auctoritate* legunt. *Schott.* Sed tamen nullus ex nostris, et ita oportebat. Quo fere modo perperam tentabat Justinum Scheff. (qui pluribus in locis illi scriptori non satis felicem videtur operam navasse) ad I. 7. § 17. 'Affirmatione sua creditum est,' cum ceteri rectius *affirmationi suæ.* Pro *hujus* tres codd. *cujus.* Arntz.

Quirinus est appellatus] Hinc et Quirinalia instituta, alio nomine stultorum festa XIII. Kal. Mart. in veteri Calendario Romano et Ovidio Fast. II. item Quirites inde cives Romani appellati. In apotheosi quoque nomina mutari solita Lactantius hinc docet I. 15. *Schott.* et *Anna.*

CAP. III. § 1 *Interregnum*] *Interregno* legendum; ut tota sit una dictio, teste T. Livio ita scribente et Plutarcho. Nam, ut Patavinus historicus asserit, 'quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat, annuumque intervallum regni fuit, id abs re (quod nunc quoque tenet nomen) interregnum appellatum.' Græcus vero auctor scribit, cum ipsi Patres centum et quinquaginta essent, in parte cuilibet contigisse, cum regalibus insignibus et legitima Diis sacra persolveret, imperaretque facienda sex horas noctis, et sex diei, loco Quirini: hanc formam imperii Romani interregnum vocant. *Mach.* Locus mihi semper de mendo suspectus: videbam enim deesse aliquid, aut *diuturno* legendum: fuit enim annuum interregnum; aut Latine dicendum *cum multæ interregno seditiones orirentur.* Post cum Mss. nactus essem, ita ut excudendum curavi, legendum didi-

ei, placetque plenior ea lectio. *Schott.*

Numa Pompilius] Qui *Numa Pompellius* etiam appellabatur, quæ vox in Festo, cum de opimis spoliis agit, corrupta est in *compelli.* Schott. *Pomponii* priscæ edd. et scripti quinque. Franeq. *Pomponi.* 'Pomponis' est apud Liv. XL. 42. Filium etiam 'Pomponem' habuisse Numam tradit Plut. in Numa p. 73. 'Pompum Pompilium' patrem Numæ appellat Valer. Max. Fragm. de Nom. Rat. p. 876. ubi confer Pigh. et Sigon. de Nomin. c. 3. p. 1956. tom. II. Thes. Græv. qui receptam lectionem tuentur. *Arntz.*

Curibus] Nonnulli *a Curibus legunt.* Schott. Nulla in nostris varietas, nisi quod Lugd. 2. *Curribus.* 'Accitus' eodem modo de Numa adhibet Liv. I. 18. 'Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt, accitus...... regnum adeptus est:' et IV. 3. 'Numam Pompilium, non modo non patricium, sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum.' Et hoc factum 'per legatos' scribit Servius ad Virg. Æn. VI. 809. *Arntz.*

Adducentibus civibus] Sic editi libb., quasi comitantibus civibus, quibus et patre fratreque deprecantibus Romam venit: Dionys. l. II. Mss. omnes *addicentibus avibus,* eximie: nam Liv. I. 18. eam tamquam germanam lectionem comprobare videtur, ait enim auspicato Numam regem creatum. 'Accitus,' inquit, 'sicut Romulus augurato in Urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque Deos consuli jussit: inde ab augure,' &c. Sic et Plut. in Numa, quamquam ille, postquam jam Romam venisset, aves consuluisse scribat. Nec verisimile virum religioni deditum, domo profectum ad res tantas inconsultis avibus. Sic contra in Hostilio Mancino auctor noster dixit 'vetantibus avibus;' alibi 'adversis ominibus,' et 'adversus auspicia.' 'Addicere' autem 'aves' dicuntur in auguriis, cum aliquid volatu aut garritu approbant et ratum faciunt. Liv. I. 36. 'Negare Attius Navius inclytus ea tempestate augur, neque mutari, neque novum constitui, nisi aves addixissent, posse.' Ibidem l. I. c. 55. 'Cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere.' Ibidem 'Fabio auspicanti aves semel atque iterum non addixere.' Tacit. Hist. I. 'Anctus omnino addicentibus auspiciis, vocat contionem.' Apul. de Deo Socratis 'adjicere auguria' dixit, ut et Plautus Asinaria 'admittere aves' eadem elegantia, de qua Sextus Pomp. Liv. lib. I. 'Concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur.' Julius Obseq. de Prodigiis A. U. C. 703. 'C. Cornelius augur Patavii eo die cum aves admitterent, proclamavit rem geri et Cæsarem vincere.' Locus igitur in Seneca corruptus; etiam emendandus lib. de Vitæ Brevitate c. 14. 'Hoc scire magis prodest, quam Aventinum montem extra pomerium esse, ut ille affirmabat, propter alteram ex duabus caussis, aut quod plebs eo secessisset; aut quod Remo auspicante illo loco, aves non adduxissent:' sic libri vulgati omnes: lege, me auctore, *addixissent:* cui sententiæ facile accedit, qui Agellii Noct. Attic. XIII. 45. cum istis Senecæ componet. Messallam enim laudat auctorem, qui eam caussam maxime probet, 'quod in eo monte Remus urbis condendæ gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque in auspicio a Romulo sit.' Porro de 'addicendi' altera notione in Virginio centurione diximus. *Schott.* *Addicentibus avibus* etiam F. et B. in reliquis nihil sani: nec tamen quisquam dubitabit, quin vera sit Schotti et codd. nostrorum emendatio, nisi vellet inventis frugibus vesci glandibus. Sensu hoc frequens verbum est Livio. Præter ea

quæ Schottus, occurrit XXII. 42. 'Cum ei sua sponte cunctanti pulli quoque auspicio non addixissent:' et XXVII. 16. 'Aves semel atque iterum non addixerunt.' Tacit. Ann. II. 14. 'Auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat concionem.' Ille erit locus, qui male a Schotto adducitur. Vide Muret. ad Tibull. El. I. 4. fin. p. m. 115. et Burm. ad Ovid. Met. XV. 647. *Arntz.*

Populum ferum] Salvian. Epist. IV. p. m. 177. 'Ut nec Romanus memor esset belli, nec Sabinus posset injuriæ et illi paullo ante feri et semibarbari.' *Arntz.*

Fecit] Codices quidam *confecit.* Schottus.

Virgines Vestales] De quibus flosculos aliquos e Livio, Plutarcho, Gellio, et Dionysio, habeto: a Numa Pompilio primo institutas perpetui ignis custodes quatuor; quæ primo decennio facienda discunt, secundo faciunt, reliquo autem decennio alias edocent: post id tempus nubere possunt. Honoribus quoque multis venerantur: inter quos, si casu in quenquam inciderint ad capitale supplicium ductum, eum necari non licet; si autem aliqua virginitatem perdiderit, viva ad portam, quam Collinam vocant, defodiebatur ibi moritura, Juvenale teste: 'Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.' Erat sacerdotium Alba oriundum; habens de publico stipendium, eligebatur Vestalis patrima et matrima, inter capiendum a Pontifice Maximo 'Amata' appellabatur. *Machan.*

Flamines] Quasi 'filamines;' a filo lanæ in pilei cacumine lato. *Mach.*

Dialem] Et Martialem a Romulo, in honorem patris: Quirinalem solum a Numa institutum Plutarch. refert: reclamant Liv. et Dionys. Duos vero Martiales, non ut Noster unum, fuisse, auctor est Andreas Dominicus Floccus in libello de Magistratibus Romanis, qui falso hodie 'L. Fenestellæ' inscribitur. *Schott.* Frustra est Leid. 2. *Diales* numero plurali substituens, cum unum tantum institutum fuisse satis constet. Arnob. adv. Gent. I. 31. 'Dialem, quod ejus erat, flaminem isto jure donavit.' August. de Civ. Dei II. 15. 'Ut tres solos flamines haberent tribus Numinibus institutos, Dialem Jovi, Martialem Marti, Quirinalem Romulo.' *Arntz.*

Salios] A 'saliendo' dictos ipsa etymologia ostendit: (noster autem Martinus Salius ad verum Christum salit:) ferebant autem tunicæ pictæ insigne, et super tunicam æneum tegmen circumferentes ancilia scuta cum sollenni cantu et tripudiis. *Machan.* Illos Herculis sacerdotes fingit Virgil. Æn. VIII. 285. 'Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum, Populeis ibant evincti tempora ramis.' Livius, a quo Noster stat, Martis Gradivi facit. *Schottus.* Almel. ad Quintil. Inst. Orat. I. 10. 107. *Arntz.*

Martis] *Arcis* codd. quidam legunt. Sed frustra sunt. *Schott.*

Pontificem Maximum] Varro de L. L. lib. IV. 'Pontifices a ponte, nam ab iis sublicius est factus primum et restitutus sæpe:' non recte: tametsi et ita Dionys. in Numa, ridetque Plutarchus. Pons enim sublicius mere ligneus ab Anco primum Tiberi impositus. Idem Halicarn. lib. III. Atqui hic annos fere 30. post Numam imperium arripuit, a quo pontifices creatos hic diserte affirmat, aliique uno ore omnes. Quanto rectius Qu. Scævola Pontifex Maximus a 'posse' et 'facere' deducit, ut *Pontifex* sit quasi 'Potifex,' a potis et facio: quo et Lucanus allusit lib. I. 'Pontifices, sacri quibus est permissa potestas:' 'facere' enim sacrificare est. *Schott.*

Portas] De 'porta' Jani, quam Numa condidit, et ad finem vitæ regnique clausam habuit, Plut. in Numa, et de fortuna Romana, ubi πύλην pro

πύχην Scaliger recte corrigit; item Varro de L. L. IV. 'Tertia,' inquit, 'est Janualis, dicta ab Jano; et ideo ibi positum Jani signum, et jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in Annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit,' &c. *Schott.*

Jano gemino] Ovidius primo Fast. 'Nomina ridebis; modo namque Patulcius idem, Et modo sacrifico Clusius ore vocor.' *Mach.* *Jano geminio* codex Parisinus pro *Jano gemino,* id est, 'bifronte.' *Schott.* *Jano geminas* est in H. et Leid. 2. nec melius quatuor hæ voces *portas Jano gemino ædificavit* non apparent in Boend. *Arntzenius.*

Annos] Non *annum,* ut quidam. Nihil tamen muto. *Schott.*

In duodecim menses] Nam prius a Romulo constitutus est decem tantum: de hac autem ordinatione a Livio et Plutarcho eliciendum. *Machan.* Hanc rem alii etiam tradunt historici, sed videtur in diversa abire Eutrop. I. 3. 'Annum descripsit in X. menses, prius sine aliqua computatione confusum.' Sed puto locum mala interpunctatione laborare, et legendum esse *A. descripsit, in decem menses p.* &c. ut illud *in decem menses* non ad priorem partem, sed ad posteriorem referatur. Vide Lindenbr. ad Censor. de Die Nat. cap. 20. et Freinsh. ad Flor. I. 2. *Arntz.*

Additis] *Addito* quidam legunt. Nihil tamen muto. *Schott.* Atque ita cod. Boend. et Mach. *Arntz.*

§ 2 *Plurimas et utiles*] Vet. cod. *plures et utiles:* rectius. *Schott.* *Plures* amplectuntur uterque Leid. Boend. Fran. Haun. et antiquissimæ edd. quorum omnium consensui repugnare nefas duxi. Ignorabant scilicet librarii, comparativum hunc sæpe apud antiquos in usu esse, ubi superlativus videretur requiri: inf. de Cæsar. c. 3. § 6. 'Sapientium plures caruisse liberis utilius duxere:' et in Epit. c. 45. § 9. 'Saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures retulere.' Livius XLII. 58. 'Delecta plurium gentium auxilia.' Alia dabit Scheff. ad Justin. XI. 15. § 5. *Arntz.*

Omnia quæ gerebat] Locus mutilus a nobis restitutus ope veterum et Mss. librorum, quos religiose sequuti sumus. *Schottus.* Favent quoque pro parte Nostri. *Arntz.*

Egeriæ] Scribebant recte, non *Ægeriæ;* nam 'ab egerendo partu' dictam monuit Festus. Græci scriptores nunc Ἠγέριαν, nunc Ἐγέριαν scribunt. *Schott.* 'Mire' (verba sunt Paganini Gaudentii in Additam. Crit. Thes. Jur. tom. III. c. 28.) 'eandem vocat et uxorem et nympham, quasi nymphæ possint esse mortalium conjuges.' Nimia, ni fallor, erga Deos, ut illis erant temporibus, superstitio. Nam posse esse et fuisse etiam nymphas mortalium conjuges declarat Ovid. Epist. Her. V. 9. ubi Œnone nympha Paridem alloquitur: 'Nondum tantus eras, cum te contenta marito Edita de magno flumine nympha fui. Qui nunc Priamides, adsit reverentia vero, Servus eras, servo nubere nympha tuli.' Neque debuerat Nostrum præ ceteris reprehendere vir doct. quod eandem et 'nympham' et 'uxorem' vocet, cum Livius aliique eam tantum 'conjugem' non 'nympham' appellent. Nam eadem Nostro scribit August. de Civ. Dei VII. 35. 'Igitur nympham Egeriam conjugem habuisse dicitur.' Lactant. Div. Inst. I. 22. 'Monitu Deæ conjugis ea sacra populo se tradere.' Ovid. Fast. III. 261. 'Nympha, mone, nemori stagnoque operata Dianæ: Nympha, Numæ conjux, ad tua festa veni.' Et eod. lib. vers. 275. 'Egeria est, quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis: Illa Numæ conjux consiliumque fuit.' Martial. Epigr. VI. 47. 'Nympha mei Stellæ, quæ fonte domestica puro Laberis, et domini gemmea tecta subis. Sive Nu-

mæ conjux Triviæ te misit ab antro.' Adde Schol. Juven. Sat. III. 17. *Arntzenius.*

Nymphæ] Lympha quasi nympha, per mutationem consonantis. Sanctus Augustinus libro septimo, capite trigesimo quinto, de Civitate Dei, ait fontem fuisse, ac Numam hydromantiæ, id est, aquæ divinationis peritissimum fuisse. *Machan.*

Conjugis] Mss. *conjugis* pro *uxoris* legunt. *Schott.*

Se facere simulans] Nec primum fuisse Numam, nec ultimum, qui hujusmodi techna populum naso duxerit, abunde ostendimus in dissertationibus nostris Livianis. *Grut.*

§ 3 *Arcula cum libris*] Illud pæne præterieram pro *arcula* Mediolan. longe optimum formis excusum, quem Jo. Livineius et And. Papius eruditissimi juvenes ad me miserunt, *scrinia* habere. 'Ita duo deinceps reges,' inquit Livius, 'alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt.' *Schott.* *Scrinia* Lugd. 1. quod sine dubio erit melius, si certum sit, duas inventas arcas, ut plurimi volunt, præsertim cum etiam vox ea huic rei sit accommodatissima: 'scrinia' enim dicebantur loculi, in quibus acta principum, &c. adservabantur: inf. de Cæsar. cap. 20. § 34. et de quibusvis libris ex Martiale aliisque est notissimum. Sed cum hac in re Livius XL. 29. 'arcæ' vocabulum adhibeat, et alii de una tantum arca testentur, nihil mutare volui. Ita certe Plinius Hist. Nat. XIII. 13. et Nonius c. 3. voce 'Screbes.' *Arntz.*

A Terentio quodam] Mire variant libb. vett. alii *Terrentio* scribunt, alii *Tarentino*, ut præter Parisinum et Agrippinensis cod. habet: qui summo consensu *extracta* legunt, quod non probo. Exstat enim in lege Numæ apud Festum, ut alibi monuimus. Constat autem repertos libros in agro, dum pastinaretur, L. Petilii scribæ sub Janiculo. Vide Liv. lib. XL. ab U. C. Plinium XIII. 13. Val. Max. I. 1. Lactant. I. 22. Numero autem A. U. C. DLXXII. Goltzii Fastos secutus, nam P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo Coss. effossos Plinius et Lactantius prodidere. Itemque Plutarch. in Numa, paullo aliter quam Livius. Meminit et hujus rei Varro Manio apud Nonium voce 'Scrobs:' 'Qui dum administrant in scrobe fodiendo invenerunt arcam.' *Schott.*

Exarata] Ms. *extracta*; nihil muto: significat enim arando effossam erutamque arcam. Sic in lege Numæ apud Festum: 'si quis terminum exarasset, ipsus et boves sacri sunto.' Utitur et Cic. de Legib. II. Plinius, alii. Vide Plin. XIII. 11. et August. Civitatis Dei XVII. 34. ex Varrone Rerum Romanarum lib. V. *Schottus* not. min.

Cremati sunt] Igne abolere libros perniciosos, usitatum fuisse, non uni genti, non uni ævo, pluribus exemplis palam feci in Discursibus meis Cornelianis, Annal. IV. 35. f. *Grut.*

CAP. IV. § 1 *Tullus Hostilius*] Nepos erat, Livio teste, ejus Hostilii, qui adversus Sabinos naviter pugnando occubuit. *Machan.*

Bonam operam] Nisi me animi fallit, lacuna subest, legendumque *quia avus ejus bonam operam*, ut Livius ait: nam Tullum bene de R. P. Romana, recens nata, meritum esse legere non memini, et temporum ratio repugnat: de Hosto Hostilio recordor. Et Plinius XVI. 4. Romulum frondea coronasse Hostum Hostilium ait, quod Fidenas primus irrupisset, qui avus Tulli Hostilii fuit. Versatur et in eodem errore L. Florus, qui et alterum erratum addidit, ultro imperium esse adeptum oblatumque; ut Numæ; sic enim ait, 'cui in honorem virtutis regnum ultro datum.' Prius hic restitui potest, ut legas *virtutis avitæ*; alterum excusari non potest, etenim variant libb. Mss.

Schott. Futuram hèic ἀνιστορησίαν, nisi reponamus *quia avus ejus bonam*, haud frivole adnotatum viris doctis. *Grut.* et *Sylb.* Errorem hunc ad Flor. I. 3. § 1. etiam notarat Freinshemius. Nec tamen quidquam mutavi, præsertim cum nihil mutent codd. nisi quod duo pro *quia* legant *qui*. Non enim nostrum est, invitis codd. scriptorum errores tollere, qui et ipsi fuerunt homines. *Arntz.*

Indixit] De 'indicendo' bello historicos evolve, uti præferrata hasta in fines hostium mittebatur. *Mach.*

Trigeminorum] Horatiorum Romanorum et C[uriatiorum] Albanorum, qui singulari certamine pugnarunt, ita ut Albani Romanis succubuerint. *Mach.* Mediolan. legit *tergeminorum.* Nihil interest. Verum quomodo gemini et trigemini nascantur, vide variorum philosophorum sententias apud Plut. de Placitis Phil. v. 5. Lex de trigeminis a Tullo lata his pæne verbis concepta: 'Nati trigemini, donicum puberes esunt, de publico aluntor.' *Schottus. Tergeminorum* etiam Leid. 1. Sed admittenda est aliqua inter hasce voces differentia; aliter ac fecit Schottus. Vide de his diligentissime agentem Duker. ad Flor. I. 3. § 3. 'Trigeminus' enim de uno partu editis, 'tergeminus' de aliis rebus dicitur. Verum hac in parte non raro peccant librarii, ut apud Senec. Œdip. vs. 279. 'Trigemina qua se spargit in campos via:' sic editi; rectius cod. Traj. *tergemina:* qua voce utitur in Herc. Fur. vers. 563. et Agam. vs. 14. Et suspectus mihi Apul. Met. III. 137. ed. Elmenh. 'Trigemino corpori Geryonis vel triplici formæ Cerberi:' vellem *tergemini,* cum aperta sit imitatio Virgilii Æn. VIII. 202. et Lucret. v. 28. Similia peccata vide apud Torren. ad Val. Max. IV. 7. ex. 2. et Gronov. ad Liv. XXII. 12. Editur tamen hodie apud Oros. II. 4. 'Compendiosa tergeminorum congressione:' quamvis fortasse non ita sit in omnibus scriptis: ut et apud August. de Civ. Dei III. 14. et in l. 3. ff. 'Si Pars Hered. Pet.' quam legem pluribus illustrat exponendis legibus unice natus Bynkersh. Obs. III. 8. qui in hac historia omnino conferri meretur. *Arntz.*

Certamine] *Certatione* perpetuo Mss. et typis excusi paullo antiquiores: quod nescio quomodo magis arridet, quam *certamine,* quod numeros poëticos sonat. Hæc videntur perturbata J. Grejonio eruditissimo viro, itaque e Livio concipienda: 'certamine finivit: nam cum apud Romanos Horatii, apud Albanos trigemini essent Curiatii, ducibus Hostilio et Fufetio placuit,' &c. usque ad finem capitis, 'in diversa distractus est. Albam propter perfidiam ducis Metii diruit. Albanos, &c. cum regia conflagravit.' Lector arbitrabitur. *Schott.* Schottus in majore editione, sed aliter est in illa Plantini. *Tergeminorum bello* legit codex d'Orvil. Ex Schotto etiam Gaesb. post vocem *finivi.* contra omnes Mss. et edd. voculam *et* intrusit, eamque retinuit more suo Pitiscus, nimis uterque de suo libe[ralis]. *Arntz.*

§ 2 *Perfidiam*] Veterem scripturam retineo. Varro de Vita Pop. Rom. lib. I. 'Metium Fufetium propter perfidiam interfecit pæne imperiosius quam humanius. Nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.' Ovid. Trist. Eleg. I. 3. 'Sic doluit Metius, tunc cum in contraria versos Ultores habuit proditionis equos.' Atque huc respexisse in Ibin existimo: 'Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognoverit unus, Viscera diversis scissa ferantur equis.' *Schottus.* Grammii cod. *proditionem.* Arntzenius.

Metii Fufetii] Qui in bello Fidenati desertor Romanorum, ut proditor a quadrigis laceratus fuit. *Mach.* *Metii Fufetii* scribo ex Fastis Capitolinis, Græca consuetudine, et Medio-

lan. cod. tametsi Mss. varient. *Suffetii* Manutius ediderat, quem reliqui sunt sequnti. Metelli scriptus cod. *Metti Suffelti*, fortassis, quod veteres I longum scriberent, cum geminaretur, nam et 'CuriatI' et 'HoratI' iidem scribunt. *Schott.* Primam hujus nominis literam *F* esse, non *S* prolixe docet Sigon. Emend. I. 52. *Sylburg.* Nulli codd. in hac sibi voce constant, et mire in omnibus Mss. turbatum. Non placet omnes librariorum errores repetere; plerique *Suffetii* malunt. Sed *Fuffetii* vel *Fufetii* (quod malim) scribendum esse docuerunt eruditiores: Dausq. Orthogr. part. II. p. 187. Duker. ad Flor. I. 3. § 8. Terren. ad Val. Max. VII. 4. ex. 1. et Fabric. ad Oros. II. 4. *Arntz.*

§ 3 *Curiam Hostiliam*] Templum erat, ubi senatus ab eo rege auctus congregabatur. *Mach.*

Montem Cœlium] Alii *Cælium:* et absque diphthongo Mss. nostri. Vetus tamen inscriptio Lugdun. eam agnoscit, quam in Servio Tullio expressimus. Verum hæc de monte Cœlio Anco Marcio Strabo tribuit: Tarquinio Prisco Corn. Tacit. Annal. lib. IV. Livius a nobis stat. *Schott.*

§ 4 *Jovi Elicio*] Jupiter Elicius ab 'eliciendo' dictus, quia occultis sacris ratio eliciebatur ab eo fulminum mittendorum, cujus aram Romæ erectam scimus in Aventino. *Mach.* Ab 'eliciendo' dictum Liv. et Ovid. Fast. III. existimant: quamquam a Græca voce homo Græcus Plutarchus ἐλεέω i. e. *propitio* derivet. Non dissimulabo in veteribus nostris schidis *Delicio* legi, in Agrippin. *Cilicio*. De Jove autem Elicio Varro lib. V. extremo, et Arnob. lib. V. initio. Græcis καταβάτης dictus. Pollux lib. IX. et Turn. Adversar. XXV. 14. *Schott.* B. F. Lugd. 2. et H. *Delitio* vel *Delicio,* vitiose. Vide Godel. ad Liv. I. 20. et Burm. de Jove Fulgur. c. 9. *Arntz.*

Fulmine ictus] Recte Sigon. hic Livium emendat, qui Hostilio extremo *ipsum* pro *ictum* habet contra fidem veterum. Adscripsit et similes loquendi formas ex Livio lib. XXXIV. Lactant. lib. III. et Cicerone Offic. lib. II. Pro *regia,* ut ante, *curia* in iisdem est Mss. qui ut hoc caput in plura diducerem, auctores exstitere; et certe sejungenda esse res ipsa loquitur, neque enim particulis cohærent, et titulus ita monebat, quem sæpe inspiciendum suadet Plinius junior: sunt enim et viri illustres, tametsi capita nunc plura excurrant. *Schott.*

§ 6 *Fœdere icto*] Reponit *fœdere inito* cod. Haun. melior tamen lectio loco movenda non est, quam ceteri codd. et ipsa antiquitas tuentur. Livius XXIII. 34. 'In has fere leges inter Pœnum ducem legatosque Macedonum ictum fœdus.' Lucan. X. 371. 'Perque ictum sanguine Magni Fœdus, ades.' Seneca in Phœn. vs. 282. 'Jus ille et icti fœderis testes Deos Invocat.' Florus III. 5. § 12. 'Ictum cum Ponticis fœdus.' Vide inf. c. 30. et Gud. ad Phædr. Fab. I. 31. *Arntz.*

Ceciderunt] Agrippinense exemplum *ceciderant* legit. *Schott.* *Occiderunt* Leid. 1. *Arntz.*

§ 7 *Ut vulnerum erat dolor, interfecit*] Mendum haud dubie latet. Reposui igitur, consentientibus scriptis omnibus, vocem hactenus exsulantem, quomodo plenior et concinnior lectio est, *ut vulnerum dolor patiebatur, insequentes interfecit.* Vox una alteram sua sede deturbavit, quod utraque ab eadem præpositione inchoaretur; et vero τὸ *insequentes* omnino ad sensum facit. Livius denique, unde hæc tralata sunt, iisdem pæne verbis: 'Ergo, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus secuturos, ut quodque vulnere affectum corpus sineret.' *Schott.* A quo

tamen in diversa abeunt omnes Nostri, qui retinent *ut vulnerum erat dolor*. *Et vulnerum dolores int.* edit. antiq. Ut tamen sensus huic loco constaret, Schottum sum secutus. Simili modo Dict. Cret. de Bell. Troj. II. 1. 'Uti quisque fugientem comprehenderat, obtruncare:' et c. 2. 'Dein uti quisquis in manus venerat interficitur.' *Dolor vulnerum* est qui ex vulneribus oriebatur. Eumenii Paneg. Const. Cæs. c. 16. § 4. 'In diversos situs tracta, sicuti dolorem vulnerum fuerant secuta, jacuerunt.' Just. XXIV. 8. § 11. 'Cum dolorem vulnerum ferre non posset.' *Arntz.*

Sponsi sui] Ita enim Flor. I. 3. § 5. Val. Max. VI. 3. ex. 6. 'sponsum' vocat et 'futurum virum.' Atque ita alii. Boend. tamen et cod. Haun. habent *viri sui*, quomodo non dissimiliter Augustin. de Civ. Dei III. 14. 'Quem virum jam fide media retinebat.' In prioribus 'sponsum' dixerat. Solent quidem præsertim poëtæ nonnunquam ita loqui, ut 'virum' seu 'maritum' appellent, ubi tantum sponsalia intercesserunt. Quomodo Virgil. Æn. IV. 536. 'Quos ego sum toties jam dedignata maritos:' ubi vide Serv. et Emmen. Priceum ad Euang. Matth. cap. I. vs. 16. Eleg. Broukh. ad Tibull. El. II. 2. 11. et Schott. inf. ad Epit. c. 10. § 4. Verum non existimo Aurelium in hac voce quæsisse elegantiam, neque etiam in historica narratione hoc fieri debet, ut vocabula a communi notione detorta adhibeantur, nisi ex subjecta materia pateat quid dicere voluerit scriptor. *Arntz.*

§ 9 *Quare*] Vel *Qua re*, libb. omnes Mss. quod probo. Non itaque *Qui*. Schott. Id est, qua de caussa. Sic multæ edd. apud Corn. Nepot. Them. c. 6. § 2. 'Caussam idoneam nacti propter excursiones barbarorum, qua re negarent:' alii illud *re* ejiciunt, fortasse, quoniam *caussam* præcedat, quod tamen turbare non potest. Vide Gronov. ad Gell. IV. 1. Dousæ Præc. in Tibull. c. 10. Gud. ad Phædr. Fab. I. 11. et Burm. ad IV. 9. Giphan. Obs. L. L. p. m. 31. et Cort. ad Sall. Catil. c. 52. § 7. Quatuor codd. pro *qua re* hic legunt *quo*. Arntz.

Duumviros] Subaudi 'capitalium rerum.' *Machan.*

Condemnatus] Condemnatus Horatius parricidii est, ut Festus ait: vel cædis reus fuit, ut Halicarn. non perduellionis, ut Patav. quem multi ingeniose excusant; Turneb. Advers. XVII. 7. et c. 24. Jacob. Rævard. ad Leges XII. c. 27. et Paull. Manut. de Legibus. Sigon. de Judiciis III. 4. Et vero Ulpian. ad l. Jul. Mai. 'perduellionis reum appellat, qui hostili animo adversus R. P. vel principem animatur.' Catellianus Cotta vir doctissimus perduellionis reos dictos putat, quia a duorum judicio judicabantur hi, qui majora crimina perpetrabant. Quod Horatii nostri demonstratur exemplo, qui ad duumviros ea caussa primum creatos a rege remittitur, a quibus rursus provocare licebat: declarat hoc Cicero oratione pro Rabirio Perduell. Reo. *Schott.* Hac de re videndus Franc. Ramos Err. Trib. de Pœnis Parr. l. IV. p. 115. et aliis locis eodem libro; Ranchini Var. Lect. I. 8. et Sigon. de J. C. R. I. 20. *Arntz.*

Populum provocavit] Sine præpositione habent libb. Mss. sed haud scio an ferri debeat. Certe in Poplicola, 'ad populum' diserte ait. Cicero de Repub. I. apud Sen. Epist. XIX. provocationem ait ad populum etiam a regibus fuisse. *Schott.*

Patris lacrymis] Venustius Mediolan. *patriis*. Schott. Eorum, quibus veniam delictorum impetrarunt sui 'parentes,' exempla multa cumulavi ad illa Taciti Annal. XVI. 33. 'Montanus patri concessus est.' *Grut.* *Patris* malunt nostri codd. quod ego quidem prætulerim. Liv. I. 26. 'Non

tulit populus nec patris lacrymas:' et XXIII. 8. 'Victus patris precibus lacrymisque.' Ovid. Rem. Am. vs. 669. 'Neve puellarum lacrymis moveare caveto:' quamvis et alterum posset admitti, si addicerent codd. Propert. El. IV. 11. 57. 'Maternis laudor lacrymis urbisque querelis.' Valer. Flacc. Arg. I. 341. 'Sed patriæ valuere preces.' Sen. de Clem. II. 6. 'Donabit lacrymis maternis filium, et catenas solvi jubebit:' quo loco, uti et hic notanda elegantia est locutionis 'donare' seu 'condonare alicui,' pro alicujus caussa veniam dare. Solin. Polyh. cap. 1. sub fin. 'Donatus filiæ in memoriam tanti præconii reservatus est.' Cæsar Bell. Gall. I. 20. § 5. 'Reip. injuriam et suum dolorem ejus voluntati ac precibus condonet.' Liv. III. 58. 'Unum tot Claudiis deprecantibus condonaret.' Confer Gron. de Pec. Vet. IV. 9. p. 320. et ad Senec. Phœn. vs. 232. Muncker. Epist. ad Heins. Syll. Burm. Ep. v. 358. et Comment. ad Sil. Ital. XV. 603. *Arntz.*

Tigillum] Jugum erat, scribente Dionysio, quo duo tigilla recta defigebant, et tertium super duobus illis transversum imponebant. Sub illo capite adoperto, velut sub jugo juvenem misit: ut a cæde sororia expiaretur. *Mach.*

Suppositum] Apographon Pulmanni *suprapositum* præfert. Nihil tamen demuto; judicent Aristarchi. *Schott.* Rectius *viæ superpositum*: ut Dionys. Hal. 160. 8. *Τοῖς ἐξιοῦσιν ὑπὲρ κεφαλῆς, super capite intrantibus et exeuntibus.* Sylburg. *Subsitum* Lugd. alter. Val. Max. IX. 2. ex. ext. 6. 'Suppositoque tigno prominente:' ubi *superposito* multi codd. Quam mutationem et hoc loco sensus requirit, sed nihil in textu facile novare soleo contra Mss. *Arntz.*

§ 11 *Arcessitus*] Scripsi ex Ms. meo. et est ab 'arcio' deflexum, quod 'accio' antiquitus significabat, teste Prisciano. Diomed. vero I. 4. ab 'arceo' deducit, quod alium accusare a molestiis 'arcere' sit. Dionys. Lambin. tamen non veretur Latinum esse negare 'accerso' pro evoco, contra Diomed. lib. I. Sosipatrem lib. III. et Scaurum ceterosque literatores antiquos. *Schott.* *Accersitus* quinque Mss. sed vel pueris nota est hæc scripturæ varietas, cum eruditiores receptam facile adprobabunt. Ex multis vide Muncker. ad Hyg. Fab. LXXXVIII. vir. doct. ad Val. Max. II. 3. ex. 2. et Cortium ad Sall. Catil. c. 40. *Arntz.*

Fortunam] *Fortunam* (*belli experiretur ac*) *sequeretur*, parenthesi inclusa redundant ex libris omnibus Mss. Parisiensi et Coloniensi. Nec dubito quin aliunde inculcata sint. Livius enim totidem pæne verbis: 'Consilium,' inquit, 'erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare vires:' et L. Florus: 'Albani medii inter duos exspectavere fortunam.' *Schott.* et *Sylb.* Plane redundant, ideoque expungantur, Mss. volentibus quos consuluit Schottus, item Palatinis nostris duobus; quorum alter destituitur præterea illo *belli*. Gruterus et Anna. Neque nostri scripti, neque antiq. editio agnoscunt has voces *belli experiretur ac*. Quare Victori obtrudere noluimus id, quod omnes Mss. ejus esse negarent. Quibus accedit auctoritas codicis d'Orvil. Nec *fortunam experiretur* dicere potuit, cum ea locutio tribuatur his, qui ipsi instructa acie hostibus se opponunt, non qui otiose eventum certaminis, quod committitur inter alios, intuentur. Cæsar Bell. Gall. II. 16. § 3. 'His utrisque persuaserant, ut eandem belli fortunam experirentur:' Curtius v. 8. § 11. VIII. 12. § 18. 'Belli fortunam, quisquis arma ferret, experiri decreverat:' et c. 14. § 41. Porro apud Nostrum hoc cap. § 10. nonnulla mutatione legebat codex d'Orvil. *Metius Suffetius, cum se invidiosum apud*

cives videret, erat enim is Albanorum rex, et quod, &c. Arntz.

§ 12 *Qua re*] Forte *Eaque re.* Schott.

§ 13 *Jussu*] Mediol. *jussu ejus:* sed hæc non sunt tanti. Simile de Datami et Mithribarzane stratagema est apud Corn. Nepot. Frontin. II. V. Polyæn. lib. VII. Diodor. Sic. lib. XV. qui tamen diverse narrant omnes. *Schott.*

Distractus] Varro de Vita Populi Romani lib. I. 'Metium Fufetium propter perfidiam interfecit pæne imperiosius quam humanius: nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.' Virg. Æneid. VI. 'Turbatis distraxit equis,' &c. *Schott.* Ad hunc locum, ubi agitur de favore qui se fortuna partium vel huc vel illuc inclinat, non incommode addi possunt hæc Claudiani Bell. Gild. vs. 249. 'Restitit in speculis fati, turbaque reductus Libravit geminas eventu judice vires, Ad rerum momenta cliens, seseque daturus Victori: Fortuna simul cum Marte pependit. Et si non cupidis essem præreptus ab astris Exemplum sequerer Tulli, laniandaque dumis Inpia diversis raptarem membra quadrigis.' *Arntz.*

Cap. v. § 1 *Ancus*] *Cneus* male scribitur in quibusdam libb. *Ancus* enim dictus ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, i. e. *incurvo cubito.* Servius in Æneid. l. VI. Natus autem error, quod initio capitum litera prima omitti solet, vacuumque spatium habere, in quo minio depingi posset: hinc et *c* in secundam vocalem affinem commigravit, ut vocem literis daret. *Schott.*

Marcius] Per *c* non per Tau scribi plurimi ante me jampridem docuerunt. *Schott.* Scribit etiam *Martius* Boend. sed male. Vide Sigon. ad Liv. I. 32. Drakenb. ad Sil. VI. 403. et XIII. 700. et Torren. ad Val. Max. IV. 3. ex. 4. *Arntz.*

Pompilii] In Mss. quibusdam *Pomponii*, in aliis *Pomponis* est. Apud Senec. Epistolar. lib. XIX. exstat illud Ciceron. de Repub. l. I. 'Duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur: Anci, pater, Marcius Numæ nepos dicitur.' Andreas Patricius lacunam hærere in his Tullii verbis putat, quam sic replere conatur: *Anci pater etiam ignoratur, nisi quod is rex Ancus Marcius Numæ nepos dicitur.* Ex Liv. lib. I. et Plut. initio Coriolani, ubi Sigon. et Hottoman. Græcam similiter lectionem restituerunt. Hæc igitur genealogia ex Plutarcho elicitur:—*M. Marcius Sabinus,* Numæ comes, dum Romam commigravit: ab eodem in senatum lectus, et a Tullo Hostilio rege III. de regno contendens victus mortem sibi conscivit. Hujus filius.—*Numa Marcius,* Numæ gener, primus Pontifex Maximus ab eo factus, a Tullo rege Urbi præfectus. Corn. Tacit. lib. V. uxorem habuit Pompiliam, Plutarchus in Numa. Idem tamen diserte in libello de Fortuna Romana sorore Numæ natum ait quartum a Romulo regem. Ergo legendum esset *ex sorore nepos.*—*Ancus Marcius,* rex IV. Numæ regis ex filia Pompilia nepos. *Schott.* Vide omnino Perizon. Anim. Hist. cap. 3. p. 157. *Arntz.*

§ 2 *Aventinum et Janiculum*] Suspicari subit scripsisse auctorem *Murcium et Janiculum,* ut Aventinum collem intelligat, qui a Veneris Murciæ sacello nomen accepit. Quam conjecturam meam a Sexto Pomp. lib. XI. de Verb. Significat. comprobari, post magna voluptate legi. *Schott.* *Aventinum et Murtium* legit cod. Gram. et Franeq. *Aventinum et Marcium* seu *Martium* reliqui et ant. editio. Aliquid vitii latere ex varietate librorum certum est; sed quid, divinare non possum; nisi illud ipsum, quod jam occupavit Schottus. Interim

vulgata lectio quam profitentur editi, ex aliis etiam scriptoribus defenditur. Eutrop. I. 5. 'Aventinum montem civitati adjecit et Janiculum.' Plura Nardin. in Roma Vet. lib. I. c. 5. tom. IV. Thes. Græv. *Arntz.*

Urbi] In Parisino vetustissimo codice amplius est *Romanæ*. Schott.

Nova mœnia oppido] Urbi nimirum quadratæ a Romulo in Palatio exstructæ. Ennius apud Festum: 'Et quis exstiterat Romæ regnare quadratæ.' *Schott.*

Sylvas] Ut Mesiam, quam Veientibus ademit. *Mach.*

Salina] Taberna est salis. Salinator exigens vectigal salis; unde Livio cognomentum, ut mox dicetur: hinc Salaria via, ac ipsum Salarium. *Mach.* *Salinarium* Vascosanus excudit. Vide Plin. XXXI. 7. Sed hoc vectigal exactis regibus sublatum, auctor Livius lib. II. ab U. C. Plura infra c. 50. in 'Salinatore.' *Schott.* Vide Burmann. de Vectig. c. 6. *Arntz.*

§ 3 *Ostiam*] Scribo absque spiritu. Liv. enim 'Et in ore Tiberis Ostia urbs condita;' et Dionys. lib. III. dictam esse ait quasi θύραν et mox veteres aliquot libb. *in Ostia Tiberis eduxit.* Ostiam Strabo libro quinto Geographiæ Urbis Romæ navale appellat, quo Tiberis erumpit, eam prælerlabens. Ejus autem situm et Tiberis cursum ab urbe Roma usque in mare eleganter describit Procopius de Bello Gothico lib. I. *Schott.* Cum adspiratione tamen quinque codd. et sic editur in plerisque, etiam novissimis, Justini edd. XXXIV. 3. § 8. Sed vide Dausq. de Orthogr. part. II. p. 224. Confer J. F. Gron. ad Liv. IX. 19. Jac. Gron. ad Melam II. 4. p. m. 179. et Duker. ad Flor. I. 4. in fine. *Arntz.*

Coloniam] Id est, novos habitatores in eam colendam misit. *Mach.*

In ostia] *In ostio* quinque codd. uti in quibusdam libb. esse monet Sylburg. Solus vero Grammii scriptus *eduxit*, quod etiam in aliis se reperisse testatur Schottus, qui tamen recte vulgatam prætulit. Liv. IV. 11. 'Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati:' et c. 47. 'Censuit frequens coloniam Lavicos deducendam.' VIII. 22. 'Præterquam quod Fregellas colonia deducta.' X. 1. 'Soram atque Albam coloniæ deductæ.' XXXIV. 44. 'Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt:' et XXXIX. 44. 'Eodem anno coloniæ duæ deductæ sunt.' Vell. Paterc. I. 14. 'Deducta est colonia jussu senatus.' Supra Orig. Gent. Rom. c. 17. § 6. et alibi. Eodem modo hæ voces apud alios confunduntur. Lipsius ad Tacit. Hist. IV. 65. Gron. ad Liv. XXXII. 11. et ad Quintil. Decl. CCCXLVIII. p. 735. *Arntz.*

§ 4 *Jus feciale*] De rebus repetundis belloque indicendo, ad Numam refert Plut. Camillo. *Schott.* Not. Min.

Repetendas] *Repetundas* audacter scripsi MSP. librorum fidem consensumque sequutus. *Schott.* Sed Noster non adeo antiquitatis studiosus, et repugnant omnes scripti. *Arntz.*

Æquiculis] Etiam audacter scripsi eorundem Mss. libb. fidem sequutus. *Schott.* Quidam libb., *Æquicutis*, more antiquo. Apud Plinium 'Æquiculani' sunt, apud alios 'Æqui,' 'Æquani,' et 'Æcani.' Apud Græcos duplex tantum est diversitas. Diodoro enim et Ptolemæo sunt Αἴκικλοι, Dionysio Hal. Αἰκανοί. *Sylb.*

Transtulit] Usitatissima res Romanis, aliorum bona imitari: unde de eis Polybius VI. 23. f. Ἀγαθοὶ γάρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον Ῥωμαῖοι· de quo more non pauca nobis dicta ad illa Claudii Imp. apud Tacit. XI. 24. 'Majores mei hortantur, ut paribus consiliis rempublicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit.' *Grut.*

Primus] *Prius* tres codd. *primo* aut.

ed. perperam. Val. Max. Epit. de Nom. Rat. p. 876. 'Qui primus jus feciale instituit.' *Arntz.*

Rhesus] *Rhesum* ex Metelli archetypo appello, quem vulgati *Hesum.* Titius Probus, vel potius Julius Paris in Epitoma Valerii de Prænominibus *Sertorem Resium* nuncupat. Periculosa imprimis in peregrinis nominibus conjectura, quia incerta: idcirco Mss. codd. nostros sequor, dum certiora adferantur. Nec enim me fugit, quo in numero auctor ille esse debeat. *Schott.* *Hessus* codd. G. et F. *Hesus* B. et Lugd. 2. *Hexus* H. *Bessus* Leid. 1. Sed quis in tantis antiquitatis tenebris verum eruet? Vulnus agnovit, sed medicinam non adtulit Pighius Ann. tom. I. p. 30. neque ego ullam medendi rationem perspicio, nisi quod hoc mihi certum sit, non respicere Nostrum tempora Trojanorum (is enim Rhesus ad Trojam periit) neque illi quidquam negotii cum Æquicolis fuit. Latet sine dubio nomen principis seu regis illius gentis a qua hæc jura esse translata prodit quoque Serv. ad Virg. *Æn.* x. 14. *Arntzen.*

§ 5 *Paucos dies*] *Annos* potius. Ennius: 'Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.' Idem Annal. de Ostia colonia II. apud Festum in 'Quæso.' *Schott.*

Præreptus] *Peremtus* est in Boend. *præceptus* in Lugd. 2. quod monuit etiam Oudend. ad Lucan. II. 106. Curtius IX. 6. § 26. 'Si me præceperit fatum, vos mandasse mementote.' Sed a consensu reliquorum codd. et edd. non recedo. 'Rapere' siquidem et 'præripere' recte dicitur mors. Val. Flaccus VI. 570. 'Inmoritur primævus Helix (nec reddita caro Nutrimenta patri) brevibus præreptus in annis.' Oros. v. 19. prope fin. 'In exordio consularis imperii sera tandem morte præreptus est.' Martial. Epigr. VI. 52. 'Hic jacet in tumulo raptus puerilibus annis.' Et Epig. x. 53. Seneca in Œd. vs. 125. 'Labimur sævo rapiente fato.' Vell. Paterc. II. 107. § 3. 'Fatorum iniquitas consulem agentem annum tricesimum rapuit.' Plinius Epist. IX. 9. 'Illam, qua est raptus, ætatem posse restitui.' Suet. Calig. c. 7. 'Infantes adhuc rapti.' Justin. VII. 2. § 5. 'Qui inmatura morte raptus.' Catal. Pithœi p. 114. 'Florus ego hic jaceo, raptus bigarius infans.' Similiter Horatius Od. II. 13. 20. et 17. 5. Augustin. de Civ. Dei I. 28. et Cerda ad Virg. *Æn.* VI. 428. Lactant. Div. Inst. III. 17. 'Alios ad senectutem pervenire, alios infantes rapi.' Quam facile autem 'præreptus' et 'præceptus' confundantur patet ex notis Heins. et Burm. ad Val. Flacc. III. 543. Davisii ad Cæsar. B. Civ. III. 1. fine; Heins. ad Sil. Ital. IV. 804. Duker. ad Flor. IV. 12. § 50. et Burm. ad Ovid. Am. El. I. 2. 7. et Fast. IV. 940. *Arntz.*

Præstare regem] Parisinus, nisi mendosus codex est, *patrare* habet; quod an recte habeat, aliorum esto judicium. *Schott.*

CAP. VI. § 1 *Lucius Tarquinius*] Tarquinius profugus suasu uxoris primo Romam migravit. *Mach.*

Græci Damarati filius, Corinthi tyrannidem fugiens] Hæc ea lectio, quam Colinæus et Aldus ipse in vulgus ediderunt. Vascos. melius *Demarathi Corinthii filius tyrannidem fugiens.* Nondum vere tamen Mss. nos ad germanam lectionem manu duxerunt, *Demarati Corinthii filius ejus qui Cypseli tyrannidem fugiens.* A quibus Paris. nihil evariat, nisi quod *Damarati* rectius scribat. Mediolan. non admodum diversus abit: *Demarati filius qui Corintho tyrannidem fugiens.* Labor igitur ut *Lucumo*, et *Græci* ex ora in contextum importune irrepsisse certe credam: nam mox ait Lucumonem dictum: et si Corinthii filius, ergo et Græci: nisi forte in Africam terræ motu Corinthus tralata est.

Livius nobiscum facit: 'Damarati,' inquit, 'Corinthii filius erat, qui ob seditiones domo profugus,' &c. et Plinius xxxv. 3. unde quidam falso Cornel. Nep. hujus libelli auctorem facere conantur, ut alibi admonui: 'Cleophantum,' inquit, 'Corinthium tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Damaratum Tarquinii Romani regis patrem, fugientem a Corintho injurias Cypseli tyranni.' Vulgata sane lectio ferri non potest, tum quia mutilum, tum quia falsum sensum habet: *Damaratum* enim Lacedæmoniorum ducem etiam significare videtur, qui Athenis exsulans in patriam impius fuit. Herod. lib. v. Paull. Oros. II. 9. *Schott.* Adde Interpr. ad l. 2. § 2. ff. de O. J. et præsertim Bynkersh. in Præterm. p. 17. *Arntz.*

Cypselus] A κυψέλῃ dictus: in cistula enim, cum de ejus morte ageretur, delituit. Vide Pausan. in Corinthiacis, Lucian. in Lexiphane et Suidam. Eundem, nisi fallor, Euseb. in Chronicis Byzantium condidisse ait, Olympiadis xxx. anno quarto, post Romam conditam 96. *Schott.*

§ 2 *Lucumo*] De hujus notione nominis e Festo Pomp. Turn. Advers. II. 23. et Ausoniarum Lectionum II. 12. J. Scaliger. *Schott.*

Profectus] Mss. nostri summo consensu, quod placet; de filio enim, non de patre Demarato sermo. Valer. III. 6. legendus, qui a Steph. Pigh. est emendatus. Vulgati male *profugus*, vel, ut Gryphius, *profugit;* præter historiæ veritatem: nam in malam fere partem accipitur. *Schottus.* *Profectus* omnes scripti. De cujus lectionis veritate dubitari non debet. Corn. Nep. in Milt. c. 2. § 4. 'Cum vento borea domo profectus eo pervenisset:' et cap. 1. § 5. Vide Cort. ad Sallust. Jug. cap. 102. § 1. Ceterum *Tarquinis* pro *Tarquiniis* est in Hann. male. *Arntz.*

§ 3 *Aquila*] De aquila regina avium augurium faciente plura apud Plin. lib. x. invenies. *Mach.* Simile de aquila prodigium refert Ælius Lamprid. in vita Antonini Diadumeni capp. 4. et 5. *Schott.* Atque ita aquilæ futuri imperii omen fuerunt Clodio Albino apud Capitol. in ejus Vita cap. 5. quare in Sacris Litt. aquila regem designat, ut Ezech. c. XVII. vs. 3. Sidon. Apollin. carm. II. vs. 127. 'Multos cinxerunt aquilæ, subitumque per orbem Lusit venturas famulatrix penna coronas:' ubi alia doct. Savaro. Βασίλειον σημεῖον aquilam appellat Xenophon, Exp. Cyri I. 160. ed. Steph. Inde sceptris regum aquilæ superinpositæ erant, signum majestatis et summi imperii. Confer Spanhem. de Præst. et Usu Num. diss. IV. p. 171. *Arntz.*

§ 4 *Conjux*] Colinæus excudit, non male; sic et lapides frequenter; nam *conjugis* obliqui habent. *Schott.*

Auguriorum perita] Testatur hoc Arnob. adv. Gentes lib. v. pag. 169. 'Quem cum Tanaquil dimoveret Etruriæ disciplinarum perita.' *Arntz.*

§ 5 *Regnum intercepit*] Mox *ministravit* habet Boend. *Arntz.*

Jure] Sic de Servio Tullio L. Ann. Flor. sive is Seneca est. Atqui Priscus populi jussu, et Patrum auctoritate, et auspicato rex creatus est; nec erat regnum Romanum hæreditarium, quamvis Dionysius sic sæpe vocet. *Schott.* Ita de Servio Tullio Florus I. 6. 'Substitutus in locum regis quasi ad tempus, regnum dolo partum sic egit industrie, ut jure adeptus videretur.' Neuter autem jure adeptus regnum, quamvis uterque demum jussu populi, Patrumque voluntate regnaverit; quod alter clam irrepserit in regnum; et Patres eum non tam ultro videri queant elegisse, quam coacti: prior vero et ambitiose regnum petiit, et ab eo fraudulenter exclusit liberos Anci, pupillos suos; qui certe Tarquinio præferri debebant (etiamsi regnum Romanum

minime erat hæreditarium) ob merita parentis sui M. Anci; quemadmodum et ipse Ancus Tullo regi successit, non tam meritis propriis spectatus, quam subnixus memoria avi sui Numæ. Egregie Seneca de Benef. IV. 30. 'Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria: et esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat,' &c. Verum nos de hac prærogativa non protrita ad Tacit. Histor. III. 86. 'L. Vitellius consulatum, sacerdotia, nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus.' *Grut.*

§ 6 *Centum Patres*] Livius I. 35. 'Priscus centum in Patres legit, qui deinde Minorum Gentium sunt appellati.' 'Deinde,' id est, a L. Bruto, ex Tacito lib. XI. P. Pithœus Subseciv. Lect. II. 7. *Schottus.* Scilicet si verum est quod scribit Plut. in Rom. pag. 30. recepto in Urbem Tito Tatio centum novos senatores ex Sabinis fuisse adlectos. Sed de hac secunda lectione tacent reliqui scriptores, immo aperte contrariatur Livius I. 17. ubi post mortem Romuli tantum 'centum senatores' memorat. Vide Serv. ad Virg. VIII. 105. *Arntz.*

Minorum Gentium] A Bruto quoque hoc nomine appellatos, et adlectos ferunt, ut Tacit. Annal. l. XI. nisi mutilum locum cum Ludovico Vive dicamus, apud G. Canterum Novarum II. 24. Vide Pet. Pithœi Subs. II. 7. et Val. Max. III. 4. Onuphrius Panvinus in Roma sua, patreis istos dialecticorum speciei subalternæ seu intermediæ comparare videtur; quem adi commentariis in Fastos. *Schottus.* Unde *Minorum Gentium* mentio jam occurrit sub Servio Tullio apud Liv. I. 47. Cujus sententiam sequi malim, quam Tacit. Ann. XI. 25. quamvis dubium non sit, quin et hic suos habuerit auctores, quorum auctoritate hanc de patriciis Minorum Gentium sententiam protulerit. Supplet tamen eum hòc modo Vives: 'Quas Romulus *Majorum Gentium* L. Tarquinius *Minorum*, Brutus *Conscriptorum* appellaverant.' Sed si eo modo in veterum scriptis omnia pro ingenii sententia fingere licuerit, nihil brevi tempore superierit, de quo possit dubitari. Obscurius, ita ut facile intelligas aquam viro litteratissimo hæsisse, hanc rem proponit Augustin. de Legibus c. 7. Quidquid sit, hoc saltem constat, eos, qui in patricium ordinem recepti sunt sub consulibus, fuisse *Minorum Gentium*, quod confirmat Cicero ad Fam. Ep. IX. 21. 'Fuerunt enim patricii Minorum Gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui consul cum L. Sempronio Atratino fuit.' *Arntz.*

§ 7 *Attii Navii*] Vide Lectt. Var. Sic de vera scriptura in varias partes abeunt et codicum et virorum eruditorum sententiæ. Gramm. Hann. et Leid. 2. *Accii Nevii.* Atque ita editi. Leid. 1. *Atii Nevii.* Fran. et Boend. *Attii.* Quæ scriptura hodie hominibus elegantioribus probatur. Inspice quæ notantur ad Valer. Max. I. 4. ex. 1. et Elmenh. ad Apul. de Deo Socr. p. 48. *Arntzen.*

§ 8 *Circum Maximum*] Dictus est 'circus,' quod in circum spectaculis ædificatus est, quod ibi ludi fiunt, et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt in circum. Horat. 'Metaque fervidis Evitata rotis.' *Mach.*

Ludos magnos] *Magnos* in Parisiensi male desideratur. *Schott.* Aliter Ascon. apud La Cerdam ad Virg. Æn. VIII. 636. et Donat. de Urbe Rom. III. 14. init. *Arntz.*

Urbi] *Romanæ* plenius Parisin. ut in Anco Marcio. *Schott.* Sed simpliciter omnes nostri *Urbi* scribunt; neque enim necesse est, et abhorret a brevitate Victoris vocem *Romanæ* interponere. Quamvis sciam recte æque dici 'urbs Romana,' quam 'urbs Roma:' ut ap. Liv. III. 6. 'ur-

bem Romanam subita Deorum ira morbo populari.' XXIII. 18. 'Quod non ex Cannensi acie protinus ad urbem Romanam duxisset.' Eod. lib. cap. 29. 'Pro Italia atque Urbe Romana eos pugnare.' XXVII. 9. 'Ad prodendam Hannibali urbem Romanam:' et XXXVIII. 59. 'Quam urbi Romanæ fore erubescendum.' Justin. XLIII. 3. § 1. 'Urbs Romana ab adolescentibus conditur.' Corn. Nepos Att. c. 20. 'Non solum urbis Romanæ sed orbis terrarum esse cuperet:' ubi tamen in cod. Lugd. habetur *urbis Romæ*. Qualis etiam varietas est apud Val. Max. v. 3. ex. 2. et Vell. Paterc. II. 111. § 1. monentibus id viris doctis, et Cortio ad Sall. Catil. c. 18. § 8. *Arntz.*

In prælio] Recedunt a grammaticorum regulis Boend. Fran. et Leid. 1. substituentes *in prælium*, quod, quamvis veram Victoris manum esse certo adfirmare non audeam, multo tamen minus rejicere omnino sustineo, cum priscos sæpe ita loqui norunt omnes. Conferant juniores præter Voss. de Arte Gramm. VII. 65. Scheff. ad Justin. III. 4. § 3. Muncker. ad Hygin. Fab. XLI. Comment. ad Petron. Sat. c. 15. p. 53. Coler. ad Val. Max. VII. 7. ex. 3. et, qui alios indicabit, Cort. ad Sall. Catil. c. 19. § 3. *Arntz.*

Prætexta] Toga erat, quæ limbo purpureo prætexebatur puerorum: Juven. 'Et prætextatos referunt Artaxata mores:' etsi etiam magistratuum esset. *Mach.*

Bullaque] Insigne erat impendens rotundum, ad similitudinem ejus bullæ, quæ spiritu in aqua excitatur: Græci ἀλεξίκακον nominant, Latine 'amuletum:' nam ferebatur ad amoliendas artes magicas: quale tempestate nostra evangelium et corallium dicunt. Notum est verum illud adagium, 'Homo bulla est.' *Mach.* Sic reposui pro *et bulla*, præeuntibus et scriptis et quibusdam editis. *Arntz.*

§ 10 *Inmissis percussoribus*] Paris. pro *percussoribus* legit *percussionibus*. Schott.

Regno exutus et interfectus est] Hæc lectio non ab auctore profecta, sed primum a correctore, si Dis placet, cusa, deinde excusa, veteri occupatione locum tenuit. Tu corrige ex fide Mss. *regia excitus et interfectus est*, neque enim prius regno exutus, quam interfectus est: nec duo pastores regno exuere potuerunt; excire aula jurgiis suis et pugna potuerunt. Credo igitur ad dirimendam litem forte exiisse: quamquam aliter nonnihil Livius. *Schott.* Omnes scripti et editi agnoscunt id quod exprimi curavimus, nisi quod in Haun. sit *regno exactus*. Neque enim sequimur Schottum, cum ex Livio I. 40. pateat in ipsa regia vulneratum esse Tarquinium. Quis præterea non videt a majestate regia alienum fore ipsum regem ex regia proripere se ad dirimendam pugnam inter duos pastores, vilioris conditionis, de plebe homines? Neque illud *exutus* referendum ad 'percussores,' sed ad 'Anci liberos.' *Interfectus autem est* expone per 'effecerunt ut interficeretur,' 'jussu eorum interfectus est.' Sæpe enim quis ipse aliquid facere dicitur, quod tantum jussu suo fit. Videatur Alberti, vir, qui nuper theologiæ studiosos exemplo suo docuit, quid sit sapere supra vulgus, ad Acta Apost. c. XVI. vs. 22. Justin. XXXIX. 3. § 12. 'Tryphænam, quæ paullo ante sororem interfecerat.' Atqui non ipsam, sed ejus jussu id milites fecisse patet ex § 10. præc. Nost. inf. Epit. c. 41. § 2. 'Publica jumenta, quaqua iter ageret, interficiens.' *Arntz.*

CAP. VII. § 1 *Servius Tullius*] Quasi serviens eum peperit. *Mach.* Mss. *Tullus* perpetuo scribunt, sed corrupte: fuit enim tertii regis prænomen, et Dionys. lib. IV. hoc nomen a patre tulisse Servium auctor est. *Schott.* *Tullus* solus Lugd. 1. *Arntz.*

Publii Corniculani] Omnes pæne, quis usus sum, libb. mire variant;

pro *Publii* Mediol. præfert *Tullii.* Nec desunt qui *T.*, hoc est, *Titi*, scribendum putarint. Scripta vero lectio *Spuri Cornicularii.* Schott. Nugantur mire in his vocibus librarii: Leid. 1. *Spurii Cornicularii.* Alter *Puri Commencularii.* Fran. et Gramm. *Puri Cornicularii.* Boend. *Publii Cornicularii.* Haun. *Spurius Cornicularii ac Retiæ c. filius.* Certe *Spurium* fuisse jam quidam apud veteres crediderunt, ut patet ex Festo in voce 'Nothum:' 'Quod Ser. Tullius, qui Romæ regnavit, natus est ex concubina spurius Tulli tributis (malim *tribuni*) nisi forte maluimus credere Oclisia Corniculana captiva eum susceptum matre serviente:' attamen hoc loco *spurius* recipi non debet, ne confundat auctor duas sententias, vel ex concubina, vel ex Ocresia natum fuisse. Scripsi igitur ex vestigiis codd. et Boend. diserto testimonio Publii, quamvis libentius viderem *Tullii* agnoscere nostros, quomodo ediderat Machaneus, nescio an ex Mss. an auctoritate ductus Livii I. 39. *Corniculani* vero contra eos, quos vidi, codd. defendunt omnes editi, et prisci scriptores, qui parentes, vel matrem certe Servii Corniculo capta Romam transductos prodiderunt, unde 'Ocresia' etiam 'Corniculana' dicta apud Ovid. Fast. VI. 627. 'Namque pater Tulli Vulcanus, Ocresia mater, Præsignis facie, Corniculana fuit.' Et Fest. loc. laud. Tamen *Ocriculana* vocatur a scholiaste Juvenalis Sat. VIII. 259. 'Ancilla natus, Ocriculana captiva, Servius Tullius.' Sed et eum locum corruptum esse pro *Corniculana* mihi persuadeo. Nisi potius, quod nunc non refugio, dissensum ex ignoratione veteris historiæ agnoscamus. Eadem opera emendabis Porphyrium ad Horat. Sat. I. 6. 9. 'Tullum autem nominavit, quia serva captiva fornicularia fuit natus.' Ipse litterarum ductus et rei veritas *Corniculana* scribendum monent. 'Fornicariam,' meretricem in Latinitate sequiore novimus. Sed nemo tale quid de matre Servii dixit, et, si admitteretur, menti Porphyrii adversatur. Atque ita lege apud Arnob. adv. Gent. V. 169. 'Corniculanæ inde imperavisse captivæ:' et Serv. ad Virg. Æn. II. 683. 'Nam cum Tarquinius Priscus cepisset Ocriculanam civitatem ex captiva quadam in domo ejus natus est Servius Tullius.' Si veritatem ducem sequamur, ibi erit legendum *Corniculanam civitatem*; quæ capta est a Tarquinio Prisco. Livius I. 38. 'Ocriculum' demum a Tarquinio Superbo. Florus I. 7. *Arntzen.*

Ocresiæ] Scripta lectio *Ocreatiæ*, a quo Paris. nihil evariat, nisi quod *Ocretiæ* scribat, ut et Mediolan. Verum Lugdun. *Ocresiæ*, et inscriptio vetus quæ illic visitur; *Occrisiæ* Colon. Vidi qui et *Ocratiæ* scriberent. Sed hanc a librariis pro arbitratu cujusque factam mutationem minime mirandum, præsertim in nomine aliunde in Urbem advecto, et servæ mulieris, unde rex nomen acceperit. Festus etiam in 'Nothum,' 'Oclisiam Corniculanam captivam' vocat: ad quem locum consulendi docti interpretes. Exstat hodieque Lugduni tabula ærea, cujus exemplum amicissimus Lipsius mecum communicavit: quamobrem, quod illustrandæ rei sit, non pigebit adscribere: SERVIVS. TVLLIVS. SI. NOSTROS. SEQVIMVR. CAPTIVA. NATVS. OCRESIA. SI. TVSCOS. CAELI QVONDAM. VIVENNAE. SODALIS. FIDELISSIMVS. OMNIS. Q. EIVS. CASVS COMES. POSTQVAM. VARIA. FORTVNA EXACTVS. CVM. OMNIBVS. RELIQVIS CAELIANI. EXERCITVS. ETRVRIA. EXCESSIT. MONTEM. CAELIVM. OCCVPAVIT. ET. A. DVCE. SVO. CAELIO. ITA APPELLATVS. EST. MVTATO. Q. NOMINE. NAM. TVSCE. MASTARNA. EI NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATVS EST. VT. DIXI. *Schott.* *Ocresiæ* Fran. *Ocreciæ* Boend. *Et Retiæ* Haun. *Ocretiæ* Gramm. et nonnulli ex editis. *Occentiæ* Leid. 1. *Ac Retiæ* Leid.

post. Ex quibus, quamvis admodum corrupta sint, hoc colligitur mediam syllabam per *e* non per *i* esse scribendam, cum omnes illam vocalem agnoscant. Quare ita edidimus ex Oratione Claudii, quæ hodie conspicitur apud Gruterum, Inscr. pag. DII. atque ita voluerat Heins. ad Ovid. Fast. VI. 627. *Arntz.*

Flamma] Quæ illo experrecto cum somno evanuit: ita fastigium vidit futurum ostendens, ut ignis pyramidalis esse solet. *Mach.* Talia apud Maronem prodigia. De Iulo Æn. II. 681. 'Ecce levis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.' De Lavinia Æn. VII. 73. 'Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem, Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari; Regalesque accensa comas, accensa coronam Insignem gemmis,' &c. *Schott.*

§ 2 *Viso*] *Visu* Mediolan. *Schott.* Vet. cod. *hoc visu.* Sylb. *Visu* ex nostris Leid. 1. et Fran. quorum lectionem amplector, quæ a sciolis frustra sublata est. 'Visus' enim est quodcunque monstrum, prodigium, omen, et tale quid quod futurum præmonstrat. Virgil. Æn. III. 36. 'Rite secundarent visus, omenque levarent.' v. 90. 'Obstupuit visu Æneas.' Confer II. 212. Apul. Metam. XI. 266. 'Nec fuit nox una vel quies aliqua, visu Deæ monituque jejuna.' Præsertim tamen de nocturnis somniis, ut notum, et apparitionibus dicitur. Tibull. El. III. 4. 3. 'Ite procul, vanum falsumque avertite visum.' Vell. Paterc. II. 57. § 2. 'Uxor Calpurnia territa nocturno visu.' Tacit. Hist. IV. 83. 'Sacerdotibus Ægyptiorum nocturnos visus aperit.' Justin. I. 7. § 1. 'Quem juxta nocturnum visum ergastulo liberaverat.' Adde XV. 4. § 5. Cetera Drakenb. ad Sil. Ital. I. 64. et Vignoli in Sel. Inscr. Cl. I. p. 188. Quod autem ante legebatur *summam ei dign.* pronomen delevimus, volentibus ita Mss. et præcedit *ejus* et sequitur *eum*, ita ut sine ullo damno τῷ *ei* carere liceat. *Arntz.*

Intellexit] *Intelligit* Agrippin. cod. *Schott.*

§ 4 *Qui cum*] Ita recepimus, cum in posterioribus quibusdam edd. haberetur *cumque*, contra auctoritatem codd. et olim editorum. *Arntz.*

Gener a Tarquinio adsumtus] Ob ejus virtutes bellicas. *Mach.*

Tanaquil] Regiam claudi jubet, arbitros ejecit, simulat regem vivere; interim generum adhortatur ut capessat regnum. *Mach.*

Ex altiori loco] Desunt hæc Parisino et recte fortasse, nam 'despicere' deorsum videre est, constatque e fenestra apud concionem verba fecisse; ubi quidam *respiciens* legit; male. Non dissimulabo Ms. quendam *ex altiori* simpliciter legisse, et vox *Tarquinium* ex eodem superat. *Schott.* *Ex altiori* habet Leid. 1. Boend. et Fran. cum vetustis edd. quare omnino hæ voces delendæ non sunt. Et licet verum sit 'despicere' natura sua notare deorsim videre, tamen hoc non inpedit quo minus non adderetur *ex loco altiori* id fieri. Sic Ovid. Met. XI. 503. 'Et modo sublimis, veluti de vertice montis Despicere in valles.' Met. IV. 622. 'Ex alto seductas æthere longo Despectat terras.' Sil. Ital. XIII. 281. 'Despectat ab alto Sacra fides, agitatque virum fallacia corda.' Seneca Herc. Œt. vs. 1695. 'Quæsivit oculis, arce an ex aliqua pater Despiceret illum.' Apul. Metam. IV. 143. edit. Elmenh. 'Prostratum et semianimem ex edito despexit.' Confer Bentleium ad Phædr. Fab. II. 5. vs. 10. Quibus locis facile adducerer, ut simplex illud *ex altiori* præferrem, nisi durius quid sonaret. *Arntz.*

Priscum Tarquinium] Tarquinium delevi secutus Schotti codd., quibus adstipulantur Fran. Boend. et Lugd.

2. cum ant. ed. *Arntz.*

Servio Tullio] Antiqua lectio *dicto audientes essent* auctior et verior. Alius Ms. *dicto obaudientes essent.* In T. Livio I. 41. corrupte est 'Servii Tullii dicto audientes essent' pro *Servio Tullio*, ut et B. Rhenanus admonuit. *Schott.* Male illud *dicto* non agnoscunt unus et alter e nostris; Lugd. vero 1. *Servio Tullio dicto obedientes;* melius reliqui, ut excudi curavimus, quæ lectio nullo modo mutari debuerat. Nec scio quid moverit librarios, ut elegantissimam dictionem, neque raro obviam, et hic et apud alios sæpe corruperint. Cæsar Bell. Gall. I. 39. § 7. 'Cæsari renuntiabant non fore dicto audientes milites:' et cap. 40. § 12. Liv. v. 3. 'Plebs nobis dicto audiens atque obediens sit.' XLI. 10. 'Cum milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent.' Cœlius ad Cicer. Fam. Ep. VIII. 8. prope fin. 'Cæsar senatui dicto audiens futurus non esset.' Hygin. Fab. CXX. 'Rex sacerdoti dicto audiens fuit:' et Quintil. Inst. VII. 1. p. 583. 'Minus dicto audientem filium liceat abdicare.' Plura Gron. ad Liv. XXIX. 20. Gebhard. ad Corn. Nep. in Lysandro cap. 1. Lamb. et alii ad Datamem cap. 2. quæ Lambini emendatio latuit olim magnum Gronov., ut patet ex epistola ejus ad Heins. in Syll. Burm. tom. IV. ep. 121. quare monuit eum Heins. Ib. ep. 123. *Dicto obedientes* ferri posset, et ita loquitur Dares Phryg. de Exc. Trojæ cap. 2. 'Et si non dicto obedissent: et cap. 19. 'Monet diligenter, ut dicto obedientes essent.' Gron. ad Livium l. XXII. c. 25. *Arntz.*

§ 5 *Quasi precario*] Nam alia ipse decernebat, de aliquibus regem consulturum se fingebat. *Mach.*

Administravit] Eodem modo, ut supra cap. præc. § 5. *ministravit* repræsentant Boend. Fran. et uterque Lugd. quo modo apud Suet. in Cæs. c. 16. § 1. exhibent excerpta Vossiana: 'Ab ministratione reipublicæ decreto Patrum summoverentur.' Hoc quidem sensu *ministerium* usitatior vox est pro munere publico in republica, præsertim autem in rebus bellicis. Vell. Paterc. II. 38. § 6. 'Quippe S. C. ministerio Catonis, regis morte, quam ille conscientia acciverat, facta provincia est.' Valer. Max. IV. 3. ex. 9. 'In publico scilicet ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes:' et VIII. 13. ex. 1. 'Non solum speciosissimis reip. ministeriis.' Adde Popmam ad Vell. Pat. II. 45. § 4. *Arntz.*

§ 6 *Quirinalem*] Varro: 'Collis Quirinalis, ubi Curi Quirini fanum, est a Quiritibus, qui cum Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi castra habuerunt. Hoc vocabulo cunctarum regionum nomen, ni fallor, obtinuit.' *Mach.*

Viminalem] Varro: 'Viminalis, a Jove Viminio, quod ibi aræ sunt, ubi vimina nata fuerunt.' *Mach.* *Et Viminalem* delet Boend. Eutrop. tamen I. 7. 'Montes tres Quirinalem, Viminalem, Esquilinum Urbi adjunxit:' Livius et alii. *Arntz.*

Esquilias] Quæ sunt dictæ ab 'excubiis,' quæ ibi fiebant. Constat post eum, (Dionysio teste) Urbem non amplius auctam. *Mach.* Hæc in Parisino aberant. Scribendum autem per *s* tametsi ab 'excubiis' vox ipsa defluxerit, quod melioris soni gratia *x* in *s* migraverit. Sic et Mediolanensis impresserat. *Schott.*

Urbi] Hunc ambitum libb. quidam varie legebant: Msc. unus *et Esquilias urbi distribuit, annonam, mensuras, pondera,* &c. reliquis omissis: non placet. Agrippinensis nihil hic prætermittebat. *Schott.*

Aggerem] Mediolan. legit *aggeremque ac fossas.* Schott.

§ 7 *Ac post*] *Ac primo* Hann. legit, ut velit fortasse primum fuisse Ser-

vium, qui populo frumentum distribuerat, ut legeretur *primus*. Arntz.

Plebi] Agrippin. *plebem*, non *plebi* legit; ut populum a plebe distinxisse videatur, ut apud Agell. Capito x. 20. 'Populum in quatuor tribus distribuit ac post plebem. Annonam, mensuras,' &c. Nihil tamen demuto, quod recepta scriptura sententiam idoneam habeat. *Schott*.

§ 8 *Primus omnium*] Periodum hanc ex Mss. tribus adjeci; et vero omissus census in vulgatis temere videbatur. Censa sunt autem civium capita millia LXXX. eorum, qui arma ferre poterant. Fab. Pictor apud Liv. *Schott*. Hanc periodum Schotti, qui fere ubique largiores quam nostri sunt, proferunt codd., sed rejiciunt et inpressi et scripti omnes. Reddenda est Eutropio I. 7. apud quem totidem verbis exstat. Sic infra integrum caput ex tribus etiam Mss. inseruit Schottus cap. 35. § 12. de Pyrrho et Fabricio, quod desumtum est eodem modo ex Eutrop. II. 14. Scio aliter ibi sentire Schottum, sed pro me pugnant et Eutropii et Victoris nostri Mss. cum apud Victorem hæc tanquam spuria rejiciant, apud Eutrop. unanimi consensu ut genuina admittant, ut pateat invito auctore ab aliis huc esse translata. *Arntz*.

§ 9 *Eorum qui*] Possumus etiam specialius legere *exemplo Ionum*, ex Dion. Hal. 229. 36. *Sylb*. Scripsi *uti exemplo* faventibus antiquis edd. et Mss. *Arntz*.

Ephesiæ] Quod, Plinio teste, constructum fuit in Epheso urbe. Martial. 'Nec Triviæ templo molles laudentur honores.' *Mach*. Plin. Natur. Histor. VII. 37. 'Laudatus est Ctesiphon Gnosius, æde Ephesiæ Dianæ admirabiliter fabricata:' ubi *Chersiphron* leg. ex Strab. lib. XIV. ut et in Vitruv. libb. III. et VII. Vidit id F. Pincianus, quem honoris caussa libens nomino; cujus in omnes Plinii libros observationes jam pridem excussæ in eruditorum hominum manus venerunt. *Schott*.

Aventinus] Vel ab 'avibus,' vel ab 'adventu' hominum, vel 'Aventino' rege dictus: varie enim dantur etymologiæ. *Mach*.

§ 10 *Effecto*] Malim *facto*, ut Mss. omnes. *Schott*. Et ego malim *effecto* cum Mss. nostris omnibus (si a Boend. discesseris, in quo nulla varietas notatur) et inpressis. 'Efficere' enim erit conficere, perficere, opus ad finem perducere, quo sensu apud Cæsar. Bell. Gall. IV. 18. § 1. 'Diebus X. quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto.' Florus IV. 2. § 85. 'Congestis cadaveribus agger effectus est.' 'Efficere urbem' pro condere apud Cicer. de Divin. II. 47. Hanc vocem egregie vindicavit Burm. ad Quintil. Inst. V. 12. p. 456. et Colom. XII. 10. p. 1087. *Arntz*.

Cuidam] Mss. *quodam* præferunt. Livius autem lib. I. et Plut. Problem. l. v. 'Sabinum,' non 'Latinum' faciunt: hic etiam 'Antronem Curatium' ex Varrone et Juba rege appellat: Ille vero antea 'Latinos' semel iterumque nominat, qui templum exstruxerunt. Verum nihil hæc pugnant, quod Sabinos inter Latinos numerent. *Schott*. *Quædam* etiam volunt quinque codd. sed ab alia parte stant editi. *Arntz*.

Responsum somnio] Fortasse rectius *Responsum domino datum*. Sylb. Sed a quo igitur responsum datum, quod addi oportuerat? Igitur nil muto, nisi quod sequor duorum codicum scripturam *responsum somno*. Somnus namque idem sæpe est, quod somnium. Liv. VIII. 6. 'Si extis eadem, quæ somno visa fuerant.' Virgil. Æn. I. 353. et Serv. ad II. 794. et VI. 894. Ovid. Rem. Am. vers. 555. 'Dubito, verusne Cupido An somnus fuerit, sed puto somnus erat.' Et vs. 575. 'Placidum puerilis imago Destituit somnum, si modo somnus erat.'

Sic Epist. Her. XIII. 107. Gruter. Insc. p. LXII. num. 9. Justin. I. 4. § 2. 'Hic per somnum vidit.' Valer. Max. I. 8. init. 'Perinde ac tenebrarum somnique nube involuta:' ita ibi aliquot scripti, quo modo et apud Plin. invenimus Epist. I. 18. 'Scribis te perterritum somno;' pro quo hodie non multo melius editur *somnio*. Ceterum recte 'somnium' dicitur 'respondere,' ex cujus interpretatione aliquid futurum conjicitur. Ovid. Fast. IV. 651. 'Ille dabat tacitis animo responsa quieto Noctibus:' et quæ collegit Munck. ad Lact. Placidi Narr. Fab. p. 208. *Arntz.*

Summam imperii] Hoc est, penes eum populum summam fore potestatem, eum populum in reliquos imperium habiturum. Nulla igitur hic fides habenda codd. illis, qui *summum imperii* agnoscunt. Aliter loquebantur Latini. Cæsar Bell. Gall. II. 23. § 4. 'Duce Boguognato, qui summam imperii tenebat.' III. 17. § 7. 'Præsertim eo absente, qui summam imperii teneret:' eod. lib. cap. 22. init. V. 11. § 9. VII. 20. § 9. 'Summam imperii se consulto nulli discedentem tradidisse.' adde eod. lib. cap. 57. § 3. et cap. 63. § 5. Livius XXII. 15. 'Penes quem summa equestris imperii erat.' Vell. Pat. I. 6. § 6. 'Summa imperii ad populum Romanum pervenit.' Suet. Claud. c. 3. 'Delatam sibi summam imperii.' Vid. Brant. ad Cæsar. Civ. I. 36. Cort. ad Cicer. ad Fam. XIII. 68. et ceteros. Ferri potuisset, si fuisset scriptum *summum imperium*, ut ap. Corn. Nepot. Phoc. cap. 2. 'Apud eum summum esset imperium populi.' In Eumene c. 7. et Agesil. c. 2. Quo pacto legi ex scriptis posset apud Suet. in Ner. c. 42. 'Qui summum imperium vivus amitteret:' vulgo *suum* circumfertur. *Arntz.*

Cujus civis] *Qui prius* vulgati omnes: sed magis est ut *cujus civis* legatur, cum ex Mss. auctoritate, tum quod Livius, quem Noster religiose transcribit, iisdem his verbis usus sit, sitque sensus integrior et castior. Corrumpendi loci ansam dedere *cujus* et *civis* inter se linearum ductu affines voces. *Schott.*

Bovem illam] *Bovem illam Dianæ* Leid. 1. Non videtur recte posse abesse, cum sententia requirat. Atque ita hanc fuisse oraculi mentem, ut Dianæ inmolaretur, scribit etiam Val. Max. VII. 3. ex. 1. 'Ut quisquis eam Aventiniensi Dianæ inmolasset.' Hæc est, quæ 'Diana Aventina' dicitur Martial. Epigr. VI. 64. 'Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.' Et Propert. El. IV. 8. vers. 29. 'Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ.' *Arntz.*

§ 12 *Callidus*] Astutus, a callo. *Mach.*

§ 13 *Latinus dum*] Mss. libb. *Dum Latinus.* Schott. Et sic Leid. 1. *Arntz.*

§ 14 *Quæsivit*] *Vindicavit* Ald. et melioris notæ codd. alii *vendicavit*. Mss. vero diverse legunt *quæsivit*, adduntque *Regnavit annis XLIV*. Deinde novum caput Tulliis inscribunt. Miror tamen Mss. extremo Tarquinio Superbo adscribere *imperavit annis XXXIV.;* cum Livius, Dionysius, alii XXV. duntaxat numerent. Forte librariorum familiari audacia addendi detruncandi accidit. Fateor Euseb. et Cassiod. XXXIV. illi tribuere, verum iidem decem annos Servio Tullio ademerant, quod Noster nec hic nec alibi fecisse videtur. In Romulo autem adscripserat *imperavit annis XXXVIII.* In Tarquinio Prisco *Regnavit annis XXXVII.* In aliis vero regibus, Numa, Hostilio, et Anco nulli regnorum numeri comparent. *Schott.* Cum dicatur exstare in membranaceis *consilioque quæsivit*, non debebat sane excludi vox genuina; ejecta ab eis, a quibus minus intelligeretur: sic sane etiam legitur in Mss. Palatino uno, nam alter scribit *petivit*. Gruter. Boend. Fran. et

Gramm. *Quæsivit.* Uterque Leid. vero *petivit.* Prius consensu codicum placet pro 'adquisivit,' quo modo frequenter 'quærere imperium,' 'quærere gloriam.' Jungit pari ratione hæc duo Justin. I. 1. § 7. 'Nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant.' VI. 3. § 8. 'Tot bellis ac seculis quæsitum imperium:' et VIII. 2. § 11. 'Tantum imperium terra marique quæsierant.' Sallust. Bell. Jug. c. 87. § 2. 'Gloriam atque divitias quæri:' et Ovid. ex Ponto Ep. II. 7. 47. 'Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.' Adde Bernec. ad Just. II. 3. § 1. Acidal. ad Vell. Paterc. II. 18. § 5. et Cort. ad Sall. Jug. c. 4. § 3. Cui *vindicavit* placet, posset et id suis rationibus defendere, sed melius me facturum judicavi, si Mss. sequerer. *Arntz.*

§ 15 *Tarquinii*] *Prisci*, non *Superbi.* *Mach.* Monstrum hoc a Dom. Machaneo olim et Conr. Lycosthene expugnatum, mirum est in libris repullulare potuisse. Monuerunt enim *Prisci* legendum, ut historiæ veritas constaret; certe in antiquis duobus, nec in Mss. reperi nomen *Superbi.* Eos nepotes Prisci fuisse magis adducor, ut credam, Dionysio potius, quam Livio accedens. Sed Laur. Vallæ longa de hac re disputatio ad Alphonsum regem exstat, quæ ab Halicarnasseo sumpta, an ab ingenio sit, pronuntiare non ausim. *Schott.* Nos auctoritate quinque codicum neque *Prisci* neque *Superbi* agnovimus; hoc per se falsum erat, nec ullo colore poterat defendi. Nam dicere Tarquinium Superbum sæpe pro Prisco poni, ut fecerunt nonnulli JCti ad l. 2. § 2. ff. de O. J. nihil est; illud vero necessarium non erat, cur enim Priscus diceretur Tarquinius ante quam junior ille seu Superbus exstiterat? Hoc enim cognomen posterioribus demum temporibus illi fuit tributum, ut ab altero, cui e factis nomen Superbi fuit inditum, distingueretur. Vide Sigon. ad Liv. I. 34. *Arntz.*

Filios] Legendum est *nepotes* ex auctoritate historici Halicarnassei: non enim potuerunt esse *filii* rationibus ab eo copiose adductis. *Mach.* Sed hic agnoscendus est inter ipsos veteres dissensus: vide Comment. ad Flor. I. 7. § 2. Strab. v. 353. qui Superbum quoque Prisci filium facit, Interpr. ad l. 2. § 2. ff. de O. J. et præ ceteris Bynkersh. Neque filium hic per nepotem exponimus; cui enim inponi posset, plures scriptores eadem voce, insolita significatione, uti sæpius in eadem historia? Aliud exigit stilus historicus, qui nomina significatione propria adhibet. Et tamen fuerunt qui hoc crederent. Confer Rupert. Ench. Juris p. 63. et Noldii Hist. Idum. p. 104. et 217. *Arntz.*

Ferocem miti] *Ferocem morum simplici* Mss. quidam, forte quod ejusdem vocis repetitionem odiosam fore putarent scribæ illi semidocti, et belle operam ponentes. *Schott.* Mss. pro *miti* habent *morum simplici*; eo scilicet loquendi genere, quo apud Horat. 'integer vitæ,' 'felix animi,' et similia, more Græco. *Sylb.*

In matrimonium dedit] Platonis hoc præceptum, ut morum ingeniorumque fervor alterius modestia temperetur. Memini illud in Apul. extremo libro de Dogmate Platonis legere, sed quoniam neque Plato, neque Asini Aurei scriptor ad manum est, verba describere non potui. Legendus et Sext. Aurel. Victor in Juliano Imperatore de Plotina uxore Trajani. *Schott.*

§ 16 *Forte*] *Forté* legendum a nominativo 'fors.' Vox in optimis quibusque auctoribus corrupta, qua de in Clœlia. Dionysius veneno sublatos putat: miror igitur dubitare quosdam. *Schott.* Plerique tamen Mss. male *sorte* retinent. Melius apud Liv. XXII. 49. 'Seu forte seu consilio nulli

fugientium infestus agmini.' Sed solennis hic est error librariorum, qui has voces inter se commutarunt. Inspice Voss. ad Cæsar. Bell. Gall. II. 21. § 1. Heins. ad Claud. Bell. Get. vers. 370. Cort. ad Sall. Jug. cap. 1. init. et nos pluribus inf. ad cap. 13. *Arntz.*

Feroces morum similitudo conjunxit] Ita rege secundas volente nuptias. *Mach.* Hujusmodi matrimonia Sacræ Literæ prohibent per Johannem Baptistam Matth. XIV. et Imperatoriis constitutionibus cavetur eam, quæ in manum fratris convenit, etiam dissolutis seu morte seu repudio nuptiis, duci citra incesti crimen non posse: l. 'Nemini' C. de Nupt. l. 'Fratris.' C. de Incest. Nupt. *Schott.* Confer Heinec. ad Leg. Jul. et Pap. II. 17. p. 212. *Arntz.*

§ 17 *Paternum*] Quod Victor 'paternum regnum,' L. Flor. 'avitum' vocat I. 7. *Schott.* in Not. Mis. *Patrium* uterque Lugd. *Patris* Hann. *Arntz.*

§ 18 *Dum ad curiam properat*] Inquit enim Servius, 'Quid hoc, Tarquini, rei est? qua tu audacia me vivo vocare ausus es Patres, aut in sede considere mea?' unde a Tarquinio minaciter respondente interfectus est. *Mach.*

Gradibus] Cod. antiq. calamo exaratus *in gradus.* Cujus auctoritatem secutus τὸ *statim*, ut superantem vocem stylo confodi, et hinc furcis expuli. *Schott.* *Gradibus ejectus* præfert Lugd. 2. et Hann. *rejectus* Gramm. neuter bene. 'Dejicere' est de loco alto jacere. Ovid. Met. I. 718. 'Saxoque cruentum Dejicit, et maculat prærruptam sanguine cautem.' *Arntzenius.*

§ 19 *A qua jussa turba recedere*] Sic excusi omnes. Libri scripti propius veritatem *a quo jussa turba discedere.* Mediolan. tamen *decedere.* Livius totidem pæne verbis: 'a quo facessere jussa ex tanto tumultu, cum se domum reciperet,' &c. unde in scripta lectione præpositionem deesse video, *e* vel, *a turba.* Neque enim turbam cedere, sed uxorem tumultum effugere jubet. *Schott.* Unanimi tamen consensu omnes scripti præpositionem illam non admittunt, et genuinam scripturam exhibent, *a quo jussa turba decedere.* Quibus verbis voluit Tarquinius, ut ipsa turba decederet, verum ut uxor ejus e publico abiret et domum se conferret. Eodem enim modo adhibent Latini hoc verbum cum vel sine præpositione. Livius XXXI. 5. 'Ne obsidionis quidem metu fide decessissent.' Val. Flaccus Arg. II. 297. 'Patria liceat decedere terra.' Et IV. 522. 'Nunc quoque Achenoreis idem decedere tectis Imperat.' Vell. Paterc. I. 1. § 4. 'Uter cum parte multitudinis patria decederet.' Tacit. Ann. XIV. 49. 'Aut Thrasea decessit sententia.' Curtius V. 13. § 23. 'Nullo regente decesserant militari via.' Quin etiam vitiose dici 'decedere ab aliqua re,' cum scribendum esset *de aliqua re*, recte monuit summus Gronov. ad Livium XXVII. 10. *Arntz.*

Evitantem] Nulla hic esse posset vitii suspicio, nisi alter Lugd. *cunctantem* pro *evitantem* ostenderet: quam quidem ego lectionem non inelegantem judico. 'Cunctari' dicuntur illi, qui ea quæ præcipiuntur aut non libenter faciunt, aut facere omnino nolunt. Tacit. Hist. III. 50. 'Undecima legio sese adjunxerat initio cunctata.' Just. I. 6. § 14. 'Cunctantibus sublata veste obscœna corporis ostendunt.' XXIV. 8. § 7. 'Proinde ne cunctarentur, Diis Antesignanis, hostem cædere.' XXVI. 1. § 9. et Cæsar Bell. Civ. I. 1. § 4. Simile scelus narrat Justin. XLI. 6. § 5. Pro *præcepit* habet *coëgit* Leid. 1. *Arntz.*

Sceleratus] Antea Cyprius dictus: sed, quia filia aurigam cunctantem scabello percutiens jussit, coëgitque super cadaver paternum currum

ducere, inde Scelerato nomen fuit. *Mach.* Immo, aliam ob caussam porta dicta est Scelerata, quia infelici successu exierant Fabii; aliam ob caussam vicus Sceleratus, propter nefandum in patrem scelus, neque enim hoc factum infelicitatis nomine excusari potest. Sic eas enumerans, quæ inpiæ erga parentes fuerant; Hygin. Fab. CCLV. scribit, 'Tullia Romanorum supra parentis corpus currum duxit, unde vicus Sceleratus est dictus.' Val. Max. IX. 11. ex. 1. 'Vicum cognomine sceleris commaculavit:' et Duker. ad Flor. I. 12. § 2. Videtur etiam diversas has origines confundere Salvagn. ad Ovid. in Ibide vers. 365. *Arntz.*

Cum conjuge] Arante, inquit Poncherius, male: alioqui non incuriosus interpres. Oblitus forte Tarquinium Superbum maritum Tulliæ junioris secundis nuptiis factum, et, quod aliquot versibus antecessit, ab ea instigatum ad regnum capessendum, regemque ab ea primo consalutatum. Livium enim Noster auctorem, non Dionysium sequitur. De hoc Tulliæ facto sic Varro de L. L. lib. IV. 'Prope hunc vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore, quod ibi, cum jaceret pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, jussit.' *Schott.*

CAP. VIII. § 1 *Superbus*] Quia socerum gener sepultura prohibuit. *Mach.* Verba sunt Livii I. 49. Attamen ob multa alia hoc nomen meruisse constat ex iis quæ attulerunt viri docti ad Flor. I. 7. § 1. Propertius El. III. 11. 47. 'Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures, Nomine quem simili vita superba notat?' et Serv. ad Virg. Æn. VI. 819. *Superbus* solet esse epitheton illorum regum, qui inpotenti dominatione in suos sæviunt, et concessa sibi potestate abutuntur. Livius IV. 15. 'Capite multatos ob superbiam regiam.' XXIII. 7. 'Pyrrhi superbam dominationem, miserabilemque Tarentinorum servitutem, exempla referens.' XXIV. 5. et XXVIII. 42. Sallust. Bell. Catil. c. 6. § 7. Apul. Met. IX. 234. 'Frustra eum suis opibus confisum tyrannica superbia comminari.' Justin. XXXIX. 1. § 5. 'Nec Syris quemlibet regem adspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam:' etiam XXXV. c. 2. § 3. Lactant. Div. Inst. VII. 15. prope fin. Sulpitius Severus Hist. Sacræ I. 32. § 5. 'Dominationem regiam et superba imperia exponere:' et Dict. Cretens. de Bell. Troj. IV. 22. 'Ceterum Priamum cuncta jura affinitatis proculcantem magis in suos superbiam atque odium exercuisse.' Confer Burmann. ad Petron. in Sat. c. 18. *Arntz.*

§ 2 *Regnum sceleste*] Nam per amicos pessimos in capitales causas plures illustres viros adduxit; primum quidem nuntios, qui Tullium regno excipere noluissent, deinde etiam ex ceteris, unde nihil aliud, quam prædam sperare posset. *Mach.* Sceleste regnum occupat, qui sublato legitimo rege vel regni herede, summam potestatem invadit. Livius XL. 57. 'Oppressit igitur nec opinantes, et regnum scelere partum invasit.' *Arntzenius.*

Latinos] Facile eos sibi conciliavit auctore Mamilio, ac Turno Herdonio feroci eorum duce e medio sublato. *Mach.*

Suessam] Parisin. *Sceam Pom.* Mss. *Deam Pom.* Nescio quid velint. Et pro *Etruscis* Mediolan. *Volscis*, cui emendatum jam locum referre acceptum convenit: non enim in Etruria, sed in Volscis urbs ea fuit, auctor Plinius III. 5. Livius quoque I. 53. 'Is primus Volscis bellum in ducentos amplius post suam ætatem annos movit, Suessamque Pometiam ex his vi cepit.' Et Strabo lib. V. Σόεσσαν (ita enim Græci nominant) Volscarum urbium matrem fuisse memorat. Lycosthenes etiam sic legendum cen-

set: textus tamen nullam varietatem præfert. *Schottus.* Vulgati libb. *Pometiam Hetruscis eripuit*, sed *Volscis* cum veteribus libb. probat etiam Corvin. sup. 378. 26. et Livius lib. I. *Sylb.* *Sceam* Haun. Gramm. et Lugd. 2. *Suesam* Boend. Male de Nostro sunt meriti, qui has voces distinctione a se separarunt *Suessam, Pometiam*, cum conjuncte legendæ essent. Vide Gruter. ad Flor. I. 7. et Cellar. in Geogr. Ant. II. 9. Ceterum *Etruscis* recipiunt sine ulla varietate omnes nostri. Fortasse Victor hanc Suessæ descriptionem hausit ex antiquiori scriptore, qui Volscos, et per consequens Suessam, inter Etruscos numerabat, cum Volscos olim subjectos fuisse imperio Etruscorum scribit Serv. ad Virgil. Æn. XI. 567. Sed cum jam ante Schottum *Volscis* sine dubio ex Mss. in contextum receperit Machaneus, malui eos sequi, quod posteriores etiam fecerant editores. *Arntz.*

Simulato transfugio] Nam filius, consilio cum patre communicato, transfugit saucius, verberatusque virgis, sanguine plenus, simulavit se a patre verberatum: benigne acceptus demum dux belli legitur: duxerat autem multos equites Romanos exsules tyrannidem fugere simulans: tandem re Gabinia in potestate habita nuntium secreto cum literis misit, cui nihil pater respondit, sed cacumina papaverum disjecit: quo signo intellexit capita primorum civium truncanda. *Mach.*

§ 3 *Locos*] Emendatio hæc a Mediolan. lib. est: locus enim fœde ab emendatoribus contaminatus circumferebatur, cum præter rei veritatem *lacus* legerent vulg. libb. omnes. Melius Mss. *Ludos.* *Locos* autem puto appellasse, quos Livius ipse *foros*, id est, 'loca spectandis ludis fabricata.' *Lacus* in circo fuerunt quidem alter major, alter minor; sed longo post tempore effossi. Dionys. lib. III. *Schott.* Pro *Locos* vulgati libb. habent *Lacus.* Duo Mss. *Ludos.* Ad *locos* magis accedit, quod Dion. Hal. 246. 24. scribit Tarquinium τὸν ἱππόδρομον παστάσιν ὑποστέγοις περιλαβεῖν, id est, *circumtectis porticibus circumplexum esse.* Sylburg. Nec nostri conveniunt. *Lacum* Boend. *Latus* Fran. *Lacus* Leid. 2. *Foros in Lacus circo* Leid. 1. ex more librariorum, qui sæpe variantes lectiones solent geminare, et utramque adponere, ut habeat lector eligendi copiam. Vide Salmas. ad Flor. I. 13. § 2. et c. 22. § 1. Duk. ad II. 16. § 3. Victor. ad Cicer. ad Fam. Ep. III. 8. et passim. Neque dubium erit, quid potissimum ex hisce duobus eligendum, cum *foros* facile præferet is, qui Livium I. 56. unquam inspexerit: 'Foros,' dicit, 'in Circo faciendos, cloacamque maximam receptaculum omnium purgamentorum Urbis sub terram agendam.' Festus in 'Forum:' 'Fori significant Circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus.' Adeundus Chimentellus de Honore Bis. c. 20. p. 2104. *Arntz.*

Cloacam maximam] De cloaca maxima Gronovius ad Sen. Exc. Controv. Præfat. III. p. 428. ed. maj. *Arntz.*

Quiritium] *Quiritum* est in tribus codd. nempe utroque modo hic formatur genitivus, verum optimi passim Mss. *Quiritium* malunt, nec fallunt hac in parte poëtæ. Horat. Od. I. 1. 'Hunc, si mobilium turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribus.' Et alibi. Conferatur Sigon. ad Liv. I. 33. Sic 'jus Quiritium' notum præsertim ex JCtorum libris. Cic. pro Cæc. c. 33. 'Qui enim potest jure Quiritium liber esse is, qui in numero Quiritium non est?' Plures laudat Schultingius ad Ulpian. tit. III. § 1. et aliis eodem in libro locis, cujus operis laudes, cum prædicatione nostra non indigeat, seri etiam nobiscum extollent nepotes. *Arntz.*

§ 4 *Cum Capitolium*] Male Franeq.

dum? sequente enim subjunctivo *cum* retinere oportet. Patet id ex iis quæ attulit Gronov. ad Liv. II. 47. Burman. ad Phædr. Fab. III. 10. 13. Eodem modo cap. præc. § 19. peccarat idem cod. scribens *dum domum rediret*. Hanc ob caussam faveo Ryckio et Dukero apud Flor. III. 12. § 10. restituentibus *dum spectaculis indulget*. Sed hæc leviora videbuntur illis qui aberrare, quam minutias tales observare malunt. *Arntz.*

Caput hominis] Idem Livius ac Dionysius asserunt. Recens videbatur *integra facie;* ac e consulto haruspicum, Etruscorumque responsum ibi caput mundi fore. *Mach.* Toli nomine: unde Capitolium dici cœpit, quod ab Arnobio tantum proditum memini: ridicule sane: est enim vocis productio 'tolium,' ut 'mentum' in testamento, teste Cicerone. De Capitolii autem origine Tacit. Histor. Aug. III. extr. qui ad Tarquinium Priscum refert. *Schott.*

§ 5 *Obsidio*] Vulgo *obsidione*. Ego de Mss. omnibus reposui *obsidio*. Sic enim sine litura scripserant auferendi casu, ab 'obsidium' generis neutrius: quo veteres scriptores usos frequenter Festum et Nonium testes habeo: quorum ille Sallust. Hist. I. laudat auctorem: 'Magnis operibus perfectis' (sic enim legendum) 'obsidium cepit per L. Catilinam legatum.' Et C. Lælium in Orat. pro se ad populum: 'Ut nobis terra marique simul obsidium facerent.' Hic vero Ennium: 'Cum sævo obsidio magnus Titana premebat.' Sed de his vide quæ in Quinctium Cincinnatum notavimus copiosius. *Schottus.* Nec aliter Plautus in Bacchid. IV. 9. 24. 'Is Helenam abduxit, cuja caussa nunc facio obsidium Ilio.' Florus II. 6. § 5. 'Itaque ad auditum sociæ civitatis obsidium.' Notarunt alia Keuchen. ad Frontin. Strat. III. 5. ex. 2. Ryckius ad Tacit. Ann. XIII. 41. Dukerus ad Flor. II. 2. § 21. et Cortius ad Sall. Fragm. IV. 986. Ita et hoc loco in prima editione textum mutaverat Schott. et Sylburg, quem sequitur Gaesbek. et illa Pitisci: in posteriore autem Schotti est *obsidione*, quod tuentur editi olim et omnes scripti, quamobrem nihil mutavimus. *Arntz.*

Ardeæ] Urbs Etruriæ fuit ab augurio avis Ardeæ dicta, si credimus Virgilio in Æneid. lib. VII. scribenti: 'Quam dicitur urbem Acrisioneis Danaë fundasse colonis, Præcipiti delata noto: locus Ardea quondam Dictus avis, et nunc magnum tenet Ardea nomen.' Refert autem Turnum in ea regnasse. Inde Ardeliones dicti, multa incipientes, nihil perficientes, et volantes in scientiarum apices, ignotis principiis. Martial. 'Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.' *Mach.*

Lucretiæ stuprum] De hac narratione nonnullam inter Dionys. ac Liv. et talem quidem observavimus, differentiam. Græcus auctor sentit Lucretiam acerbissime casum suum ferentem, quam celerrime ascendentem vehicula, Romam venisse, ubi se interfecit. Latinus pudicissimæ matronæ internecionem Collatiæ factam scribit. De modo quoque aliquid interesse, solers considerabit lector. Ovid. graphice II. Fastorum describit: 'Cingitur interea Romanis Ardea signis, Et patitur lentas obsidione moras. Dum vacat, et metuunt hostes committere pugnam, Luditur in castris; otia miles agit. Tarquinius juvenes socios dapibusque meroque Accipit: ex illis rege creatus ait,' &c. *Mach.*

Ad Porsennam] Scriptura est Mss. omnium. Silius, Martialis, cæterique poëtæ corripiunt, metri fortassis caussa: 'Hanc spectare manum Porsena non potuit.' Virgil. Æneid. VIII. produxit: ubi Servius uno n. *Porsenam* semper dictum ait. *Schott.* Ex nostris tamen multi *Porsenam*, et

sic solere optimos codd. scribere dudum monuerunt viri docti. Pierius ad Virg. Æn. VIII. 646. Vorstius ad Val. Max. III. 3. exemp. I. et Dukerus ad Flor. I. 10. § 1. Exempla ex poëtis, ubi media corripitur, habet Dausq. de Orthogr. II. 246. Hoc loco quoque *Porsenam* ediderat Machaneus, Aldus, Gryphius, et ceteri. *Arntzenius.*

Retinere] Melius veteres *recuperare.* Schott.

§ 6 *Cumæ*] Strabo: 'Sunt vetustissimum Calcidensium, et Cumæorum ædificium: antiquitate enim cunctas, et Siciliæ et Italiæ, urbes antecellit.' *Mach.*

Per summam ignominiam] Vetus cod. non male *cum summa ignominia.* Schott. Et sic ediderat Machaneus, quod facile admitti posset, cum eleganter ita loquantur Sallust. Jug. c. 14. § 15. 'Clausi in tenebris cum mœrore et luctu morte graviorem vitam exigunt.' Justin. XVI. 2. § 7. 'Cum magna rerum gestarum gloria moritur.' Adde quæ ad Sall. notavit Cortius. Attamen mutare nihil nolui, cum scripti non mutent (de nostris loquor) nec locutio hæc alteri elegantia cedat, vel eodem illo Sallustio teste in Jug. c. 2. § 4. 'Per luxum atque ignaviam ætatem agunt.' *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Sorore*] Mss. *ex sorore.* Hic Livio repugnat, qui Egerii filium facit Tarquinium Collatinum, et nepotem tantum Tarquinii Prisci ex fratre. Vide Alex. Neapol. Genialium Dierum, v. 27. *Schott.*

Contubernium] Nomen est militare, Vegetio auctore scribente: 'contubernium autem manipulum vocabatur ab eo, quod conjunctis manibus pariter dimicabant.' Inde ad pacem translatum, quasi sub iisdem tabernis ac domibus comessales vivere soleant. *Mach.*

Ubi cum forte] Parisin. et Agrippin. *Unde cum forte liberiore convivio.* Schott. *In* non reperitur in codice Grammii et edit. Annæ. *Arntz.*

Conjugem suam] Ovid. 'Quisque suam laudant: studiis certamina crescunt.' *Mach.* Non potuerat eo tempore consulere Nasonem, qui tutius præcepisset Art. lib. I. vs. 741. 'Hei mihi non tutum est, quod ames, laudare sodali, Cum tibi laudanti credidit, ipse subit.' Exempla enumerare non est mei instituti. Notissimus est Justini locus I. 7. *Arntz.*

Et luxu] Corrupti hic erant et interpolati libb. scripti, nisi quod *vel lusu comprehendunt* legisse videntur. *Schott.* *Vel lusu* Fran. et Gramm. Non incommode sane hæc vox *lusu* retineri posset, quomodo et apud Liv. I. 57. (unde hæc videntur petita) conjecit magnus ejus emendator Gronov. *In convivio lusuque cum æqualibus viderant:* cum hodie habeatur *luxuque.* Similiter Hyginus Fab. CVIII. 'Ipsi noctu lusu atque vino lassi obdormissent.' Nec ideo tamen *luxu* rejiciendum erit. Recte etenim 'luxus' adhibetur de hilarioribus conviviis, in quibus ultra modum Baccho et Genio indulgetur; de conviviis quæ immodicis sumtibus instructa sunt. Tacitus Ann. XV. 37. 'Celeberrimæ luxu famaque epulæ fuere.' Claudian. Bell. Get. vs. 367. 'Nuntius in luxum falso rumore resolvit Dum marcent epulis, atque inter vina chorosque Persultat vacuis effrena licentia tectis.' Sulpitius Severus Hist. Sacr. II. 6. § 3. 'Cum his per luxum et licentiam regalis convivii promiscue uxores concubinæque uterentur.' Sueton. Tito c. 7. init. 'Suspecta in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem etiam comessationes extenderet.' Claudian. Rapt. Pros. II. 326. 'Gentesque sepultæ Luxuriant, epulisque vacant genialibus umbræ.' Cum mensis, luxum jungit etiam Lucanus I. 162. 'Prædaque et hostiles luxum suasere rapinæ: Non auro tectisque modus, mensasque priores Aspernata

fames:' quo loco pro *tectis* malim legere *textis;* ut de instrumentis aureis stratisque tricliniorum loquatur, adeoque de conviviis, quæ omni genere luxus abundabant, quo vitio maxime laborabant posteriora reip. Romanæ tempora. Sic 'luxum, aurum et texta' seu strata triclinii, jungit Virgil. Æn. I. 641. 'At domus interior regali splendida luxu Instruitur, mediisque parant convivia tectis. Arte laboratæ vestes, ostroque superbæ; Ingens argentum mensis.' Et Æn. VI. 603. 'Lucent genialibus altis Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ Regifico luxu.' Claudian. in Ruf. I. 206. et seqq. Sed ne aberremus, pari significatione apud Græcos occurrit τρυφή. Ælian. Var. Hist. I. 19. Herodian. I. 8. § 2. II. 7. init. et cap. 11. § 3. Porro non novum est, voces 'lusus' et 'luxus' inter se confundi. Exempla vide apud Gronov. ad Sen. Hipp. 449. et ad Liv. I. 5. Colerum ad Val. Max. VI. 9. § 5. *Arntz.*

Collatiam] *Collatium* Fran. et Boend. *Collatina* Lugd. 2. *Et inde* pro *exinde* scripsimus, volentibus ita omnibus exaratis manu. *Arntz.*

In lanificio] Quod castæ matronæ argumentum. Varro de vita P. R. lib. I. 'Cum interea in lucubrando faceret juxta ancillas lanam.' Terent. in Andria: 'Primum hæc pudice vitam parce, ac duriter Agebat, lana ac tela victum quæritans.' *Schott.*

§ 3 *Collatiam*] Simulavit negotium habere militare. *Mach.*

Et in cubiculum] Gemmam orationis abjecerunt inepti librarii, admisso scabro lapide. Monuit enim Schottus noster pro his omnibus hærere tantum in Mss. suis, *et pudicitiam cubiculi expugnavit;* qua scriptura nihil excogitari queat venustius. Impudicum quidem deinde esse cœpit cubiculum Lucretiæ; ipsa vero neutiquam. Hæc tam elegans lectio adeo ineptiit oculis Sylburgianis, ut vulgarissima alioquin variantis scripturæ discrimina annotare solitus, ne hujus quidem verbulo meminerit. *Gruterus.* Receptam tuentur nostri, nisi quod quinque et ed. Mach. particulam deleant. Sic scilicet optimo seculo poëtæ, et post etiam prosæ scriptores construebant 'irrumpere' cum quarto casu sine præpositione. Ovid. Met. XV. 598. 'Ille quidem potuit portas irrumpere apertas.' Drak. ad Silium II. 378. Lucan. II. 327. 'Pulsatæ sonuere fores, quas sancta relicto Hortensi mœrens irrupit Marcia busto.' Tacit. Hist. I. 83. 'Imperatoris sui tentorium irrumpet:' apud quem nihil est frequentius. Similia vide apud Heins. ad Claud. Præf. Rapt. Pros. I. 11. Burmann. ad Valer. Flaccum II. 211. et Torren. ad Val. Max. III. 2. § 8. Supra *jure propinquitatis domum*, omisso *in*, legit Lugd. 1. *Arntz.*

Pudicitiam expugnavit] Postquam nec precario, nec pretio obtinuit, dixit: Te occidam, famulumque unum mactans ponam simul corpora vestra, dicam quod indecenter te in complexu deprehendens servi supplicio vos affecerim, injuriam cognati persequens. Ita ut turpem finem probrique plenum subeas, nec honore sepulturæ corpus tuum dignetur. Ovid. 'Interimam famulum, cum quo deprensa fereris, Succubuit famæ victa puella metu.' *Mach.*

§ 4 *Rem exposuit*] His fere verbis, quæ e Bruto Cassii (vel ut Scaliger emendat *Attii*) Varro profert de L. L. lib. VI. 'Nocte intempesta nostram devenit domum.' *Schott.*

Texerat] *Gesserat* Mss. noster. Nihil muto: Virgil. 'Aperit ramum quem veste tegebat.' *Schott.* *Texerat* constanter retinent scripti, et ita oportebat. Certe Valerius Maximus hanc historiam referens scribit VI. 1. exemp. 1. 'Ferro se, quod veste tectum adtulerat, interemit.' Livius XXVI. 15. 'Atque ita gladio, quem veste texerat, per adversum pectus transfixus.' Apul. Met. II. 129. 'Sta-

tim denique gladium, quem veste mea contectum ad hos usus extuleram.' Arnob. Adv. Gentes v. 166. 'Priusquam veste velaret et tegeret.' Virgil. Ciri vs. 280. 'Aperit ferrum, quod veste latebat.' Pro scripta tamen lectione stat Justin. VII. 3. § 6. 'Ferro, quod sub veste gerebant, compescere jubet:' et XXXVIII. 1. § 9. 'Cum ferrum occultatum inter fascias gereret.' *Arntz.*

§ 5 *Illi in exitium regum*] Brutus Collatinus et Lucretius. *Mach.* Reges hic sunt rex cum filiis. Notum enim est rex vel regina dici de regis filiis, uti Ovid. Ep. Her. XII. 1. 'At tibi Colchorum, memini, regina vacavi.' Livius XLII. 24. in fine de Gulussa filio Masinissæ: 'Ita regulus Carthaginiensesque dimissi.' Virg. Æn. I. 273. Servius ad Virg. Ecl. III. 106. Abrah. Gronov. ad Justin. VI. 1. § 5. Burm. ad Val. Flacc. I. 174. et VI. 657. *Arntz.*

Vindicaverunt] Vindictam fecerunt: nam 'vindicare' ad se trahere significat. *Mach.*

CAP. X. § 1 *Brutus*] Quasi 'brutorum' vitam imitans: Ovid. 'Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis:' unde a Græcis 'Elithius' dictus, id est, stultus. *Mach.*

Sorore] Rursus *ex sorore* quidam legunt: sequiturque suo more Livium. Dionys. enim amitam Superbi Tarquiniam facit, unde Brutum natu grandiorem, cum Tarquiniis, liberis regiis, Delphos profectum, colligi potest. Non me fugit, incertam esse et multis retro sæculis controversam genealogiam regum Romanorum. Livius enim Superbum Prisci filium facit, Dionysius ex filio nepotem fuisse argumentis, ac temporum ratione astruit, quem plerique omnes sunt secuti. Laurentii tamen Vallæ longam pro Dionysii sententia adversus Patavinum scriptorem disputationem Andreas Alciatus J. C. insignis oppugnat lib. Παρέργων cap. 8. Nam Pomponii D. l. 2. de Origine Juris, Tarquinium Superbum Damarati Corinthii filium affirmantis jampridem explosa sententia est, cum nepos tantum fuerit, si Livium sequimur; sin Dionysium, abnepos. Quidam igitur sic legerunt: *illis temporibus, quibus Tarquinius Damarati Corinthii filius:* quam ego, nisi a Mss. est, non temere recipio: vulgatum tueor parva immutatione facta: *quibus Superbus Damarati Corinthii filii F.* Sic enim unica litera *filium* Mss. fere repræsentant, quod cum librarius ignoraret, audaciter omisit. Zazii enim, aliorumque nimis coacta purgatio est. Filii verbo hic nepotem contineri, quod ll. permittunt. l. 'Filii' appell. et l. 'Justa.' D. de Verb. Signific. Nam historica hic narratio est, quæ vocum proprietatem sibi vindicat, non alio vi quadam detorta verba. Vide Erici Glareani, viri optime de historia Romana meriti, tabulam familiæ hujus regiæ in T. Livio. *Schottus.*

§ 2 *Delphos euntibus*] Causa potissima eundi fuit, quia anguis e lignea columna lapsus adeo regem terruerat, ut legatos miserit Delphos ad oraculum Apollineum consulendum, quibuscum Brutus ludibrii causa profectus est. Delphi urbs est in radicibus Parnassi, ubi pendebat umbilicus, signum eam urbem in medio conditam Græciæ, auctore Strabone nono Cosmographiæ suæ. *Mach.*

Deridiculi] In Mss. est, ubi vulgo *ridiculi.* *Deridiculi gratia,* ut Plautus loquitur in Amphitrione: 'Quid obsecro tu me deridiculi gratia sic salutas?' Ibidem etiam *ridiculi causa* dixit. Et in Pseudolo, 'verba per deridiculum dare.' *Schott.* *Ridiculi* Boend. Lugd. 1. Hann. et Gramm. et cum his vetustæ edd. *deridiculis* Leid. 2. Porro pro *comes adscitus* Leid. 2. legit *omnis accius:* Leid. 1. Boend. et Hann. *comes accitus:* Fran. *Actitus:*

unde fortasse refingendum *comes additus*. Hic enim sequitur Liv. I. 56. 'Comes his additus L. Junius Brutus.' Claudian. de Rapt. Pros. I. vs. 229. 'Pallas et inflexo quæ terret Mænala cornu Addunt se comites.' Virgil. Æn. II. vs. 339. 'Addunt se socios Ripheus, et maximus armis Æpytus.' Sen. Herc. Œt. vs. 952. 'Adde me comitem tuis, Threicia conjux, sceleribus.' Quamvis et vulgata defendi possit, ut Apul. Met. VI. 184. 'Comitibus adscitis, qui vulnerati remanserant, actutum recurrunt:' et hoc jam malim, quam quidquam mutare. Vide eodem modo in hac voce variantes librarios apud Cort. ad Sall. Catil. cap. 47. § 1. et Scheffer. ad Justin. XXII. 1. § 6. Eumenii Paneg. in Nat. Urbis Trevir. cap. 15. § 6. 'Qui ab illo fuerat frater adscitus:' et Ausonius Paneg. c. 3. 'Instar filii ad imperium frater adscitus.' Pro *infusum* legit Haun. *infixum*. Vitiose. Confer Stephanium ad Saxonem Grammaticum Hist. Dan. lib. III. in fine: 'Quod postmodum igni liquatum clam cavatis baculis infundendum curavit.' 'Inclusum' dixit Val. Max. VII. 3. ex. 2. *Arntz*.

Donum tulit] Hæc eadem oraculi verba referens Val. Max. VII. 3. ex. 2. 'Penes eum summam urbis nostræ potestatem futuram.' Liv. lib. XXXVI. cap. 11. 'Penes quem tum summa potestas erat, in suam sententiam adduxerat:' et sæpius alibi. *Arntz*.

§ 3 *Ipse terram osculatus*] Ut communem omnium parentem. Virgil. Æn. XI. initio: 'Non jam mater alit tellus.' Homer. et Pindar. sæpius γῆ μήτηρ. Suet. Cæsare c. 7. 'Quando mater, quam subjectam sibi vidisset, non alia esset, quam terra, quæ omnium parens haberetur:' et Tiberio cap. 75. 'Pars terram matrem Deosque Manes orarent.' Vide Plinium II. 63. Sed quam terram audito oraculo osculatus sit, quæri video. Delphicam Plinius ait l. XV. cap. ult. Italicam Livius lib. I. et Dion. Hal. lib. IV. et Ovid. Fast. lib. II. Plerique non explicant. *Schott*. De Italia, id quod rei etiam convenientius esse videtur, intellexit hoc Servius quoque ad Virg. Æn. III. 96. cum scribit, 'qui primus matrem reversus oscularetur.' Utique hoc intelligendum est, cum iterum Italiam pervenissent. Et nota sunt quæ passim 'de terra matre' tradidere veteres. Ex multis evolve Dict. Cretens. de Bell. Troj. V. 10. Serv. ad Virgil. Georg. II. 11. et Æn. IV. 178. et Comment. ad Petron. Sat. c. 39. *Arntz*.

§ 5 *Filios suos, fratrisque*] Vox *fratrisque* non solum in Mss. sed et in Parisino abfuit, pro quo illi, *eo quod*, legebant. *Schottus*. Cum non agnoscatur vox *fratrisque* a Schotto tribus codicibus calamo exaratis, neque ejus ullum sit vestigium in Palatinis, injurie nimis adhuc retinetur. Eat ergo deinceps Morboniam: falsa enim est, nedum supervacanea. *Grut*. Cum Gruterus quatuor codicum testimonio *fratrisque* relegare non dubitaverit, potiori et ego jure in eandem ei sententiam ire possum, cum sex scripti, quibus usi sumus, quatuor istis accedant. Neque 'filios' fratris ab eo esse interfectos apud alios proditur, qui Bruti liberorum tantum meminerunt. Serv. ad Virg. Æn. l. VI. vs. 819. et quos laudat Camers ad Flor. I. 9. § 5. Si retinenda fuisset hæc vox, non *fratrisque*, sed *fratresque* scribendum fuisset. Id enim etiam alii testantur, non solum filios suos, sed duos præterea uxoris suæ fratres jussu ejus esse necatos. Augustin. de Civ. Dei III. 16. 'Occisis a se ipso primitus filiis suis, et uxoris suæ fratribus:' ubi adeundus Leon. Coquens. Sed neque *fratresque* ferendum, quum illi fratres erant ii ipsi, qui statim sequuntur, Vitellii. Confer Livium II. 4. *Arntz*.

Aquiliis] Aquilii erant filii sororis

Collatini collegæ. *Mach.*

Vitelliis] Vitellii sororii erant Bruti. *Mach.*

Ad recipiendum] *Recipiendos* habet Lugd. 1. haud dubie a librario, cui durior hæc videbatur constructio. Mira enim sæpe librarios invasit libido mutandi, detruncandi ea omnia, quæ a vulgaribus grammaticorum regulis paullulum recedebant. Sed sic optimos quosque locutos esse scriptores, innumera exhibent exempla. Manilius I. 10. 'Das animum viresque facis ad tanta canendum.' Cicero Orat. in Catil. III. 8. 'Neque res ulla, quæ ad placandum Deos pertineret, prætermissa est.' Liv. VII. 5. 'Nullis domi militiæque ad conciliandum gratiam meritis:' et XXVI. 43. 'Ad urbem unam oppugnandum si quis vos adductos credit.' Cæsar Bell. Civ. I. 34. § 2. 'Profectum item Domitium ad occupandum Massiliam.' Seneca de Benef. I. 1. 'Quia non opus est ad liberandum fidem facultatibus.' Sueton. in Galba c. 18. § 5. 'Ad ornandum fortunam suam Tusculanam:' ubi non sequor excerpta Vossiana, quæ *ornandam* præferunt, præterquam quod sonum auribus ingratiorem efficiant. Frontin. Strateg. IV. 5. ex. XXI. 'Cohortati ad patiendum fortiter mortem:' ubi eodem errore Mss. *patiendam* nobis obtrudunt. Adde Fabrum ad Justin. XII. 2. § 3. Stephan. ad Saxonem Gramm. Hist. Dan. lib. V. pag. 116. et erud. Comment. ad Flor. I. cap. 9. § 4. *In urbe* uterque Lugd. quod non negligendum fortasse. Nonnulla loca hic me attulisse video, quæ etiam ab Oudend. producta sunt ad Frontin. III. 6. § 7. Sed eosdem legimus scriptores, neque ulla hic in me plagii suspicio, licet eam non metuam, potest cadere. Illo enim tempore, cum is liber exiret, jam operas occupabat Epitome. Et res ipsa levioris momenti est. *Arntz.*

Conjuraverunt] Ut altius intelligatur hoc facinus: conjurati forte apud Vitellios conspirati fuerant, ut Livius; sed, ut Dionysius, apud Aquilios. Interim vero servorum quidam vini præbitor ex urbe Cænina captivus, cujus nomen erat Vindex, suspicatus hos viros aliquid moliri pravi ob ministrorum ablegationem, solus foris restitit ad ostium; sermonesque eorum percipiens, et literas ab omnibus scriptas vidit (ad compaginem quandam ostii perspicuam visum adhibens) ac egressus rem detulit ad consules, ut Patavinus scriptor ait: ut Halicarn. ad Valerium, qui postea Poplicola dictus: quo facto, et per magistratus, maxime a Bruto sumpto de reis supplicio, tandem ejecti legati Tarquinii, Collatinusque in exsilium missus, atque regibus penitus amplius redeundi desperatio facta. *Mach.*

§ 6 *Se ambo*] Lego *congressus est, ubi ambo mutuis vulneribus ceciderunt.* Levis in speciem emendatio, quæ libris antiquis debetur, lucem et venustatem addens orationi; cum antea legeretur *se ambo mutuis vulneribus occiderunt.* Ceterum de origine funebrium laudationum Plutarchus disserit in Poplicola, et nuper summæ vir accurationis Jo. Kirchmannus de Funeribus Rom. II. 18. *Schott.* Et hoc loco a Schotto discessimus, cum expressam lectionem defendant omnes scripti et editi, cum Eutropio I. 10. 'In prima pugna Brutus et Aruns Tarquinii filius invicem se occiderunt:' et Floro I. 10. 'Donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere exspiravit.' *Arntz.*

§ 7 *A collega laudatum*] Constat apud Romanos hanc primam orationem funebrem recitatam, inde exordium fuit orationem post mortem clarissimorum virorum factam in exsequiis prædicare; etsi prius Athenienses laudem funeream legi præposuerant his, qui novissime pug-

nando in Artemisio, Salamine, Marathone, Plateis pro patria occubuerant. *Mach.*

Luxerunt] Pullis ac atris vestibus indutæ fuerunt. *Mach.* Non recte *anno* desideratur in Lugd. 1. quod adesse debet. Eutrop. I. 10. 'Quasi communem patrem per annum luxerunt.' et cap. 11. 'Quem matronæ, sicut Brutum, annum luxerunt.' Adde Grang. ad Juven. Sat. VIII. 267. Livium, alios. *Arntz.*

CAP. XI. § 1 *Porsena*] Post bellum a Romana libertate gestum contra Veientes ac Tarquinienses arma regibus restituendis capessentes, in quo haud dubie Romani superiores exstitere, potentissimus Etruriæ rex defensionem atque prœlium pro Tarquiniis suscepit, et illico infesto exercitu Romam accelerat, non impetratis a senatu Romano per legatos quæ volebat. *Mach.*

Janiculum] A 'Jano' dictum, ut Janualis porta, de qua ita Janus primo Fastorum: 'Arx mea collis erat, quam vulgus nomine nostro Nuncupat; hæc ætas Janiculumque vocat.' *Mach.*

Cocles] De 'Coclitis' nomine vide Plinium XI. 37. Varro de L. L. lib. VI. 'Ab oculo Cocles, quasi Ocles dictus, qui unum haberet oculum.' Scaliger tamen a κύκλωψ sic dictum putat. *Schott.*

Pro] Id est, 'ante.' *Mach.* Uti 'pro rostris,' 'pro tribunali,' et alia. Confer Gronov. ad Justin. III. 5. § 9. Heins. ad Albin. Eleg. de Morte Drusi vs. 288. Burman. ad Val. Flacc. IV. 110. et Cort. ad Sall. Catil. cap. 18. § 8. *Arntz.*

Sublicio] Mss. hic variant: unus *Sulpitio* habebat, et supra adscriptum *subfilicio Tiberis:* alter *Sublicio.* Dicitur autem a 'sublicibus,' id est, trabibus magnis inter se connexis. 'Licio' enim antiquis connectere significabat: et sublicas trabes illas dixerunt quæ invicem colligantur. Græci Romanarum rerum scriptores ξυλίνην γέφυραν, id est, *ligneum pontem* appellant. *Schott.*

Solus] Ita pleniores libb. vett. *Schott.* Ut inutilem tamen hanc vocem rejecerant aliquot nostri. Addit Horat. Ep. II. 1. 1. 'Cum tot sustineas et tanta negotia solus.' Servius ad Virgil. Æn. VIII. 646. 'Solus Cocles hostilem impetum sustinuit.' Florus I. 10. § 4. *Arntz.*

Sustinuit] Mediol. *substinuit*, ut fere in Tarquinio Prisco. Iidem mox illud *statim* adjiciunt. *Schott.*

Cum quo statim] *Tum quo* Gramm. illud *statim* nullus agnoscit, quare neque nos recepimus. At nemo quod sciam, e veteribus tradidit, eum in Tiberim 'decidisse,' verum omnes in fluvium 'desiluisse' reliquerunt, quare mallem *Tum in Tiberim desiluit*, vel *tum se in Tiberim dejecit.* Illud potuit habere a Livio II. 10. 'Ita sic armatus in Tiberim desiluit.' Hac vero ratione Frontinus Strat. II. 13. ex. 5. 'Audito deinde fragore pontis abrupti, dejecit se in alveum.' 'Se in Tiberim misit' dixit Val. Max. III. 2. exem. 1. Tuetur tamen se vulgata hoc Sidonii Apoll. loco carm. V. vers. 72. 'Nec ponte soluto Cum caderet, cecidit.' Scio me primo olim intuitu conjecisse *cum equo in Tiberim desiluit*, quod tamen ut male natum mox abdicavi eo nomine, quia peditem fuisse Coclitem ceteri reliquerint historici, attamen dissensu veterum aliqua coloris specie defendi ea conjectura posset, si vera est sententia Begeri, qui transnatantem equoque insidentem in tabula exhibet ad Flor. I. 10. Eadem varietas observatur in Clœlia virgine, quam alii nando, ceteri equo transiisse flumen testantur, de ea re Drakenb. ad Sil. X. 498. Sed de statua illa infirma satis sunt omnia, cum notum sit, antiquitatum ignaros sculptores quotidie falli, quod tam facile in historico cogitari nequit; atque

utinam hoc de auctore nostro semper adfirmare liceret. Præterea et pictura illa ad aliam historiam referri potest, ut nihil tutum pronunciari queat. Similis in lectione discrepantia est apud Appul. lib. VIII. init. 'Natalibus prænobilis, equo clarus,' &c. ubi codex Ms. *qui clarus*. Arntz.

Transnavit] Scribo auctoribus libris scriptis; cujus præpositionis elegantiam librarii multis in locis corruperunt. Non longe abiero: in Suetonii Cæsare cap. 20. in antiquis libris *transduxit* reperi, et in Octavio cap. 2. Apud Cæs. Bell. Gall. lib. I. 'Multitudinem Germanorum in Galliam transducat:' ibidem et 'transdidisset,' 'transdere' sæpe pro tradere. Sed exemplis congerendis supersedeo. Apud Plin. Nat. Hist. VIII. 32. quod propius ad rem facit, in Mss. de cervis, 'maria transnatant, gregatim natantes,' ubi vulgati *tranant*. Schott. Aliter tamen sentit Pierius ad Virg. Æn. IV. 245. *Transnavit* hoc loco uterque Leid. *Transmeavit* Fran. *Transnatavit* Haun. Eodem modo et in hac et in aliis vocibus dissentiunt codd., ut tutius credam utrumque admittere. Guntherus Ligur. de Gest. Barbar. II. 431. 'Non tam flumineas transit, quam transnatat undas.' Vide Gronov. ad Liv. XXVII. 29. Drakenb. ad Sil. IV. 489. et Torren. ad Val. Max. I. 8. ex. 2. *Arntz.*

§ 2 *Circumarari*] *Ambire* Mss. omnes: Paris. et Agrippin. *arari*. Schottus. *Arari* Leid. 2. Boend, Haun. et Gramm. *arare vel arata* Fran. *circum arari* Leid. 1. Vicit apud me plurimorum codicum consensus. *Arntz.*

Vulcanali] Videlicet, teste Livio, in Comitio: 'Vulcanalia Varro a Vulcano, quod ei tum feriæ, et quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit.' *Mach.*

CAP. XII. § 1 *Obsideret*] Fran. *possideret*, quomodo Mamertinus Paneg. Julian. cap. 4. § 1. 'Antiquissimasque urbes barbari possidebant.' Claudian. Cons. Honor. III. 66. 'Barbarus Hesperias exsul possederat urbes.' Lucan. VII. 710. 'Adspice possessas urbes.' Cæsar Bell. Gall. I. 34. § 3. Livius XXXI. 31. 'Urbem, ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit.' Sed tamen nondum Porsena Urbem occupaverat, sed ejus tantum faucibus imminebat, nisi *possideret* summas pro ita clausam tenebat, ut possidere videretur, cum nulla fere in armis spes superesset. Sed nihil erit innovandum. In præcedentibus post *Porsena* vocem *rex* delevimus cum omnibus scriptis. Editi legunt *Porsena rex cum*. Arntz.

Mutius Cordus] Post ustam enim manum dictus est Scævola, quasi a 'scæva,' id est, sinistra, et 'vola,' id est, concavitate: nam dextra inhabilis erat. 'Scævi' enim, Ulpiano jurisconsulto auctore, 'dicuntur, qui sinistra manu pro dextra utuntur.' *Mach.* *Scævola* vel, ut lapides Capitolini, *Scævula*, in libb. antiqq. non comparet. Post enim *Scævula* appellatus ἀπὸ τοῦ σκαιοῦ, id est, *sinistro* et *lævo*. Qui hic *Codrus* fecerunt ('rumpantur ut ilia Codro') imperite et audacter, somniarunt ducem Atheniensem, qui se quoque pro patria devovit. *Schott.* *Scævola* occurrit tantum in Haun. quinque autem pro *Cordus, corde*, ut sit ablativus pro animo; male: *Cordus* non inauditum est in rep. Romana nomen. Vossius in Etym. hac voce: Harduinus Numm. Popul. p. 532. et Oudend. ad Lucan. VIII. 715. 'A. Cremutius Cordus' e Seneca est hodie notissimus. Facit ejus mentionem in Consol. ad Marc. cap. 1. cap. 22. et alibi eodem in libello. 'Valerius Cordus' apud Lamprid. Alex. Sev. cap. 3. *Cordes* edidit Machaneus. *Codrus* Aldina ed., quod monuit etiam loco laudato Vossius. Sic edd. variant apud Martial. Epigr. v. 24. 'Aut meus ante omnes Cordus haberet equum:' alii *Codrus*, quod

ibi etiam rectius videtur ex Ep. II. 57. et Epigr. V. 27. Nec tamen omnes eadem sentiunt inter ipsos antiquos de variis nominibus nostri 'Scævolæ.' Vide Plutarch. in Poplic. p. 106. *Arntz.*

§ 3 *Ab ea*] Repone *a rea*, quæ germana lectio est: manum enim puniendam, quod errasset, censuit; quo forte pertinet illud Martialis: 'Hanc spectare manum Porsena non potuit.' Plura Seneca Epist. 24. Lactant. Institut. V. 13. *Schott.* Vulgati libb. *ab ea;* sed Mss. rectius *a rea*, id est, 'culpæ obnoxia.' *Sylb.* *Ab ea* vulgo editi, melius Machaneus et scripti, ut volebat Schottus, non paullo elegantius, quare versu sequenti ad hanc rem respiciens, dicitur 'peccasse' manus, propter quod ipse 'supplicium exigeret.' Sidon. Apollin. Carm. V. vers. 76. 'Nam corde gelato Scævola, et opposito dextram damnaverat igni Plus felix peccante manu.' Senec. de Provid. cap. 3. 'Dextra ignes hostium premit, et ipse a se exigit erroris sui pœnas.' Et Epist. 24. 'Pœnas a se irriti conatus exigentem spectator distillantis in hostili foculo dextræ stetit.' Solus Hann. apud Victorem alio sensu, sed tamen corrupte legebat *hoc supplicii exigens ara.* Arntz.

Trecentos . . . conjurasse] Quod falsum erat, sed ad incutiendum terrorem talia dicebat. *Mach.*

Acceptis obsidibus] Primo Halicarnasseus adfirmat eum consultasse, quomodo insidias vitaret; Aruntemque ejus filium jussisse, ut amicos pro hostibus sibi Romanos faceret. *Mach.*

Mutio prata] Porro Mutium propter errorem de se pœnas inperterrito vultu sumentem vide apud Augustin. in Gemmis Ant. part. I. gemm. 156. *Arntz.*

CAP. XIII. § 1 *Cœliam*] *Cœliam* veteres quidam scribunt, quomodo et Nonius in dictione 'Nare.' Virg. Æn. lib. VIII. 'Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.' *Schott.*

Inter obsides] Sequiorem etiam sexum oppignerari solitum, constat ex Athenæi Deipnosoph. lib. XII. Polybii Histor. lib. X. Diodori Biblioth. l. XX. Taciti Germania c. 20. aliisque; quorum auctoritates produxi ad illa Livii XXVI. 49. 'Inter hæc, e media turba obsidum mulier magno natu Mandonii uxor,' &c. *Grut.*

Equum] Aliter Silius, qui natando sine equo transisse refert lib. X. vers. 498. ubi conferendus Drak. *Arntz.*

Quem fors dederat] Insedit hic error libris plurimis, ut *sors* scribant pro *fors*. Virg. Æn. lib. VII. 'Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma:' vulgo *sors;* male: Terent. Phormione: 'Quod fors feret, feremus æquo animo.' Idem Hecyra: 'Quia illis fors obtulerat,' &c. Sed hanc vocem in antiquis auctoribus, Lucretio, Cicerone, Sallustio, Livio, aliisque ab antiquariis nunc reponi, video. *Schott.* Vulgati libb. *sors:* minus apte. *Sylb.* Hoc vitio laborant omnes nostri qua scripti, qua editi, supina librariorum negligentia, nisi potius monachorum inscitiæ tribuendum, qui vocem *fors* ignorabant. Idem hic error apud Dict. Cretens. II. 46. 'Uti quidque fors dederat, prœripiunt:' sic enim ibi lego, ut eod. lib. cap. 52. 'Pluresve, uti fors evenerat.' VI. 1. 'Passim uti fors tulerat:' quibus omnibus locis hodie male *sors* exprimitur. Alia hujus scriptoris loca, in quibus eodem modo peccarant scribæ, emendavit Periz. in Dissert. de Dictye Cret. § 39. ad II. 46. Guntherus Ligur. de Gest. Barb. lib. I. 722. 'Quas jam fors dederat, sed quas præsaga futuri Spondebat mens alta viro:' sic et ibi reponendum loco *sors*, quod est in editis. Latina enim loquendi ratio, 'fors dedit,' 'fors tulit,' &c. Livius XXV. 29. 'Quosque fors obtulit.'

xxxvi. 9. 'Quidquid fors belli tulisset, paterentur.' Quinctil. Decl. iii. 2. 'Si fors ita tulerit:' ubi eodem modo peccato librarii in Ms. *sors* reperi. Spartian. in Anton. Geta fin. 'Inimicos occideret, quos fors obtulisset.' Hirtius Bell. Alex. cap. 22. 'quandocunque fors obtulerat:' male ibi aliæ edd. *sors*. Celsus de Vita Cæs. p. 214. 'In se idem, si fors tulisset, ausurum.' Ex nostra conjectura, in ed. Davisii *sors* legitur. Amm. Marcell. xxv. 3. p. 454. 'Mori, si tulisset fors, obstinatus.' Neque aliter hanc vocem a mala manu ablatam esse semper duxi apud Sen. in Phœn. vs. 239. ubi malim *Cuncta fors mihi infesta abstulit, Lacrymæ supererant, has quoque eripui mihi: sors* enim nihil ipsa potest auferre, sed quidem Fortuna, sive aliquis alius Deus, qui fata inter homines sorte dividit. Sed ne nimii simus, de his locutionibus conferatur Gronov. ad Liv. i. 9. Cerda et Taubm. ad Virgil. Æn. ii. 94. Lambin. ad Lucret. iii. 996. Davis. ad Cæsar. Bell. Gall. vii. 87. § 5. et Voss. ad viii. 19. § 7. Heins. ad Ovid. Met. i. 297. Græv. ad Justin. v. 11. § 8. et Var. Lect. Burm. ad ejusdem xxxv. 2. § 1. Torren. ad Val. Max. ii. 4. ex. 5. et quos collegit indefessa Drakenborchii diligentia ad Sil. xv. 105. *Arntzenius.*

§ 3 *Admiratus*] Paullo supra ante *reddita* neque scripti neque olim editi conjunctivam vocem *et* admittebant, quare cum libb. edidimus *repetita, reddita est.* Arntz.

Injuriæ obnoxiam] Male in quibusdam deletur *injuriæ*, indecoro librariorum lapsu; sed vindicat veritatis lectionem Servius ad Virg. Æn. viii. 646. ubi hanc historiam tantum non iisdem verbis profert: 'Illa elegit virgines, quæ injuriæ poterant esse obnoxiæ.' Seneca de Const. Sap. c. 3. 'Hujusmodi igitur sapientem nulli esse injuriæ obnoxium.' Liv. xlv. 19. 'Ambo infirmos distractis viribus et omnibus injuriis obnoxios fore.' Sueton. in Claudio cap. 8. Livius ix. 18. Gronov. ad Sen. de Ira iii. 8. et Comment. ad Florum iv. 4. § 2. Neque aptiorem vocem adhibere potuerat Noster, cum 'injuria' proprie dicatur de virginibus et mulieribus, quibus ab hominibus libidinosis vis infertur. Livius iii. 44. 'Quod pater puellæ abesset, locum injuriæ esse ratus.' xxvi. 49. 'Ipsa jam extra periculum injuriæ muliebris sum.' xxix. 17. xxxviii. 24. 'Deinde ad leniendam indignitatem injuriæ spem reditus ad suos mulieri facit.' Quinctil. Decl. iii. 9. 'Neget tamen et ultionem injuriæ suæ differet.' Calpurn. Decl. v. 'Injuriam, inquit, faciebant mancipiis meis.' Plautus Cistell. i. 3. 32. 'Ejus se ex injuria Peperisse gnatam.' Petronius Sat. c. 109. Justin. ix. 6. § 5. Noster inf. cap. 55. § 2. 'A quo vi stuprata, de injuria tacuit:' et ceteri. *Arntz.*

§ 5 *Statua equestris*] Donaverat autem Porsenna eam equo bellico decentibus phaleris armato. *Mach.* Aldus Manutius hos apud Cic. Offic. lib. i. versus statuæ equestri insculptos fuisse putat: 'Vos etenim juvenes, animum geritis muliebrem, Illa virago viri.' Idque colligit ex his Senecæ libro de Consolat. ad Marciam verbis: 'Equestri insidens statuæ in Sacra via celeberrimo loco Clœlia exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equo donavimus.' *Schott.* Lipsius ad Senec. Consol. ad Marc. c. 16. *Arntz.*

Cap. xiv. § 1 *Fabiorum*] Ovid. in Fastis: 'Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.' *Mach.*

Privato nomine] Ac expensa privata, ut Livius refert. *Mach.*

Fuerunt] *Fuerunt* abfuit in Mss. *Schott.* Pro eo Franeq. *exiverunt;*

quæ mihi lectio non displicet, immo elegantior videtur, cum sæpe Latini participia verbis junxerint, quæ ejusdem essent notionis, ut 'delapsa cecidit' apud Petron. Sat. c. 16. Sen. in Phœn. vs. 430. 'Aut qualis cadit Delapsa cœlo stella.' Virgil. Æn. II. 397. 'Multaque per cæcam congressi prælia noctem Conserimus.' Propius ad hunc locum accedit Sallust. Bell. Jug. c. 102. § 1. 'Pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat:' ubi operæ pretium Cortium consulere. Pari modo hoc loco conjungi posset 'profecti exiverunt,' cum utraque vox de exercitu vel belli duce dicatur, qui in hostem tendunt. Livius IV. 55. 'Æquos prædatum extra fines exisse:' et XLII. 21. 'Consules ad id tempus in provincias non exierant.' Seneca Herc. Fur. vs. 210. 'Antequam lætam domum Contingat, aliud jussus ad bellum exeat.' Sic codd. quos ego vidi, et quos alii: Gronovius ex Etrusco prætulit *meat*, nimium sæpe illi libro tribuens. Val. Max. II. 7. ex. ext. 2. 'Quæ exituros eos ad prælium monebant.' Eadem significatione 'profecti' est apud Liv. II. 16. 'Consules infesto exercitu in agrum Sabinum profecti.' Quinctil. XI. 3. 'Neque ego rem melioris ducis facere potui, quam quod sine liberis meis profectus sum.' Justin. I. 6. § 14. 'Contractis undique auxiliis ipse in Persas proficiscitur.' Pessime igitur pro *profecti* substituunt *præfecit* cod. Gramm. *Perfecit* Boend. et Fran. *profecit* uterque Lugd. *Arntz.*

§ 3 *Pecora ex adverso*] Olim excudebatur, *Pecora ex adverso in conspectu illorum posuerunt.* Sed ridiculum hoc loco est consensui codd. repugnare. Nam pro *ex adverso* cum Schotto Fran. Boend. et uterque Leid. habent *ex diverso*, fortasse et ita reliqui duo, sed nulla varietas adnotatur. Idem erit, sed ultimum cum scripserit Victor, in prius mutarunt librarii, quia non ita notum. Justin. XXX. 4. § 6. 'Cum in aciem exercitum instructis e diverso hostibus produxisset.' Tacit. Hist. IV. 16. 'Directa ex diverso acies.' Deinde loco *in conspectu illorum posuerunt* habet Lugd. 1. Fran. et Boend. *In conspectu eorum protulerunt.* Lugd. 2. Haun. et Machaneus *in conspectum eorum protulerunt.* Priorem lectionem libenter amplector, cum doctior sit, quam ut ab inepto librario potuerit proficisci. Et amare veteres hanc loquendi rationem passim a descriptoribus corruptam docuit nuper unicus Phædri vindex Burmann. ad v. 1. 15. 'Quinam cinædus ille in conspectu meo Audet venire?' contra quartum casum habent, ubi quies designatur. Oros. IV. 6. 'Velut a singulis membris pœna exigeretur, in conspectum populi necatus est:' ut in Ms. reperi, cum *in conspectu* sit in editis. Adde Gron. ad Liv. IX. 27. ubi tamen nihil muto. D'Orvilii codex, *ex diverso pecora in conspectu eorum contulerunt*, quod et lectionem apud nos receptam pro parte confirmat. Ita in versione vulgata Jobi c. XIII. vs. 16. 'Non veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.' Libro Sapientiæ c. XII. vs. 12. 'Quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?' Apud Sueton. in excerptis Vossianis reperio vita Tiberii c. 4. § 5. 'In conspectu Sexti Pompeii admissum:' et nuper Oudend. ad Frontin. I. 10. § 1. Contra cod. Ms. apud Oros. IV. 19. 'In conspectum civitatis incensæ sunt:' ubi *conspectu* maluerunt edere. *Posuerunt* hic intrudebatur ex præcedentibus *castra posuerunt*, in quod verbum oculos conjecerant; vel quod recenti memoriæ obveniebat, error scribis frequentissimus. *Arntzenius.*

Ad unum] Ut 'ad verbum;' neque est dicendum de uno ad unum, neque de verbo ad verbum observatione auctorum de his. *Mach.* Epitome

Liviana II. in fine: 'Qui ad Cremonam ad unum ab hostibus cæsi sunt.' *Arntz.*

Occidione] Quidam legunt *occidione perierunt.* Sylb. Ex præcedenti nota Schotti constat veteres libros præferre *cæsi ad unum perierunt;* nonnullos tamen *occidione*, quæ etiam vera est lectio, quamvis paullo aliter nostri, ex quibus potissima pars *occisione;* Lugd. 1. *occissione*, unde ego feci cum Schotti codd. *occidione*. Scio quidem viros eruditos existimare eodem modo recte dici 'occisione' quam 'occidione occidere,' tamen cum illud auctoritate scriptorum non confirmetur, hoc retinui, donec meliora sim doctus. Neque tamen 'occisionem' Latine dici negem, verum aliquam agnosco differentiam; ut 'occisio' dicatur de cæde quacunque extra bellum, 'occidio' autem, cum hostiles copiæ interficiuntur, ipsique gravissima clade afficiuntur. Ita prior vox de vi publice illata apud Ciceronem pro Cæcina c. 14. de cæde inter latrones Apul. Metam. VI. 184. init. ed. Elmenh. qua soleo uti. De neco unius hominis Quinctil. Decl. VI. 10. 'Vera clementia occisione contenta est;' ut recte ibi restituit Burmannus, et confirmatur alio, quem inspexi, codice. De servo interfecto JCtus in l. 23. § 2. ff. ad Leg. Aquil. Alia res est 'in occidione occidere' cum semper hæc vox per litteram *d* sit efferenda. Livius III. 10. 'Occidione prope occisos Volscos.' IV. 58. 'Modo duo præsidia occidione occisa.' IX. 38. 'Palatis per agros nemo obvius fuit, quum occidione occidi possent.' XXII. 54. 'Sed occidione occisos cum duobus exercitibus consules:' et XXVIII. 43. 'Cum duo exercitus eorum prope occidione occisi essent.' Justin. XXVIII. 2. § 1. 'a quibus tot bellis occidione cæsi sunt.' Plura talia collegerunt ad eum scriptorem II. 14. § 8. docti commentatores. Neque fugit me aliter hodie edi apud Cicer. Orat. Phil. XIV. 14. 'Ejusque copias occisione occiderit, suo exercitu ita incolumi:' verum ita editi, cum *occidione* retineant scripti, quomodo et ibi edendum fuerat, vel ipso Cicerone auctore ad Famil. Epist. XV. 4. 'Magnumque eorum equitatum occidione occisum.' *Arntz.*

§ 4 *Dies*] Ante diem XV. Kalend. Augusti, quo die et Alliensis pugna pugnata. Plutarchus Camillo. Livius libro sexto. Porta autem Carmentalis est Dionysio Halicarnasseo et Ovidio secundo Fastorum. *Schott.*

Inter nefastos relatus] De quibus Ovid. 'Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.' Quando scilicet justitia tacet. *Mach.* Fuit cum male habere locum credidi, legendumque *in festos:* sicque opinionem confirmabam meam, quod Verrius Flaccus apud Agell. V. 17. 'atros dies' appellandos istos censuerit, non 'nefastos:' sed nunc sententiam muto, quod omnes pæne auctores ita loqui observarim: et Nostrum, de Alliensi die in Camillo. *Schott.* Elmenh. ad Minuc. c. 7. *Arntz.*

§ 5 *Profecti erant*] *Fuerant* abfuit in Mss. *Schott.*

§ 6 *Ex ea gente*] Sic oportuit scribere, non *familia*, quod factum in Eutropio in hac ipsa historia, et ab aliis quoque. *Anna.* Sed hæc permisceri nerunt doctiores. Vide Duker. ad Flor. IV. 1. § 8. *Arntz.*

Impuberem ætatem] 'Impuberes' appellantur, qui nondum primam barbam emisere, nec adhuc hirquitalli dicuntur. A pube (lanuginem hic illa circum pudibunda significat) nascenti maribus decimo quarto anno; feminis duodecimo: substantivum 'pubis' facit adjectivum 'puberis.' *Mach.*

Genus propagavit] Ducta uxore filia Numerii Otacilii Maleventani, ea lege, ut quem primum filium sustulisset, ei Numerii prænomen daret, et

obtemperavit. Probus de prænominibus Romanorum. *Schott.*

Ad Q. Fabium] Confer Bosium ad Corn. Nep. in Hann. c. 1. init. et Drakenb. ad Sil. I. 39. cujus auctoritatem merito secuti sunt viri erud. Cortius ad Sall. Jug. c. 5. § 4. et Oudend. ad Lucan. I. 305. *Hanibal* inveni in scripto Orosii IV. 7. *Arntz.*

Cunctator] Quia 'cunctando,' id est, mora Pœnum delassavit ducem: Virgilius Æn. lib. VI. 'Unus qui nobis cunctando restituit rem.' *Mach.*

CAP. XV. § 1 *L. Valerius Volesi filius*] 'Lucii' etiam prænomen ei tribuit Plinius XXXVI. 15. In Liv. Dionys. et fragmentis Capitolinorum Fastorum prænomen 'Publii' est, et in eisdem marmoribus æreisque nummis 'Volasi filius' scribitur. Est tamen Romæ lapis hac inscriptione:

P. VALESIVS. VOLESI
F. POPLICOLA.

Quare libera cuique per me esto sententia: utrum malit præferat. Porro 'Valesius' antique pro Valerius, et 'Fusius' pro Furius, et 'Papisius' pro Papirius, teste Livio U. C. III. Cic. Epistol. ad Papirium IX. Varr. de L. L. VI. et Quintiliano. Additur in libris scriptis *ille Bruti collega, ἐπώνυμος.* *Schott.* Cognomen etiam 'Publii' ei tribuit Plut. initio vitæ ejus, Drakenb. ad Sil. II. 8. Sed quinque hic scripti et olim editi *Lucium* defendunt, quod faciunt alii quoque, ut agnoscendus sit dissensus auctorum. Nec aliter est in multis codd. apud Eutrop. I. 9. 'Et loco ipsius factus est Lucius Valerius Poplicola consul.' Quamvis *Publii* verum esse prænomen, ego facile crediderim, cum hic Valerius patrem et avum habuerit 'Publium,' ut est in Fast. Triumph. apud Gruter. Insc. p. CCXCVI. Confer Pigh. Annal. tom. I. p. 69. Nec minor est difficultas in sequentibus vocibus *Volesi filius*, uti constanter quinque scripti (solus Hann. *Volcci*) et olim editi, pro quo *Volusi* nobis dedit Schottus, et qui eum sequuntur religiose non minus quam secure, posteriores editores. Fateor non adeo in proclivi est hanc litem dirimere, cum gravissimi auctores utramque sententiam tueantur. Si tamen dicendum sit quod sentiam, hic admitto temporum distinctionem, ut primis temporibus Volesus dictus fuerit Poplicolæ pater, sed sequentibus seculis, cum hoc prænomen, vel si mavis cognomen, (nam utroque modo occurrit) in familia Valeriorum permanserit, mutato *e* in *u* in Volusum transiisse. Hoc ut credam, inducor, quod in prima rep. semper Volesos reperiam. Asconius Ped. ad Cicer. contra Pis. p. m. 164. 'P. Valerio Volesi filio Publicolæ.' Juv. Sat. VIII. 'Et quæ Turpia Cerdoni, Volesos Brutumque decebunt:' ibi respicit ad Poplicolam Brutumque primos Coss. Ovid. ex Pont. Ep. III. 2. 105. 'Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor.' Nec me ab hac sententia abducunt antiqui lapides, qui patrem Poplicolæ Volusum faciunt. Hi enim secuti sunt morem suorum temporum, cum non amplius Volesum, sed Volusum dicerent homines. Recte enim (licet non raro indocti fuerint sculptores) ex lapidibus judicari potest de scriptura illius temporis, quo talis lapis sit sculptus, non autem si agatur de seculis longe præcedentibus. Vide tales inscriptiones apud Drak. ad Sil. loc. laud. et de Voleso Periz. ad Val. Max. Frag. de Nomin. p. 876. Sed jam, si ad posteriora tempora veniamus, certior est scribendi ratio, cum in gente Valeria Volusi nomen reperiatur. Vide Heins. ad Ovid. loc. dict. Spanhem. de Numism. Diss. X. p. 35. et Dausq. de Orthogr. part. II. p. 336. Tamen 'Volesus' est apud Sen. de Ira II. 5. ubi nihil etiam de varietate scripturæ monuerunt editores. Inspice Ryckium ad Tacit. Ann. III. 68. Ad hoc autem nomen non pertinebit locus Vir-

gilii Æn. xi. 463. 'Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:' ita constanter omnes, nisi quod in uno *Volese* repererim; sed, ut dixi, hic locus ad nostrum nil pertinet, cum ibi de Volscis agatur, et Valerii pater originem e Sabinis duxerit, teste Plutarcho in Popl. init. Potius respexit Virgil. ad antiquum nomen Volscorum: confer La Cerdam. *Arntz.*

Primum de Veientibus] Celare lectorem non debeo, Livium hic et Dionysium sequutum me numerare annum U. C. CCXLV. Non enim ignorabam antecedere anno uno Capitolinos Fastos nuper effossos: qui triumphasse Poplicolam de Veientibus et Tarquiniensibus notant A. U. C. CCXLIV. iterum de Sabinis et Veientibus CCXLIX. Sigonius enim, et in annalibus magistratuum Steph. Pighius Livium, Dionysium, et Capitolinos Lapides auctores laudans, bis tantum triumphasse arbitratur. Imposuit forte auctori nostro, quod M. Valerium Poplicolam fratrem ejus iidem Fasti anno post Romam conditam CCXLVIII. triumphasse de Sabinis signent, affirmetque Plinius XXXVI. 15. Conjecturam meam attuli tantum. *Schott.* Errare auctorem nostrum, ex nominum similitudine, et prænominibus corruptis, egregie ostendit in Fastis suis Pighius noster, anno CCXLIX. *Gruter.*

Triumphavit] Plutarchus collegam illius T. Lucretium iterum consulem bonam operam navasse in eo bello scribit: solum tamen Poplicolam IV. Cos. *triumphasse.* Schott.

Consulem subrogaverat] Mss. *Cons. alium subrogabat.* Verum historiæ repugnat utraque lectio: quod hoc populus voluisse videtur, binos quotannis hunc magistratum gerere, ut alter alterum in officio contineret; nec verisimile esset duos contra R. P. facturos quin id palam fieret. Nisi forte ita explices: ideo in suspicionem regni affectati venisse Poplicolam, quod ipse, injussu plebis, conlegam creasset. Verum confecta res est, quod antiquiss. ille Parisinus cod. *cons. non subrogaverat* aperte præferat, et *Bruti* non *Tricipitini.* Qua ratione cum Livio gemina dicit; sic enim ait: 'Regnum eum affectare fama ferebat, quia nec collegam subrogaverat in locum Bruti, et ædificabat in summa Velia.' Noster vero ait 'domum habuisse in Velia,' &c. Cum hæc scripsissem, comperi et Lycosthenem ita emendasse: gaudeo itaque eadem in mentem illi venisse, nostraque confirmari. Reddit ille rationem, quod plures, anno CCXLV. ab exactis regibus primo consulatum gesserunt, cur in vulg. hactenus insederit mendum *Tricipitini* pro *Bruti*: ut non necesse habeam a capite arcessere. *Schott.* Suspectum de mendo, vereor, ne legendum sit *in locum Bruti collegæ.* Hujusmodi multa μνημονικὰ ἁμαρτήματα huic auctori cum aliis racematoribus communia. Non propterea tamen rejiciendus. *Schott.* Not. Min. Vulgati libb. *in locum Tricipitini*, sed *Bruti* legendum esse non *Tricipitini*, cum ex aliis manifestum est, tum ex Sigonio XV. 15. et mox duo Mss. *consulem alium subrogaverat*, perperam omissa negatione. *Sylb.* Sic omnes, ut edi curavimus; nisi quod in quinque codd. particula negativa desideretur, quam tamen interposuimus fide Schotti et auctoritate Lugd. 1. Et necessario hæc vocula requiritur, cum ea si abesset, vel ipse auctor idoneum sensum ex verbis suis elicere non potuisset. Nam exponere cum Schotto nihil est; ea enim non est vis vocis 'subrogare,' quæ adhibetur de consule in comitiis agente cum populo; non de eo, qui propria auctoritate aliquid constituit. Valerius Maximus VI. 3. ex. 2. Cicero Epist. ad Brutum lib. V. Tacitus II. 51. Hac eadem in historia Livius II. 7. Cortius ad Sall. Jug. c. 29. fin. (ubi non invenuste *ad regendos magis-*

tratus, si Dis placet, exponit Minellius, 'scilicet an eorum consensu facta deditio esset confirmanda.' Quantum est bona ingenia corrumpere!) Hanc ob caussam negatio retinenda fuit. Sed *Tricipitini* non ausus sum abjicere; quis enim statuet, errare non potuisse Victorem? Si veritas ubique scriptoribus vindicari deberet, *Tricipitini* hic certe locum habere non posset, cum ipse Poplicola in locum Tricipitini adsumtus sit consul. Servius ad Virg. Æn. VI. 819. Sed errare Nostro non est infrequens. *Arntz.*

Velia] Dicta, Varrone testante, 'quod ibi vellere lanam soliti sunt pastores,' antiquitus enim vellebant, non tondebant oves. *Mach.*

§ 3 *Questus*] Oratione a Tito Livio scripta. *Mach.*

Immisit qui domum suam] L. Higinius libro priore de Viris Claris: 'P. Valerio Volesi filio Poplicolæ ædes publicas sub Velia, ubi nunc Ædes Victoriæ est, populus ex lege, quam ipse tulerat, concessit:' citat Asconius in Pisoniana. *Schott.*

§ 4 *Secures etiam fascibus*] Instituit etiam, ut consules, cum extra urbem essent, uterentur securibus, intus vero tantum fascibus ornarentur. *Mach.* *Securibus et fascibus depositis* Haun. *Arntz.*

Concione] 'Concionem' orationem, locum, et multitudinem dicimus, Gellio scribente, qualis a Græcis ἀγορὰ nominatur. *Mach.*

Submisit]. Festus conventionem 'contionem' interpretatur, quasi 'coitio;' unde veteres libb. per Tau scribunt. Vulgati *concio* a 'concieo.' Cicero de Republ. lib. I. apud Nonium Marcellum: 'Tum instituti annui consules, tum demissi populi fasces.' Est autem fasceis 'summittere' seu 'demittere,' ea insignia non erecta sed 'demissa' ferri jubere; ut patet ex Plinii exemplo VII. 30. de Cn. Pompeio: licet I. Alex. Brassicanus locum sic interpretetur, ut lictores, dum concionaretur, abire jusserit, in Proverbiorum Symmictis: Conradus vero hic, quasi solos fasces absque securibus illi prætulerint, cui repugnat Symmachus Præfectus Urbi Theod. Aug. 'Summisit Poplicola contioni civium consularem securim: et honoris sui culmen infregit, ut libertatem civibus erigeret: ergo moribus potius quam insignibus æstimemur.' Et Prudentius (ut poëta quoque symbolam conferat) contra Symmach. l. I. 'Martyris ante fores Bruti summittere fasceis Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securim.' Nec mihi fraudi sit sacros poëtas citare, quod Prudentius apud me alter Pindarus, ut Sidonio Apollinari, sit: et Paullinus, quasi Propertius alter, ob singularem pietatem ametur, et in sinu feratur. *Schott.*

§ 5 *De provocatione*] Si magistratus aliquis Romanum quenquam interficere, verberibusve cædere, aut mulctare vellet pecuniis, licere utique privato illi 'a magistratu ad populum provocare,' patique eum interim a magistratu nihil, donec populus suffragia de illo ferret. *Mach.* De provocatione et libertate; capita illius apud Livium lib. II. Dionys. lib. IV. Plut. in Poplicola. Valer. lib. IV. c. 1. exstant. Hinc Poplicolam dictum et hi et Livius lib. III. testes sunt. Dionysio etiam quasi δημοκηδὴς dictus. Idcirco *Poplicola* non *Publicola* scripsi, assentientibus et Mss. idque eo fidentius, quod Quinctil. *o* pro *u* pronuntiari solitum affirmet, et *p* mutam tenuem, cum media *b*, sæpe commutari, ut 'poblicus' dicerent et scriberent, &c. Hinc quidam 'Poblicolam' edunt. Livius lib. II. 'Latæ deinde leges, quæ regni suspicione consulem absolverent, sed quæ adeo in contrarium verterent ut popularem facerent: inde cognomen factum Poplicolæ est.' Libro III. in eandem sententiam. Plutarchus qua-

si 'publica edens,' non 'populum colens' interpretatur. *Schott.* *De provocatione et magistratibus* Leid. 2. *Publicola* vero agnoscunt omnes et scripti et editi, nisi qui ex Schotti emendatione prodierunt, nec in vera hujus vocis scriptura ipsa sibi constant antiqua monumenta; quædam *Poplicola*, quædam *Poblicola* exhibent. Illud hodie ab eruditis passim recipitur. Dausq. de Orthogr. parte II. p. 246. Drakenb. ad Sil. II. 8. Duker. ad Flor. I. 9. § 4. Torren. ad Valer. Max. I. 4. ex. 5. et cet. Ita editur apud Ammian. Marcell. XIV. 6. p. m. 27. 'Ex collaticia stipe Valerius humatur ille Poplicola:' et quidem, quod putant hanc vocem deducendam esse a 'colendo populo,' non quidem, ut alii volunt, a 'publico.' Quæ sententia et hinc confirmatur, quod eodem modo et 'Plebicola' usurpent Latini, non a 'colendo plebeio' sed a 'colenda plebe:' unde eadem ratione 'Poplicola' vox a 'populo' deducenda videtur. Livius III. 33. 'Favore plebis, adeoque novum sibi ingenium induerat, ut Plebicola repente, omnisque auræ popularis captator evaderet.' Et c. 68. 'Nisi forte assentatores publicos, Plebicolas istos.' Seneca de Benef. v. 16. 'Et ille Plebicola, ille popularis.' Porro lege hac de provocatione non videtur novum aliquid constituisse Valerius, sed tantum illud, quod priorum regum vel Tarquinii superbia abrogatum erat, in usum pristinum revocasse, cum sub regibus ipsis concessa fuerit ad populum provocatio. Livius I. 26. Sigon. de Jure Civ. Rom. I. 20. Ranchinus Varr. Lect. I. 8. et Duker. ad Flor. I. 9. § 4. Postea hanc legem tempore decemvirum sublatam, reduxerunt iterum L. Valerius et M. Horatius Coss. apud Liv. III. 55. Renovata etiam est tertio ab alio Valerio apud eundem X. 9. adeo ut tres ex eadem fuerint familia, qui commoda plebis hac in re auxerunt. *Arntz.*

§ 6 *Qui eum quater consul*] [Vid. Not. Delph.] Quæ Schottus supplevit, nullus ex nostris agnoscit, neque genuina esse facile mihi inponi patiar. Debentur Eutropio I. 11. ex quo *collatis* pro *collectis* legendum est. Vide quæ dicta sunt c. 18. § 7. (ubi male etiam *collectis* d'Orvil.) et doctissimum Markland. ad Statium Silv. III. 3. vs. 134. Desunt et hæc verba in d'Orvil. *Arntz.*

Publice] Id est, reipublicæ sumptu, collectis e publico quadrantibus. Concessum hoc amplius honoris ergo; quod antea nemini, ut in Urbe ipse posterique ejus sepelirentur. Itaque prope forum in Velia publico elatus funere est, teste Halicarnasseo; et sepulcro, in quod gens postea Valeria inferri consuevit, conditus fuit A. U. C. CCLI. Postumio Tuberto, Agrippa Menenio Coss. Val. Max. IV. 4. Cicero Acad. lib. IV. Livius lib. II. sic ait: 'Moritur gloria ingenti, copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset: de publico est elatus. Luxere matronæ ut Brutum.' Vide Amm. Marcell. lib. XIV. *Schott.*

Sepultus] Locum, in quo combustus, atque sepultus fuit, ei soli usque ad ætatem meam clarorum in Urbe civium, propinquum foro assignavit senatus miseratione ductus; hoc Dionys. Halicarnassei interpres tradit. *Mach.*

CAP. XVI. § 1 *Ejectus*] *Ejicimus* viliter. Ovid. 'Turpius ejicitur quam non admittitur hospes.' *Mach.*

Ad Mamilium] Sic Mss. Dionysius et Annæus Seneca scribunt. *Mamilium* Vascosanus recte excudit. Livius 'Octavium Mamilium' appellat. Manilii vero plebeii Romæ fuere. *Schott.* Videndus Vorstius ad Val. Max. I. 8. exem. 1. Cort. ad Sallust. Jug. c. 40. § 1. c. 55. § 5. et c. 73. § 7. *Arntz.*

Latio] Concitavit populos contra

imperium Romanum: unde bene *Latio* ait. *Mach.*

A. Postumius] Scribo absque aspiratione, auctoribus libris Mss. nummis æreis, et lapidibus. Hnc accedit et analogia: a 'Postea' enim 'Postimus,' 'Postimius,' inde 'Postumius' derivatur: et antiqui unus sine spiritu scribebant. *Schott.* Dausq. Orthogr. part. II. p. 247. et Duker. ad Flor. I. 11. § 2. *Arntz.*

Dictator dictus] Hunc primum reperio Romæ dictatorem, qui 'dictus est,' quia a consule deberet 'dici,' vel quod daret 'dictata' populo. Fuit autem virtus dictatoria semestris, nonnisi in summa rerum necessitate constituta: qui eam obtinebat, merum et mixtum in omnes habebat imperium: Sylla eam perpetuam sibi primus adrogavit. *Mach.*

Apud Regilli lacum] Colinæus *Rigilli* impressit. Mss. sic, *apud Regillum:* nam et urbs ejus nominis fuit. Lacus in agro Tusculano siti, ad quem pugna facta est, meminit Livius II. Dionys. l. VI. Plinius XXXIII. 2. Urbis vero in Sabinis sitæ idem Halicarn. lib. XI. non ita longe a principio, et Stephanus de Urbibus. *Schott.* Unus Hain. *Regelli*, ceteri nil variant, quare hanc lectionem melius defendit, quam inpugnat Grævius ad Flor. I. 11. § 1. cum malebat *Regillum Lacum*, ut Livius VIII. 5. et 7. atque alibi; sed tamen quæ vis adegit Nostrum ubique ore Liviano loqui? Cicero Tusc. Quæst. I. 16. dicit 'lacus Averni,' quod reliqui *Avernus lacus.* De ipsa historia Davis. ad Cicer. de Nat. Deor. II. 2. qui tamen eo loco male cum Lactantio duas historias confundit, cum bello Latino ad Regillum, bello Macedonico ad Juturnæ lacum apparuerint Castores. Vide Flor. II. 12. § 15. *Arntz.*

§ 2 *Victoria nutaret*] Parisin. *mutaret*, forte antiqua forma pro *mutaretur.* Sic Varro de L. L. et Divin. lib. VII. apud Agell. XVIII. 12. Similiter 'vertit,' 'convertit,' Sallustio, Tacito, cæteris. Livius in Tullo Hostilio: 'Fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot sæcula appellata est: donec cum re nomen quoque vetustate abolevit,' pro *vetustas abolevit;* forma neutra. Msc. cod. hic longe a vulgata lectione recedit, legitque *cum victoriam naviter peteret.* Schott. Vetus cod. *cum victoriam naviter peteret.* Falli autem hic auctorem Sigon. ostendit Emend. II. 22. et sup. XXII. 18. *Sylb.* *Mutaret* etiam primus Leid., quod tamen colore aliquo non debuerat defendere Schottus, cum *nutaret* sit 'in aliam partem inclinaret.' Tacitus Hist. III. 18. 'Nutantem aciem victor equitatus incursat.' Florus III. X. § 4. 'Nutante in fugam exercitu:' ad quem locum conferendus Duker. Dict. Cretensis de Bello Troj. III. 8. 'Et ubi acies nutaverat, præsidiis accurrentibus.' Quare non audiendi statim librarii, cum nobis *mutare* pro *nutare* obtrudant, quod illis familiare est. Heins. ad Claudian. Bell. Gildon. vs. 281. Burm. ad Lucan. VIII. 47. Wasse ad Sallust. Jug. c. 42. fine. Davis. ad Minuc. Felic. Octav. c. 16. et Drakenb. ad Sil. VI. 284. Non aliter optimæ edd. apud Plin. in Paneg. c. 5. 'Nisi periculo patriæ et nutatione Reip.' vulgati *mutatione.* Sed 'nutans respublica' est apud Sueton. in Vesp. c. 8. § 2. et 'nutare' dicitur 'imperium' apud Eutrop. X. 14. De significatione illa verbi 'mutare,' de qua Schottus, adde Burmann. ad Ovid. Epist. Her. XIX. 77. *Arntz.*

Magister equitum] Talis erat, qualis erat sub regibus tribunus Celerum; dictus autem, quia magisterium ac regimen in equites et accensos haberet. *Mach.* T. Æbutius T. F. Elba, ut Dionysius recte vocat, qui tamen strategema hoc dictatori Postumio adscribit. L. vero Annæus Seneca in Epitoma Reip. Rom. ad magistrum

equitum quoque refert, sed A. Cornelium Cossum male nominat. Livius etiam lib. IV. ad annum CCXXVII. A. Cor. Cosso tribuit, M. Æmilio Mamercino dictatore. Vide C. Sigon. Emend. II. 22. *Schott.* Comment. ad Flor. I. 11. § 3. *Arntz.*

Equis frenos] Simile illud Cæsaris apud Sueton. in Julio cap. 60. 'Qui ancipiti prælio equos dimittebat, et in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur auxilio fugæ erepto.' *Schott.* Haud semel bene successit ejusmodi mandatum ducis, quemadmodum non parce ostendimus ad Livii librum octavum, capite tricesimo. *Grut.*

§ 3 *Virtute*] Candidos enim equos Castoribus attribuit fabulosa antiquitas. Pacatus Paneg. c. 39. § 4. 'Castoras geminos albentibus equis et stellatis apicibus insignes.' *Arntz.*

Ædem dedicavit] Ita, ni fallor, omnino legendum: exstructa vero fuit ædes super foro, ubi visa sunt simulacra, et juxta eam fons sacer: his Diis Posthumius filius dictatoris eam dedicavit. Titulus inscriptionem, honorem, militem rem publicam defendentem indicat. *Mach.* Vidit Machaneus, vidit et Lycosthenes deesse aliquid: nos ex Agrippin. cod. excuso admodum vetusto *ædem* addidimus: aut si Msc. unum sequi lubet, adscribe *aras eis* . . . per me enim licet: in aliis sane abest supplementum: forsitan non male. Huc pertinet illud in Julio Suetonii c. 10. 'Venationes ludosque cum collega et separatim edidit: quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet; nec dissimularet collega ejus M. Bibulus evenisse sibi, quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur; ita suam Cæsarisque munificentiam unius Cæsaris dici.' Adde et Julio et Cæsare Coss. aliquid actum scribi solitum, tametsi Bibulum collegam haberet. Vide ibidem c. 20. De Dioscuris vero parta victoria apparentibus ad Regillum narrat in gente domitia Ahenobarborum Tranquillus in Nerone cap. 1. ibidemque Nummus T. Albini apud Torrentium. *Schott.* *Ædem* hoc loco supplebant contra omnes omnino codd. viri docti, sed ego hanc vocem non magnopere desidero, cum sciam recte dici 'dedicare' aliquem, pro 'dedicare ædem' alicui, et statuas Diis erigere. Cicero de Nat. Deor. II. 31. 'Fides, virtus, concordia consecratæ et publice dedicatæ sunt.' Ovid. Fast. VI. 637. 'Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde.' Quamvis autem hæc ædes communi titulo dedicata fuerit, solo tamen Castoris nomine insigniebatur. Seneca de Const. Sap. c. 13. 'Qui ad Castoris negotiantur.' Cicero pro Milone c. 7. Grævius ad Orat. pro Quintio c. 4. et Serv. ad Virgil. Georg. III. 89. Castor enim dignitate quasi præcedebat, unde uterque uno nomine Castores appellantur. Minuc. Felix Octav. cap. 27. Arnob. adv. Gentes I. 20. Tertull. de Spect. c. 8. In Actis Apost. c. XXVIII. vs. 11. 'Cui erat insigne Castorum:' ita versio vulgata; in textu Græco habentur Διόσκουροι. *Arntz.*

CAP. XVII. § 1 *Quinctius*] *Quintus* quidam, non probo. Cur autem *c* addiderim ex Mss. annotatum ab aliis est, qui mihi repetendi laborem ademerunt. *Schott.*

Cincinnatus] Dictus a 'cincinnis,' id est, a prolixis et intortis capillis, quos ferebat. Hieron. 'Cincinnatulos pueros, et calamistratulos, et peregrina unguenta olentes, semper devita.' *Mach.*

Cæsonem] Veteres per *K* vocem 'Kæsonis' notabant, estque in Fastis frequens in prænominibus. Vidi cod., in quo *Censorem* legebatur: ut in vulgatis Ciceronis edd. Orationis pro Domo sua, ubi Ant. Augustin. apud Fulv. Ursin. *Kæso ille Quinctius*

legendum vidit. *Schott.*

Abdicavit] Livius libro tertio ab urbe condita: 'Cæso erat Quinctius ferox juvenis, qua nobilitate gentis, qua corporis magnitudine ac viribus. Ad ea munera data a Diis et ipse addiderat multa belli decora, facundiamque in foro, ut nemo, non lingua, non manu promptior in civitate haberetur.' Huic a Virginio capitis dies dicta quum esset, sex millibus æris mulctatus est, ac dimissus, e *foro* nocte proxima jussu consulum in Etruscos in exsilium abiit. Dissentiunt in hoc igitur historici. *Mach.* Abdicatio moribus Romanis et legibus incognita. L. 'Abdicatio.' Cod. de Patr. Potest. Neque abdicavit filium Quinctius, neque censores ea tempestate in rep. erant. Creati enim primo sunt A. U. C. CCCX. Abiit vero in exsilium anno CCXCII. post U. C. Liv. lib. III. Dionys. l. X. *Schott.* et *Sylb.* Sed lex illa 6. cod. de Patr. Pot. non declarat, omnino abdicationem Romanis in usu non fuisse, immo contrarium statuit, aliquando etiam apud eos fuisse adhibitam. Dicit enim 'quæ Græco more usurpabatur.' Ex quibus verbis constat, abdicasse quidem Romanos, quamvis nullæ quidem leges essent, quibus tale quid parentibus permitteretur. Et quis crederet, cum jus vitæ et necis patribus fuerit concessum, minorem animadversionem iis ereptam fuisse? Quare ridiculum est dicere, abusum Nostrum verbo juris, quasi solus esset Victor et non longa serie alii, qui abdicationis apud Romanos meminerunt. Livii Epitome LIV. 'Domi causa cognita filium condemnavit abdicavitque.' Lactant. Div. Inst. VI. 24. initio: 'Abdicatos abjectosque rursus tamen suscipimus.' Nihil notius apud Quinctil. neque enim loca enumero, et otium hic nobis fecit laudabilis illa quidem, sed rarius obvia viri consultissimi, studiorum quondam socii nunc amici conjunctissimi. J. Regn. Pronckii diligentia in elegantissima dissertatione de abdicatione liberorum. Confer Savaronem ad Sidon. Apoll. IV. 23. et Rittersh. ad Salvian. cont. Avar. p. m. 154. *Arntz.*

Duce Cœlio] Sic et Aldus scripserat. Colinæus, et alii per *æ* diphthongum, qualis varietas et in monte Cœlio, de quo supra dicere memini. Parisinus lib. *Clodio*, nescio quid de P. Clodio et Graccho nimis tempestive somnians. Mss. *Clœlio* præferebant, et Halicarnassei cod. Græcus Κοιλιὸς edit. Livius vero *Cluilius*, errore ex *o* et *u* affinibus nato, pro *Cloilius* vel *Clœlius*. Schott. Vulgati libri *duce Cœlio*: sed 'Clælium' cum Dionys. et aliis vocat etiam Sigon. 33. 20. et sic habent etiam Mss. Schotti. *Sylb.*

Bellum] Rupto fœdere, quod cum Romanis priori anno egerat, scripti sunt Romæ duo magni exercitus contra illos. *Mach.*

Q. Minucium] 'Marci' prænomen est in Floro et Zonara, male, cum 'L. Minucius' a Liv. Dionys. et Capitolinis Tabulis appelletur, ut observat Pighius in Annal. *Schott.* et *Anna.*

Algido] *Cum exercitu obsidebant*, Schottus edidit in minori edit. Sed priores voces exsulant ex omnibus scriptis et editis ante. Quare non necessarium duxi, quo carere possemus absque damno cum Mss. id sine ratione admittere. *Arntz.*

Dictus] A Nautio consule. Quinque enim equites inter stationes hostium emissi Romam pertulere, consulem, exercitumque in Algido obsideri. *Mach.*

Nudum eum arantem] Ex præcepto Virg. Georg. lib. I. 'Nudus ara, sere nudus.' Ex illo Hesiodi: Γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν, Γυμνὸν δ' ἀμᾶσθαι· *Nudum serere, nudum arare, Nudum metere.* Vide Persium Sat. I. *Schott.* et *Anna.* Adde Elsner. ad Euang. Matth. c. XXIV. vs. 18. et Cu-

per. Obs. I. 7. *Arntz.*

Consatem obsidio liberavit] Sic rursum emendo ex Mss. adjuvante ratione, de qua in Superbo. Quibus hæc adde, antiquitus *obsidio*, post *obsidium* dici cœpisse: auctor Marius Victorinus antiquus grammaticus Donati æqualis in orthographia: ut vice versa 'consortio onis' apud Vell. Paterc. et Cic. Offic. lib. III. et 'contagium' apud Marcell. pro *contagione*: sic 'debitio dotis' apud Cicer. ad Attic. XIV. 13. pro *debito dotis*. Imperiti ergo librarii, quod inauditum suis auribus non satis purgatis et eruditis accideret 'obsidio liberare,' *ne*, adjecerunt, ne non Latina phrasis esset. Plautus tamen Milit. 'Coge in obsidium perduelles, nostris præsidium para:' ubi vulgati non ita recte, *Curre in obsidium* legunt. L. Ann. Sen. in Hist. Rom. lib. II. 'Ipsam caput belli Karthaginem urgebat obsidio, ipsisque portis inhærebat:' de Regulo auferendi casu. Sic Tacitus sæpissime. Et Carisius 'contagium' veteres magis usurpasse ait, Sallustium tamen 'contagio' dixisse primum: sic enim lego, non *primo*. Neque enim ex libro primo Historiarum, sed ex Catilinario desumptum est. Sed ne quis de fide in exprimendis libris dubitet; Musas mihi parum propitias opto, nisi ita constanter scriptum reperi, ut et amicis ostendi. *Schott.* Vide supra ad c. 8. § 5. *Arntz.*

§ 2 *Corona*] Superare credo, quod in Mediolan. abfuisse comperi: et certe sic loquuntur auctores frequenter, ut Tranquil. in Julio c. 2. et in Claudio c. 17. Mss. et Paris. hæc invertebat *corona aurea obsidionali donatus est*. Perspicue verum ex Livii lib. III. qui unius libræ pondo fuisse ait: *aurea* itaque addi jussimus. Sed 'coronarum' in P. Decio et Scipione Æmiliano Noster mentionem habet. Videndus et Agellius V. 7. et inf. ad c. 26. in Publio Decio. *Schott.* *Corona* tolli non debet contra Mss. Inspice magnum Casaub. ad Sueton. Cæs. c. 2. Sed ut *aurea* reciperem coëgerunt consensus Mss. non tamen sine aliqua hæsitatione. Sciebam enim coronas obsidionales fuisse 'gramineas;' quin etiam ipsis coronis 'aureis' opponi apud Val. Max. III. 2. exemp. 24. sed facile sustulit hanc difficultatem Fran. scribens *Corona aurea et obsidionali;* quo modo quoque Decio et 'aurea' et 'obsidionalis corona' fuit data apud Liv. VII. 37. 'præter militaria dona aurea corona eum et centum bobus donat ... secundum consulis donationem legiones gramineam coronam obsidionalem Decio imponunt:' et Festum in voce 'Obsidionalis:' 'P. Decio datæ duæ sunt, una ab exercitu universo, una ab iis, qui fuerant in præsidio obsessi.' Confer Godelev. ad Liv. III. 29. et Paschal. de Coron. VII. 16. quare hæc scriptura admittenda erit. *Arntz.*

§ 3 *Ducem*] Gracchum, pluresque alios junctos. *Mach.*

Triumphi die] In qua 'militaria signa prælata, secutus exercitus præda onustus, epulæ instructæ dicuntur fuisse ante omnium domos, epulantesque cum triumphali carmine: et solennibus jocis comessantium modo currum secuti sunt.' Liv. *Mach.* Venuste in quibusdam abfuit præpositio: alii *triumphali*. Adde et sub jugum hostes subactos misisse: cujus formam Livius lib. III. describit. *Schott.* Nobilissimus quidem Nicol. Heinsius ad Sil. IX. 685. legit *in triumphi fidem*. Sed vereor ut aliis hanc conjecturam probet vir illustrissimus. Si enim talis emendatio hic locum habere potuisset, scribere debuerat auctor *in victoriæ fidem*. Romani enim sæpe triumpharunt, quamvis dux hostium non esset debellatus, adeoque dux captivus fidem triumpho dare non potest, cum triumphus justissimus et magnificus esse possit etiam sine du-

ce capto. Sic Metellus de Jugurtha rege triumphavit infra c. 62. cum tamen bellum demum postea confecerit, et Jugurtham captum ante currum egerit Marius, infra c. 67. adde Sallust. Jug. et Cicer. pro Lege Man. c. 3. Præterea nostram lectionem tuentur auctoritates veterum scriptorum. Sueton. Cæs. c. 37. 'Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excussus est:' in Vespas. c. 12. 'Ut triumphi die fatigatus tarditate non reticuerit.' Valer. Max. IV. 1. ex. 8. 'Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit.' Capitol. in Vero c. 8. 'Nomina, quæ sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi.' Liv. XXXVI. 39. 'Exercitum dimisit, et adesse Romæ ad diem triumphi jussit:' et XXXIX. 5. 'Ne plus in triumpho certaminum, quam in bello haberet, prætulit triumphi diem.' Vell. Paterc. I. 10. § 4. 'Ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemorat.' Triumphi enim dies, est dies, in quo triumphus ducebatur, ut 'dies comitiorum,' quo comitia habentur, apud Liv. III. 34. XXVI. 18. XXVII. 21. 'dies nuptiarum,' Just. XXXVIII. 8. § 4. Gloriosissimum autem erat imperatori, populo ante currum captos bello reges ostendere, eosque in pompa triumphali circumducere. Claudian. Bell. Get. vs. 109. 'Currus regumque catervæ Inter abundantis fati ludibria ductæ:' et vs. 126. Livius III. 19. 'Ducti ante currum hostium duces, militaria signa prælata.' IV. 10. Vell. Paterc. I. 9. § 5. et II. 40. § 5. 'Ornamentum triumphi ejus captivos duces Pompeius subduxerat.' Orosius IV. 20. et V. 1. 'Celebres victoriæ, divites prædæ, nobiles pompæ, magni ante currum reges.' Inspice Freinsh. ad Flor. IV. 2. § 9. Quare omnino male hic *currum* delet Leid. 1. *Arntz.*

§ 4 *Quam acceperat*] *Quam accepit* Haun. et Leid. 1. sed solet vocula *quam*, si tempus designet, pro 'postquam,' requirere plerumque præteritum (ut vocant grammatici) plusquam perfectum, quod tempus et hic sensui est adcommodatius. Liv. IV. 7. 'Anno trecentesimo decimo, quam urbs Roma condita erat:' et c. 47. 'Die octavo, quam creatus erat, magistratu se abdicavit.' Livii Epitome lib. XXV. 'Anno octavo, quam in Hispaniam iverant.' Epit. lib. XLIX. 'Intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati:' et Epit. lib. LI. 'Expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita.' Eutrop. II. 28. 'Ambo consules intra sex dies, quam venerat, transegerunt.' Oros. IV. 2. 'Pyrrhus quinto demum anno, quam venerat, ab Italia victus aufugit:' ut recte legitur, non *quo*. Consulendus Duker. ad Flor. II. 2. § 7. et Cort. ad Sallust. Jug. c. 76. § 5. *Arntz.*

Et ad agriculturam] De dictatura illa vide infra Cornelium Cossum. Porro frugalitatis et continentiæ Romanæ memorabile exemplum, de quo vide Salvian. Massiliensium episcopum de Providentia Dei lib. I. *Schott.*

§ 5 *Servilio Hala*] Sic vulgati omnes. Mss. sine ulla veritate *Ab Servilio Ahala*, quomodo et Aldus Manutius P. F. olim scribendum monuit. Ciceroni tamen magis placet *Ala* dici. 'Verba,' inquit in Oratore, 'sæpe contrahuntur non usus causa, sed aurium: quomodo enim vester Axilla Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris? quam literam etiam e maxillis, taxillis, vexilla, paxillo, consuetudo elegans Latini sermonis evellit:' hæc ille; videtur igitur *Ala* ab 'axilla' eadem ratione defluxisse, qua 'velum' ex 'vexillo' factum. Alexand. vero Neapol. Genial. I. 9. putat a fædo oris halitu 'Halam' cognominatum. Judicent eruditiores. *Schott.* Vide Dausq. Orthogr. part. II. p. 24.

et Duker. ad Flor. I. 27. § 7. *Arntz.*

CAP. XVIII. § 1 *Menenius*] In Mss. est geminata liquida. Plutarchus 'Menemius' scribit. Unde autem 'Agrippæ' (vel potius *Agripæ* ab ægro partu) dicti Plinius docet VII. 8. Solinus c. 4. et Agell. lib. XVI. ex Varrone. *Schott.* Paullo post *de his* pro *de iis* scripsimus, volentibus ita codd. et edit. Machanei. Brouk. ad Propert. El. IV. 7. vs. 7. sed nihil librariis familiarius. *Arntz.*

Lanatus] A lanugine enascente cana cognomentum fuit Capitolini, auctore Calepino Lexico. Itidem Columella secundo de Agricolatione 'uvas amineas lanatas enascente lanugine' nuncupat. *Mach.*

Sabinos] Dionys. l. VI. Livius vero adversus 'Auruncos' dicit. *Schott.*

§ 2 *Secessisset*] Auctore et duce Sicinio, iratus in Sacrum Montem se contulit, quod a fœneratoribus nimium vexaretur. *Mach.* *Cessisset* in antiquis reperio: alterum malo; inde enim 'secessio' dicta. Sallust. in Catilin. 'Sæpe ipsa plebs aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum armata, a patribus secessit.' Et Hist. lib. III. in orat. M. Lepidi: 'quoties a patribus armata plebs secessisset.' *Schott.* Ego de hac lectione ne dubitare quidem audeo. Ovid. Fast. I. 643. 'Causa quod a Patribus sumtis secesserat armis.' Sueton. Tiber. c. 2. 'Causa fuit plebi secedendi rursum a Patribus.' Ampel. Libr. Mem. c. 25. August. de Civ. Dei III. 17. 'Plebs in Janiculum hostili diremtione secesserat.' Apud Liv. nihil frequentius; vide II. 32. et cet. III. 39. VI. 38. VII. 40. XLV. 23. et pluribus locis. Quinctil. Decl. III. 11. 'Quem tamen populus secessione a Patribus in vincula duci coëgit.' *Arntz.*

Tributum et militiam toleraret] Fuit cum negationem addendam putarem, sed utraque lectio, si commode interpretaris, ferri potest, idque Sallustii Crispi auctoritate. Sic enim Histor. lib. V. apud August. II. 18. 'Quibus sævitiis, et maxime fœnoris onere oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata Montem Sacrum atque Aventinum insedit:' quem vide et de Civitate V. 12. Itaque frequenter absque negatione Sallust. quam si addas, pro non æquo animo perferre accipio. *Schott.* Antiquæ edd. et omnes scripti illam negandi particulam ignorant, sed est in Plantiniana ed. Schotti, quam reverenter secuti, sic enim illis est mos, collectores Varr. Not. et Anna. Illustre exemplum, quanta cura ab eruditis veterum scripta tractari optandum foret, cum si ipsi a regia via decesserint, cœcum vulgus statim sequatur, et sic corruptissimi juvenum manibus terantur scriptores. Et quid hoc loco necessarium contra Mss. negationem per vim intrudere? ideo querebatur plebs, quod tributa pendere, et onera militiæ subire teneretur. Cicero ad Fam. VII. 18. 'Forti animo istam tolera militiam.' Curtius X. 3. § 9. 'Munia militiæ hoc animorum corporumque robore æque inpigre toleratis.' Tacitus Hist. I. 51. 'Diuque infructuosam et asperam militiam toleraverat.' IV. 71. 'Recepta juventute facilius tributa toleravere:' et Ann. IV. 6. 'Utque vetera' (onera seu tributa) 'sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent.' Symmach. Epist. V. 62. 'Tolerantibus onera senatoriæ dignitatis.' Similiter 'tolerare pericula' apud Val. Max. VII. 7. ex. 1. 'Tolerare famem' apud Cæsar. Bell. Gall. I. 18. § 3. 'Tolerare obsidionem' apud Front. III. 15. ex. 1. 'Tolerare dura' apud Sen. Hipp. vs. 464. Confer Cort. ad Sall. Catil. c. 10. § 2. et c. 37. § 7. Porro veritatem hujus scripturæ, quod statim monere neglexeram, confirmat etiam Abstemius in Præf. Fabul. pag. 534. (editio hæc est a

Neveleto procurata inter Fabulas Variorum) qui eadem iisdem narrat verbis : 'Ab senatu secessisset, quod tributum et militiam toleraret.' *Arntzenius.*

Otiosum cernerent] In veteribus est *crederent otiosum:* varietas forte nata, quod *crevi* præteritum formet. *Schott.* Mox cum olim editis Schotte et scriptis, a Pitisci ed. discessimus, *negaverunt* scribentes : ille *negarunt.* Arntz.

§ 3 *Disserere*] Quidam subjiciunt pro *digerere*, auctoribus libb. veteribus et Livio: 'Reddentem,' inquit, 'in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem.' Sic Seneca, 'Corpus,' inquit, 'nostrum et sanguine irrigatur, et spiritu, qui per sua itinera discurrit.' Corn. Severus in Ætna: 'Ad vitam sanguis omnis qua commeat idem:' tametsi medici 'digestionem' semper in ore habeant, sitque *digerere* 'suo quidque loco componere.' Virg. 'Digerit in numerum,' &c. Ov. 'Latium digesta per annum.' Alias *dividere.* Schottus. *Discurre* Boend. Celsus in Præf. p. m. 6. 'In omnes membrorum partes digeruntur :' et passim medici. Arnob. adv. Gentes lib. VII. p. 225. 'Lactentium lenitatem, quo digerat expeditius, sumit.' Alii dicunt *dividere.* Davis. ad Cic. de Nat. Deor. II. cap. 54. Maluissem equidem *digerere* præferre ; sed cum quinque scripti receptam tueantur, illis nolui repugnare. In ultima tamen Schotti est *digerere.* Arntz.

§ 5 *Fabula hæc*] Æsopeo more conficta ; est ea nec vera, nec verosimilis. Vocatur autem alia, Sybarica, et Cilix, et Cypria, secundum inventores nomina mutans. Vicit autem cæteras magis Æsopica : ut nos late in traductione Aphthonii e Græco Latini facti diximus. *Mach.*

§ 6 *Tribunos plebis*] Primos duos, 'C. Licinium et L. Albinum,' ut Livius vocat. Asconius 'S. Licinium Bellutium et L. Junium Paterculum' appellat. Dionysius 'C. Sicinium Bellutium et L. Junium Brutum.' Plutarchus in Poplicola, et Coriolano 'Junium Brutum et Sicinium Bellutum.' Suidas in voce δήμαρχοι, 'Sicinium et Brutum.' *Schott.*

Adversum nobilitatis superbiam] In Mss. est, *adversum nobilitatem*, rectius : nam e suo corpore contra patriciorum potentiam, vim, ac injuriam, magistratum creari populus volebat, non ob 'superbiam' solum, sed vim præcipue nobilium fœneratorum, qui plebem ære alieno obstrictam in vinculis habebant. *Schott.* Si in nullis calamo exaratis codd. isthæc restaret lectio, sed magis *adversus nobilitatem defenderent*, non esset profecto causa, cur eam deinde excluderemus. Sed enim cum palam hæreat in autographis Palatinis, non est quod nimis eam exagitemus, aut adeo 'nobilitatem' exuamus sua sibi 'superbia :' ei sane passim adfigitur, tanquam nota propria. Unde de Metello Sall. Jug. cap. 64. 'Cui quamquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus, et superbia, commune nobilitatis malum.' Addantur et Aurelii Victoris Cæsares cap. 39. ubi loquitur de Dioclet. *Grut.* Expressimus omnium codicum et editionum scripturam *adversum*, seu *adversus superbiam nobilitatis.* Sallust. Jug. cap. 5. § 1. 'Quia tum primum superbiæ nobilitatis obviam itum est :' et cap. 31. § 2. 'Quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum' (per *pauci*, ut notum est, in Sallustio intelliguntur nobiles) et cap. 85. § 38. 'Ceterum homines superbissimi procul errant.' Livius VI. 18. 'A superbis defenderem civibus :' verba ex oratione Manliana, qua iram plebis contra nobilitatem accenderet. Vell. Paterc. II. 11. § 1. 'Naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cu-

piditatem.' Et superbia continet illa omnia vitia, quæ memorat Schottus, potentiam, vim, injuriam et cet. Vide supra ad cap. 8. Dicitur igitur superbus is, qui publicæ libertati gravis est, qui calcatis legibus aliorum civium cervicibus imminet. Livius XXIII. 12. 'Aut superbus aut obnoxius videar, quorum alterum est hominis alienæ libertatis obliti, alterum suæ.' Seneca de Const. Sapientis c. 11. 'Cum magnam partem contumeliarum superbi insolentesque faciant, et male felicitatem ferentes.' Claudian. Sec. Cons. Stil. vs. 218. 'Cives nec fronte superba Despicit.' Quod igitur Noster 'nobilitatis superbiam' dicit, hoc Cicero fragm. Orat. pro C. Cornelio p. m. 188. edit. Asconii, 'nimiam dominationem potentium' appellat: quare, cum contra hanc superbiam nobilitatis instituti sint, 'auxilium plebis' vocantur tribuni. Liv. lib. VI. 27. 37. et 38. Gunther. Ligur. de Gest. Barb. III. 379. 'Prætoris honos et consul uterque Annuus, et gemini plebis tutela tribuni:' ubi videndus Rittersh. Et eodem modo *vindices*, quomodo pene puer legendum conjeceram apud Eutrop. I. 13. 'Tribunos plebis, quasi proprios vindices et defensores;' vide diss. nostram de Civit. Paulli cap. 7. § 4. Sed hæc conjectura placere non potuit viro clar. cujus ego humanitati multum debeo, Sig. Havercampo, Præfatione in nuperrimam illius auctoris editionem, qui omnino receptam lectionem *judices* tuetur. Verum ego utens concessa mihi libertate, simulque viri cel. desiderio satisfaciens (cui unicum hoc est consilium efficere, ne juvenes discant jurare in verba magistri) nullo modo sententiam mutare possum. Esse contra Mss. scivi, ceteroquin conjectura non fuisset opus, nec tamen Græcum paraphrastem mihi adversari antea intellexi, neque etiam nunc intelligo, nullum enim alium ἄρχοντας οἰκείους quam *plebeium magistratum* expono, ut apud Liv. II. 56. qui pro plebe sola, non vero pro nobilitate, curam gererent, eamque vindicarent. Sed propius urguet vir. erud. 'Si *vindices* et *defensores* dixisset Eutrop. bis idem dixisset.' Sed hoc si peccatum esset, peccavit etiam Cicero, qui 'custodem et defensorem' dixit tribunum pro C. Rabirio cap. 4. et provocationem ipsam, 'patronam civitatis ac vindicem libertatis;' ubi eandem rem duobus verbis exponit. Quomodo 'custodem et vindicem' conjungit idem Orat. Agrar. cont. Rullum II. 9. et Vell. Paterc. II. 104. § 4. Neque tamen idem designat vindex et defensor: ille erit, qui illatam jam injuriam vindicat; hic, qui, injuria ne fiat, defendat. Pergit vir cl. 'Judex Eutropio idem est quod magistratus;' idque firmat ex Eutrop. VII. 7. 'Præpositusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum judicem habuit.' Verum hic locus nihil probat; agitur enim de provinciis, in quibus præsides etiam habebant 'jurisdictionem,' ut recte 'judices' dicantur, et præsertim posterioribus temporibus. Sic de aliis præfectis vide Guther. Off. Dom. Aug. I. 8. Gallus iste erat præfectus Ægypti. Vide Sueton. in Aug. c. 66. An igitur in Act. Apost. c. XVIII. vs. 15. Κριτὴς ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι, hæc verba vertenda erunt, *magistratus ego illorum esse nolo?* an non præstaret *judex?* Sic præsidem provinciæ in judicio vocat Paullus κριτὴν *judicem* Act. Apost. c. XXIV. vs. 10. Quis judicem ignorat Pilatum? Adeatur Brisson. de Verb. Sign. voce 'Judex.' Orosius multo minus hoc evincit III. 14. 'Ex quibus ccc. exsules judices rectoresque præfecit.' Nolo jam dicere minori jure hic ferri posse 'magistratus' et 'rectores,' quam illud 'vindices' et 'defensores.' Sed Justinus, ex quo vel fortasse ex ipso Trogo sua hæc ad verbum transtulit

Orosius plagiariorum nulli secundus, statim addit illos rectores revera judices fuisse, cum enim IX. 4. § 8. eadem habeat verba quæ Orosius § seq. addit: 'Apud quos cum potentissimi quique rei postularentur,' &c. quod satis superque declarat judicia ipsos exercuisse. Sic itaque judice nullos magistratus dici judices, nisi penes quos simul fuit jurisdictio; quod cum non obtinuerit in tribunis plebis, illi etiam nullo modo 'judices' appellari possunt. Et hoc ita verum est, ut etiam consules, qui antea 'judices' dicebantur, illud nomen mutarint tum, cum prætor fuit institutus, quia a se jurisdictio in illum transiret. Sed video, me fuisse longiorem quam putaram. *Arntz.*

Collatis] *Collectis* Parisin. legit: Livius, 'extulit eum plebes sextantibus collatis in capita,' quomodo et Val. Max. lib. IV. *Schott.* *Collectis* Gramm. Melius Eutrop. I. 11. 'Adeo pauper, ut collatis a populo nummis sumtum habuerit sepulturæ.' Quinctil. Decl. V. 6. 'Date stipes, indulgete, conferte.' Seneca Cons. ad Helviam c. 12. 'Menenius Agrippa ære collato funeratus est.' Et hinc 'collatio' apud Liv. IV. 60. *Arntz.*

Quadrantibus] Non facile aliquid unius codicis auctoritate mutare soleo; non rejiciendum tamen quod Fran. *sepelirent:* (*sepelire* Leid. 2.) Ovid. Met. XII. 499. 'Populus superamur ab uno.' Am. El. II. 9. 11. 'Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma.' Gron. ad Liv. IX. 6. et XXXVI. 16. Cortius ad Sall. Jug. c. 22. § 4. et alibi. *Arntz.*

Publicum] Mss. legunt: *publice* alii: quomodo loquitur in Curio Dentato; et Corn. Nepos in Aristide: 'In tanta paupertate decessit, ut qui efferretur vix reliquerit. Quo factum est, ut filiæ ejus publice alerentur, et de communi ærario dotibus datis collocarentur.' *Schott.*

CAP. XIX. § 1 *Cneus Marcius*] Sic in vulgatis omnibus legitur: scribo *Caius Marcius*, quemadmodum libb. veteres præcipiunt: in uno tamen, ne quid dissimulem, supra adscriptum habebatur *Quintus*. Schottus. *Caius* ediderat in min. ed. Schottus cum suis sectatoribus, sed ceteræ edd. *Cneus*, quo modo et omnes scripti, quos sum secutus. Cum enim ubique varient Mss. ego cum plurimis et optimis sentio. Vide Duker. ad Flor. I. 11. § 9. Torren. ad Val. Max. IV. 3. ex. 4. Glar. et Sylb. ad Eutrop. I. 15. ubi *Quintus* vel *Quintius* editur. *Arntz.*

Captis] Sine præpositione. Schottus Sigon. sequi maluit XXIV. 10. et XXV. 17. *Sylb.* Præpositio deletur quoque a plerisque nostris. *Arntz.*

Coriolanus] Ut Creticus a Creta; Africanus ab Africa. *Mach.*

Militiæ] Vocabulum hoc abest a quibusdam Mss. *Sylb.*

Postumio] Plutarcho 'Postumus' est, non 'Postumius.' *Schott.* Vulgati libb. *Posthumio:* itemque Dionys. Hal. 414. et 415. Sed 'Postumi Cominii' non 'Sp. Postumii' ductu gestum esse hoc bellum manifestum est e Sigonii commentario XXIV. 4. *Sylb.* *Postumo* Schottus in edit. min. aliter in majore *Posthumio*. Variant eodem modo scripti apud Val. Max. IV. 3. ex. 4. Sed hic constanter *Postumio* scripti et editi, quod ego, qui non libenter ab Mss. abeo, contra doctorum virorum sententiam recepi, præsertim cum ita sit editum apud Cicer. pro Balbo c. 23. 'Sp. Cassio, Postumio Cominio Coss.' sic Grævius, ceteræque, quas inspexi, edd. neque ulla varietatis fit mentio. *Arntz.*

§ 2 *Hic consul*] *Consulem* non fuisse existimo, nec Capitolini Fasti a Verrio Flacco, ut putatur, conscripti eum agnoscunt: senatorem ut credam facit T. Livii auctoritas. Verum in petitione consulatus repulsam passus est: hac injuria plebi infestus, gravissime eam sua sententia afflixit.

Dion. Halicarn. et Plut. *Schott.* et *Sylb.*

Advectum] *Adductum* solus Gramm. ceteri *advectum*, quod etiam tuentur editi, et sine dubio vere. 'Advehi' enim dicuntur res illæ, quæ navibus adportantur. Ovid. Ep. Her. xvi. 17. 'Namque ego divino monitu, ne nescia pecces, Advehor.' Cicero de Off. iii. 12. 'Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit.' Seneca Medea vs. 197. 'I querere Colchis. M. Redeo: qui advexit, ferat:' *avexit* cod. Trajectinus, non male. Ovid. 'Phrygiis avecta carinis.' Hygin. Fab. xlii. xcviii. et cxcviii. Terent. Andr. iv. 5. 19. 'Is venit, ut secum avehat:' ibi male cod. noster et alter Leid. *advehat:* et tunc versu seq. pro vulgato 'Hem, virginem ut secum avehat,' reponit idem Ms. meus *adducat;* Leid. vero in errore persistens *advehat.* Apud Just. ii. 6. § 11. 'Ad regem Thessaliæ Deucalionem ratibus advecti sunt:' cod. Bodl. Sed præfero vulgatum *evecti*, quasi ad altiorem locum vecti, quomodo Ovid. Met. xiv. 127. 'Aërias meritis evectus ad auras.' Val. Flaccus Argon. v. 386. 'Nos hospita pubes Advehimur, Graium proceres.' Symmachus Epist. x. 26. 'Omne navigium scenicos artifices advexisse jactatur.' Non novum autem est librarios verba 'advehere' et 'adducere' confudisse. Davis. ad Cæsar. Bell. Gall. i. 23. § 4. Burmann. ad Ovid. Am. El. i. 10. 1. Quamobrem eruditissimi viri nonnunquam hæsitarunt, quam potissimum vocem præferrent. Ita sibi non constat vel ipse Gronovius, qui ad Liv. xxvii. 38. præfert *navibus adduxisse;* contra *advexisset* pro *adduxisset* reponit xliv. 26. Nec aliter Cort. apud Suet. Gramm. c. 20. 'A Cæsare puerum Romam advectum,' cum aliis mavult *adductum:* ad Sallust. Jug. c. 86. § 4. Confer Torren. ad Val. Max. vii. 3. ex. 3. *Arntz.*

Magno pretio] Nam ratus tempus venisse ex ore pauperum frumentum rapiendi, unde damnatus. *Mach.*

Dandum populo curavit] Locus fœdu falsaque interpunctione contaminatus. Lego alioqui *negavit*, ne cum Livio, Dionysio, et Plutarcho pugnet: hoc amplius, a se ipse dissentiat: 'injuriam' enim mox appellat. Quam, amabo, injuriam plebi volenti facturus videbatur, si frumentum distribuendum curasset? Quamobrem sic olim sine libris audacter legendum censebam: *Dandum populo negavit, ut hac injuria:* sicque explicabam: 'ideo impediisse ne tribuni plebis frumentum populo darent, ut rei rusticæ et agricolationi, non vero intestinis seditionibus vacarent.' Cupiebat enim hostis tribunitiæ potestatis acerrimus, jura civili illa secessione atque discidio Patribus adempta atque extorta recuperare. Equidem ita judicabam: sed vulgata retineatur, sitque comma post *frumentum: advectum e Sicilia frumentum, magno pretio dandum populo curavit:* advectum partim vili pretio, partim gratis ex liberalitate regis acceptum fuerat, id quod patricii plerique, imprimisque hic Marcius vendendum plebi censuerat. *Schott.*

§ 3 *Decio*] 'Sicinio' Livius et Plutarchus. *Schott.* Pro *Decio* duo Mss. habent *Decimo.* Sed Δέκιον tribunum plebis, prænomine 'Marcum,' agnoscit hic etiam Dionys. *Sylb.*

Duce Attio Tullo] Mss. duo *Tito Tatio*, gentili ejus, qui cum Romulo regnavit annos quinque, unde et tribus quædam Tatiensis cognominata: tertius vero Actio Tullo; sed Tullus Attius appellatus, ut illud prænomen sit, hoc gentis nomen, ut in Tullo Hostilio: sed de hoc nomine in Ciceronis vita quædam. *Schott.* Vulg. *Accio Tullio* vel *Actio Tullio.* Quatuor Mss. *Tito Tatio.* Sed 'Attium Tullum' seu 'Tullum Attium' vocat cum Dionys. etiam Sigon. xxv. 40. *Sylb.*

Tito Tatio seu *Tacio* scripti, *Actio Tullio* edd. Aperte falsum. Inspice Heins. ad Sil. VIII. 407. Sigon. ad Liv. II. 35. et Fabric. in Hist. Cicer. init. Pro *concessit* legit Boend. *confugit*. Arntz.

Concitavit] Nam quum Indi magni Romæ agerentur, simulavit Tullus cum consulibus esse metuendum a Volscis; ne seditiones in Urbe sererent: unde præconis voce ejecti sunt Volsci extra Urbem; ac ex illa indignatione arma sumpsere. *Mach.*

§ 4 *Cumque*] Pulmanni apographon legit *Isque cum.* Schott.

A Veturia matre et Volumnia uxore] Confer Periz. ad Val. Max. v. 2. ex. 1. et Eutrop. I. 15. *Arntz.*

Matronarum] Principe Valeria. *Mach.*

Comitata] Passive: nam antiqui etiam *comito* dixere. Propert. 'Atque utinam nostræ comitarent castra puellæ.' Præterea apud antiquos omnia deponentia erant communia. Virgil. 'Atque uno graditur comitatus Achate.' *Mach.* Ita major pars Mss. et editt. non *comitatis*, uti posteriores ediderunt. *Arntz.*

Motus] Dixit enim 'vicisti mater.' *Mach.*

Ut proditor] Pulmanni apographon legit *ut proditur*, non *ut proditor*; nec improbo. Varie enim de morte illius disceptant auctores, qui hæc literis monumentisque prodiderunt. Fabius Pictor, quem Livius laudat auctorem antiquissimum, usque ad senectutem vixisse refert, non vero interfectum; et hanc vocem usurpare solitum, 'Multo miserius seni exilium esse.' *Schott.* Liber Ms. *ut proditur*, sed verior lectio vulgata *ut proditor*. Nam et Dionys. 527. 44. proditionis eum a Tulli factione insimulatum testatur. *Sylb.* Nostri nihil variant. *Arntz.*

§ 5 *Fortunæ muliebri*] Senatus populusque decrevere: quia e mulieribus salus Urbi fuerat. *Mach.* Videndus Plutarchus extremo Coriolano, et de Fortuna Romana. Dion. Halicarn. Plinius XXXIV. 8. et alibi. Val. Max. I. 9. et v. 2. *Schott.*

CAP. XX. § 1 *Duabus filiabus*] Vulgati libri *duabus filiis*, contra morem. *Sylb.* Vossius de Anal. II. 4. Hirtius Bell. Alex. cap. 33. § 2. 'Majorique ex duabus filiis Cleopatræ, quæ manserat in fide præsidiisque ejus:' et Tennul. ad Frontin. Strat. IV. 3. § 5. In Nostro d'Orvilianus cod. servat *filiabus*. Arntz.

Stoloni] Stolo rusticanum vocabulum, quod Liciniæ genti insitum, quia primus inutiles radices ex arboribus eradicabat, quæ a stolida fruticatione 'stolones' nominantur. *Mach.*

Plebeio] Addo *plebeio*, secutus auctoritatem Mss. et certe desiderabatur, quod mox patricio, (quem 'Ser. Sulpicium' Livius secus ac Noster appellat) alteram in matrimonium filiam datam affirmet. *Schott.* Satis ex sequentibus colligitur eum 'plebeium' fuisse. Addit in hac oppositione Florus I. 26. § 2. 'Alteram Sulpitio patricii sanguinis dederat, alteram plebeio Stoloni.' *Arntz.*

Tribunus militum] Ea per plures annos dignitas quotannis pro consulari viguit, ut Livius refert. *Mach.* Mss. *Tribunus militaris* præferunt, non *militum*. Schott. *Militaris* quatuor nostri: notior enim locutio minus notam de loco movit. Livius III. 51. 'Decem numero tribunos militares ereant:' et VI. 32. 'Tribunos etiam militares patricios omnes coacta principum opibus fecit.' Eutrop. II. 1. 'Pro duobus Coss. facti tribuni militares consulari potestate:' et c. 3. 'Dignitas tribunorum militarium non diu perseveravit:' et paullo post: 'resumserunt tamen tribuni militares consulari potestate.' *Arntz.*

Fasces lictorios] Nam moris fuit ingressuro domum aliquam magistratui per lictores ad dignitatem ostendendam percutere fores: quod Plinius VII. 30. his verbis ostendit: 'Cn. Pompeius, confecto Mithridatico bel-

lo, intraturus Posidonii sapientiæ professione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit, et fasces lictorios januæ summisit.' *Mach.* Confer Lips. Elect. I. 23. *Arntz.*

Ut primum] Pro 'simulatque,' vel 'postquam primum.' Constat vero jam decimum tribunum plebis cum L. Sextio refectum, quando lex ista senatum pervicit: quid si ergo legas, *ut primum tribunatum plebis rursum adeptus est?* Nihil tamen pronuntio, aut immuto. *Schott.* Sed *primum* hic non est adjectivum, neque referendum ad tribunatum, verum conjungendum cum *ut; ut primum* pro 'simul ac,' 'statim ac.' Cicero ad Fam. v. 8. 'Ut primum forum attigerim.' x. 13. 'Ut primum potestas data est augendæ dignitatis tuæ.' Sueton. Ner. c. 22. § 3. 'Ut primum Cassiopen trajecit:' et Virgil. Æn. vi. 102. 'Ut primum cessit furor.' Quare duas hasce voces conjunctas significantiores esse recte judicavit Tursell. de Part. pag. m. 149. *Arntz.*

Adgressus est] *Egressus* Leid. 1. ceteri nihil variant. Virgil. Ecl. iv. 48. 'Aggredere o magnos (aderit jam tempus) honores.' Seneca Thyeste vs. 341. 'Et sceptrum scelere aggredi.' *Arntz.*

Legem tulit] Tulit idem, 'ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolveretur.' Livius extremo l. vi. *Schott.*

§ 2 *Resistente*] Restitit et Furius Camillus quartum dictator. Plut. Camillo extremo. *Schott. Not. Min.*

Et primus Licinius Stolo] Sic Noster: Livius tamen, Plut. in Camillo extremo, et Fasti Capitolini L. Sextium 'primum de plebe consulem factum' aiunt. Vitiose Dominicus Floccus, sive is Jacobus Borragius est, ut Robortellus existimat, auctor de magistratibus Romanorum, non Fenestella, 'L. Sequarium' nominat. *Schott.* Errorem Nostri notat etiam Pighius Ann. tom. I. p. 262. *Arntz.*

§ 3 *Lege sancivit*] Sic locum interpungendum putavi, a quo dissentire liberum cuique facimus. Porro in Mss. *Lege cavit:* Parisinus vero *legem scivit*, venuste admodum. *Schott.* Uterque Leid. *lege cavit.* Haun. corrupte *lege creavit.* Gramm. Fran. et Boend. *legem scivit*: probe et eleganter. Cicero de Prov. Consul. c. 15. 'Simul ostendit, eam se sciscere legem.' Pro Plancio c. 14. 'Nam quod primus scivit legem de publicanis.' Tacit. Ann. III. 27. 'Quin multa et diversa sciscerentur.' Liv. vii. 16. 'Rogatio est perlata, et plebs eam aliquanto cupidius scivit.' Adde Heins. ad Phædr. Fab. iv. 25. 42. Si tamen alicui magis placeat *lege cavit*, per me licet, et eandem efficit sententiam. *Arntz.*

Plebeio] Delendum videtur. Legendum ex historiæ veritate, *ne qui plus quinquaginta.* Schott. Not. Min.

Plus centum jugera] Sic vulgati hactenus; in quibus mendum inest. Libb. Mss. nihil hic nos adjuverunt: nam in uno lacuna erat, quasi librarius hæsisset aut lituram in autographo vidisset, alter nihil variabat: nos et Livio et Valerio auctoribus, *quingenta* fecimus, exigente ita historiæ veritate: et mox *cum jugera quingenta altera hab.* ubi vulg. *cum jugera centum quinquaginta haberet.* Manifeste falsum. Lycosthenes *mille* reponebat; nos, nisi me amo, dexterius *quingenta altera* restituimus: præsertim cum Varro, Plautus, ceteri sic loquantur, et in uno scriptum repperissem, *cum jugera quingenta haberet, et altera:* ut *altera* accipiamus pro 'alterum tantum,' vel 'totidem;' bis enim quingenta millenarium efficiunt, si non fallunt Pythagorici numeri. Forte vox *altera* omissa, quod statim repeteretur. Simile vulnus in Tib. Graccho sanavimus. Ceterum legis hujus meminere præter Livium, Varro de Re Rustica, lib. I. Appianus

Bell. Civil. lib. I. Agellius XX. 1. Valer. VIII. 6. Plinius lib. XVIII. 3. Vell. Pater. lib. II. Plutarch. in Camillo et in Gracchis. *Schott*. *Centum* habent omnes scr. et ed. Scio contra testimonium aliorum veterum: sed vellem me docuisset Schottus, cur omnes tales errores librariis tribuendi sint; ego puto et errare potuisse ipsos scriptores, quare ea non statim erunt tollenda, quæ nobis peccata esse videntur librariorum. Nec enim sequor eorum judicium, qui eos auctores, quorum edendorum curam susceperunt, adeo puros, adeo veraces et certos esse aliis persuadere cupiunt, quasi ex tripode sua hausissent, ut falli non potuissent. Quare postea *quinquaginta centum* cum codd. retinuimus. *Arntz*.

§ 4 *Emancipati*] 'Exhæredati.' Manceps vocatur, qui a populo aliquid emebat, conducebatve: mancipia appellata servi, ancillæve emtitiæ, quia in bello capiantur: unde 'emancipare.' Priusquam sequens caput de legum origine interpreter, obiter studiosos juvenes, maxime juris peritos admoneo, ne Accursii scriptis quibusdam, commentitiisque nugis primo libro Digestorum de Juris Origine fidem habeant. *Mach*. Val. Max. VIII. 6. 'Dimidiam partem filio emancipavit,' pro *vendidit*, quomodo jurisconsulti sæpe usurpant. Justin. Tit. II. 10. de Testamentis, Plautus Curculione, et Cicero Philipp. III. *Schottus*. *Emancipati liberi* sunt, ut norunt hodie tirones, qui ex potestate patris sunt dimissi, non autem exhæredati: cum, si vel testamento essent præteriti, haberent possessionem contra tabulas. Fiebat talis emancipatio per imaginariam venditionem. Brisson. Ant. I. 11. ad quem morem respicit Machaneus. *Arntz*.

In judicium vocatus] Accusante M. Popillio Lænate, ut ait Valerius. *Schott*.

Primus omnium] Ac docuit, 'nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi impetraverit,' inquit Val. Maximus VIII. 6. cui titulus, 'Qui quæ in aliis vindicarant, ipsi commiserunt.' *Grut*. Quem vide etiam ad Liv. VII. 16. *Arntz*.

Punitus est] Damnatus decem millibus æris teste Paullo Orosio. *Schottus*.

CAP. XXI. § 1 *Seditiosos magistratus*] Tribunos plebis violentissimos: hoc autem fuit anno trecentesimo altero, quam condita Roma fuit. *Mach*. Citat hunc locum absque auctoris nomine Isidorus Etymol. V. 1. ubi recte in Mss. *Cum populus seditiosus* legitur. Nam eo tempore, ut ait Cicero de Legib. lib. III. seditiosi magistratus nondum fuerant. *Schott*.

Creavit] *Curavit* Mss. Nihil muto. *Schott*.

Solonis] Atheniensis, quem constat e septem sapientibus primarium fuisse, cujus exquisita dicta circumferuntur; ut 'Dicique beatus Ante obitum nemo, supremaque funera debet.' Sententia ejus omnino fuit ab Ovidio repetita. *Mach*. *Translatas* edidimus jubentibus Mss. *Arntz*.

Duodecim tabulis] Primo latæ fuere decem confirmante populo, ac in bases æneas inscriptæ. Livius: 'Centuriatis comitiis X. tabularum leges perlatæ sunt, qui nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici privatique juris est.' Idem paullo inferius: 'Jam et processerat pars major anni, et duæ tabulæ legum ad prioris anni X. tabulas adjectæ erant.' *Mach*.

§ 2 *Virginiam*] *Virginem* Leid. 2. et Haun. quomodo Eutrop. I. 18. 'Unus ex iis Appius Claudius Virginii cujusdam filiam virginem corrumpere voluit.' Leid. 1. *Virginam*. *Ex his* pro *ex ipsis* edidimus e Mss. *Arntz*.

Corrumpere non posset] 'Neque spe, neque pretio.' Livius. *Mach*.

Clientem] M. Claudium. *Mach.*

Qui eam in servitium deposceret] Mediolan. longe evariat *qui eam vindex posceret;* quomodo etiam legendum mihi videtur, quod JCti vindicias secundum libertatem aut servitutem dare dixerint. Locus hic apud Liv. obscurus satis: 'M. Claudio clienti,' inquit, 'negotium dedit ut virginem in servitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias: quod pater puellæ abesset, locum injuriæ esse ratus;' de quo vide Ræward. ad. Leges XII. 6. et in Variis: ad de Turneb. Adversar. l. XIII. c. 27. Fr. Hottomann. Observat. I. 32. Alex. Neapol. VI. 10. Cælium Rodig. XVII. 29. Denique Ascon. Pedian. Verr. lib. III. *Schott.* Sed quomodo aliquis *vindex* erit, qui hominem talem conatur abstrahere in servitutem? Vindex enim est, qui aliquem ex servitute liberat, non qui aliquem in servitutem abducit. Festus in voce 'Vindex:' 'Vindex ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur.' Virginia libera erat, et a nemine prensa, adeoque necessarius non erat vindex. Omnino igitur retinenda erit recepta lectio, nisi quod pro *servitutem* ex nostris codd. scripsimus *servitium.* Arntzenius.

§ 3 *Cum ipso die judiciis supervenisset*] Ita Mss. Quidam codd. *Cum ipse judicii dies supervenisset:* non placet. *Schott.* Malim abjecta litera *judicii;* volente exemplari Palatino utroque. *Grut.* Prætuli scripturam quinque codicum, qui *judicii* exhibent. Livius II. 54. 'Igitur judicii die, cum plebs in foro erecta exspectatione staret.' III. 58. 'Ante judicii diem finem ibi vitæ fecit.' Plinius Epist. V. 1. 'Appetebat judicii dies.' Eodem modo vidimus cap. 17. § 3. 'Triumphi die.' Apud Liv. XXX. 38. 'Dies ludorum.' 'Tempus judicii' dixit Livius IV. 44. uti Rutilius I. 541. 'Tempora navigii clarus reparaverat Eurus:' ubi male Onuphrius *navigiis.* Hoc autem loco illud *s* adhæsit ex sequenti voce; quamvis illa litera a librariis haud raro addita fuerit, ubi necesse non erat. Sigon. ad Liv. XLII. 25. Gron. ad Sen. Thyest. vs. 302. et 571. Pierius ad Virg. Æn. IV. vs. 167. et nos infra ad cap. 42. § 1. In cod. Haun. reperitur *quum in rem judicii sup.* Arntz.

Supervenisset] A duobus impigris juvenibus arcessitus e castris, antequam literæ Appii 'supervenissent' scribentis collegis, 'ne illi darent commeatum, sed in custodia haberent.' *Mach.*

Addictam] 'Obligatam.' Propert. 'Et trahit addictum sub sua jura virum.' Jam Appius, 'I,' inquit, 'lictor, summove turbam, et da viam domino ad prehendendum mancipium.' *Machan.* Male qui *additam* ediderunt, ignorantes vocis vim: 'addicti' enim ii dicebantur, qui prætoris pronuntiatione, cum solvendo non essent, creditoribus vendebantur, ut in eos vitæ necisque potestatem haberent: est enim ex tribus verbis prætoriis, quæ sunt 'Do, Dico, Addico.' Auctor noster infra in Manlio Capitolino: 'Et addictos propria pecunia liberaret:' sic enim primi legendum docuimus. Quid in augurali scientia, *aves addicunt,* in Numa dicere memini. *Schott.* Non admodum ignotam vocem variis quoque modis corruperunt nostri. Verum recepta scriptura mutari non debet, quæ est verissima. Livius VI. 14. 'Judicatum addictumque duci patiar:' ut eodem lib. capp. 15. 20. 34. 36. et cet. Quinctil. Decl. III. 17. 'Flagitium conatus in addicto ac pene servo.' Vide Savaron. ad Sidon. Apoll. Epist. I. 7. 57. Epist. II. 7. et Epist. V. 7. p. 329. Justin. XXII. 3. § 4. 'Civitates sociorum eidem titulo pacis addictas:' et Drakenb. ad Sil. XV. 247. Solent autem hæc ita confundi. Vide Comment. ad Tacit. Ann. XII. 7. ad Valer. Max. IV. 8. ex. 1.

VII. 6. ex. 1. et Heins. ad Claudian. in Eutrop. I. 513. *Arntz.*

Abduxit et] Vulgati ex eo *abduxisset* contra fidem veterum fecerant, et *cum* de suo adjecerant: sed qua fronte? Unus calamo exaratus *in secreta* legebat. Accidit autem sexagesimo ab exactis regibus anno. Cicero de Finibus: 'L. Virginius sexagesimo anno post libertatem receptam, Virginiam filiam sua manu occidit potius, quam ea Appii Claudii libidini, qui tum erat summo in imperio, dederetur.' Exstat et Libanii Sophistæ declamatio de patre filium occidente, cum tyrannus rapere eum vellet. *Schott.* *Cum eam in secretum adduxisset* Haun. Gramm. Fran. et Boend. *cum eam in secretum abduxisset* uterque Leid. deleta in omnibus particula *et*, quam lectionem non video cur vitiosam censeat Schottus, præsertim cum in antiquis edd. ita jam fuerit editum. Ceterum quatuor priores non recte *adduxisset* scribunt; melius reliqui *abduxisset.* Livius XXX. 14. 'Abductum in secretum Masinissam sic adloquitur:' quod ita recte emendavit summus Gronov. cum alii *adductum* legerent. Justin. XVIII. 7. § 9. 'Tum in secretum abducto pater ait:' ubi nonnulli male *adducto.* Eodem modo hæc vox confunditur apud Veget. de Re Mil. I. 5. 'Civilis pars florentiorem adduxerat juventutem:' ubi in Variis Lectionibus Scriverii est *abduxerat*, melius, ni fallor. Sed talia sunt obvia, et observavit exempla Gudius ad Phæd. V. 7. 17. Grævius ad Cicer. ad Fam. Ep. II. 10. Bongars. ad Justin. XVIII. 1. § 3. Munckér. ad Hygin. Fab. VIII. CXXII. et alibi: Gronovius ad Liv. XXVII. 29. Burm. ad Quinctil. Decl. XIV. 10. et CCCXXXV. 691. Var. Lect. ad Curt. VI. 8. § 22. et Drakenb. ad Sil. X. 18. Deinde cum iisdem Mss. et edd. reposuimus *et corpus.* Arntz.

Occidit] 'Arrepto cultro ab lanio,' Livius. *Mach.*

Corpus gerens] Discrepant alii historici ab hujus sententia, asserentes cadaver Romæ relictum, ipsum vero ad exercitum iratum rediisse. *Machan.* *Humero* singulari numero habebant editi et quinque manuscripti. Corrupte ex contractione Leid. 2. *humo:* hoc in *humeris* mutavit primus Schottus, nescio an ex scriptis. Solent quidem fere antiqui numero plurali uti. Ovid. Ibide vs. 177. 'Quæque gerunt humeris perituras Belides undas.' Apul. Met. XI. 269. 'Et humeris dependebat:' ubi malim scribere *ex humeris.* Quinctil. Decl. IV. 8. 'Reportatus humeris lætitiam civitatis inplevi.' Propert. El. IV. 10. 47. 'Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant.' Noster sup. de Orig. Gent. Rom. c. 9. § 1. et passim. Sed cum numerum singularem præferant et scripti et editi, contra eorum consensum nihil volui committere, præsertim cum et sic loquantur alii. Horat. Sat. I. 1. 48. 'Forte vehas humero.' Auctor Moreti vs. 79. 'Nonisque diebus Venales humero fasces portabat in urbem:' quomodo recte et Scaliger et Excerpta Vossiana. Cicero Orat. in Verr. IV. 34. 'Sagittæ pendebant ab humero.' *Arntz.*

Decem tribunis] Militaribus intelligendum est, Livio teste, ad vindicandum facinus, 'Respersus cruore et telum cruentum tenens.' *Mach.*

Aventinum occuparunt] Inde in 'sacrum montem transierunt,' Livius. *Mach.* Secunda hæc secessio plebis, quæ non prius in Urbem redire voluit, quam tribuni pl. restituerentur, et decemviris abdicatis consularis potestas revocaretur: auctor Livius lib. III. ab U. C. Subit igitur vereri, ne perturbatus hic ordo sit, falsoque locus a scribis interpolatus, quem sic in integrum restituere tentabam: *qui Aventinum occuparunt, creatisque decem tribunis decemviros abdicare se magistratu coëgerunt.* Conjecturam hanc meam de ordine inverso historia con-

firmat. *Schott.* Perturbatus erit ordo, si respicias exercitum, qui militabat in monte Vecilio. Hic enim decem tribunos creavit, postquam in Aventinum venisset. Sed recte procedet oratio de illo exercitu, qui in Sabinis erat, a quo decem tribuni fuerunt constituti prius, quam in Aventinum processissent. Livius III. 51. *Aventinum collem* Haun. *Arntz.*

Se magistratu] Illud *se magistratu* glossam olet, aliundeque furtim irrepsit, quod librarii desiderari aliquid putarent, nescirentque veteres sic nude loquutos, 'consules abdicarunt:' quod eo lubentius credo, cum in uno *magistratu abire coëgerunt* repererim. Ineptias illi, qui *a magistratu* infarserunt. Nihil tamen a libris antiquis defectus mutare ausim. *Schott.* Non video cur hanc locutionem damnet Schottus, cum non solum 'abdicare' simpliciter, sed etiam 'abdicare se magistratu' recte dicatur. Cicero de Legibus II. 12. 'Ut magistratu se abdicent consules.' Cæsar Bell. Civ. III. 2. § 1. 'Dictaturaque se abdicat, et ab urbe proficiscitur.' Livius II. 11. 'Abdicavit se consulatu.' III. 29. 'Ita se Minucius abdicat consulatu.' cap. 54. 'Decemviri se primo quoque tempore magistratu abdicarent.' IV. 15. 'Abdicare se magistratu atque exsulare jussum.' XXXIX. 39. 'Extemplo ædilitate se abdicaturum.' XL. 42. 'Magistratu sese abdicare jubebat.' Capitol. in Anton. Phil. cap. 12. 'Non abdicare se prætura jussit.' Quare rectius hanc lectionem tuentur etiam nostri, nisi quod solus Haun. *se* omittat, ut Livius II. 28. 'Abdicare consulatu jubentes.' Confer Burmann. ad Vell. II. 22. § 2. Sed unus consensui reliquorum nihil poterit obesse. *Arntz.*

Præceperunt] Erat in editis libris. Ego scriptos libenter sequor, suadente præsertim ratione, cui in omnibus fidem integritatemque sartam tectam servaturum me polliceor. *Schott.* Judicio Schotti mallem accedere, quia ita Sueton. Claud. cap. 29. § 4. 'Silanus abdicare se prætura coactus:' et Florus III. 14. § 5. 'Ut abdicare se magistratu cogeretur;' vide Cort. ad Sall. Catil. cap. 47. § 3. Sed cum illud tueantur et editi et scripti omnes, cur reciperem aliquid, quod invitis codd. obtruderetur? præsertim cum eadem maneat sententia. *Arntz.*

Aut morte aut exsilio] Mutilus hic Pomponii J. C. locus D. de Orig. Jur. l. 2. 'Populique consensu partim in carcere necati,' addendumque, 'partim in exsilium acti,' tum ex historiæ veritate, tum quod *partim* geminate fere proferri solet: tametsi non ignorem solum aliquando poni, ut apud Agell. X. 13. ex Catone et Claudio Quadrigario, et in Institutionibus Justinianeis titulo de Testamentis, apud Cic. de Legibus, lib. II. Tusc. IV. initio, ubi Lambinus *partim* male addidit, et Offic. lib. I. in extremo, et Sallust. in oratione Cottæ. *Schott.* Ita hæc verba leg. 2. § 24. emendarunt multi, sed cautius fecisse videntur hi, qui antiquarunt. Videatur vir non amplitudine quam eruditione clarior Bynkersh. Præterm. p. 46. et in aureo libello Rupert. Ench. p. 232. Eodem exemplo male conatur supplere Hyginum Munckerus Fab. CXXI. 'Ob id Apollo exercitum ejus partim fame prope totum consumsit:' ubi addit *partim pestilentia.* Arntz.

§ 4 *In carcere necatus*]. Alii ipsummet sibi ipsi mortem conscivisse autumant. *Mach.*

CAP. XXII. § 1 *Romani*] Hanc historiam Val. Max. Luc. Flor. Ovid. in Fastis illustrant. *Mach.*

Monente] Antiqua lectio *manante.* Verum capitis hujus emendatio partim a Mss. est, partim Val. Maximo debetur. Livii enim lib. XI. et alii aliquot, magno malo interciderunt: quam jacturam eo levius ferimus, quod

ab injuria temporis Florus abbreviator illius reliquus sit. *Schott.* Volebat *manante* Fran. et Boend. sed alterum melius. Vox enim propria oraculis et vatibus, qui futura prænunciant. Eleg. Bronkhus. ad Tibull. El. I. 7. 56. Idem poëta El. III. 4. 5. 'Divi vera monent. Venturæ nuncia sortis Vera monent Thuscis exta probata viris.' Sed in notissima significatione multa conferre non est opus. *Arntz.*

Æsculapium] Æsculapius Apollinis filius, a Græcis Asclepius dictus, de quo Plinius lib. XXIX. 'Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æsculapium fabulata, quoniam Tyndaridem revocavisset ad vitam. Nec tamen cessavit narrare alios revixisse opera sua, clara Trojanis temporibus.' *Mach.*

Epidauro] Urbs est Epiri. Quinctus Serenus: 'Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.' *Mach.*

Arcessendum] Sic scripsi ex fide veterum, de qua scribendi ratione supra in Fuffetio dixi. *Schott.* Atque ita volunt nonnulli e nostris. *Arcescendum* Fran. Vide sup. cap. 4. § 11. et Oudend. ad Lucan. I. 166. ita constitue Lactant. Div. Inst. II. 16. 'Quod serpens urbem Romam pestilentia liberavit Epidauro arcessitus.' *Arntz.*

Decem legatos] Ex more Romanorum, qui in amplissima legatione decem adhibebant viros. Liv. XXXVII. 55. 'Decem legatos more majorum senatum missurum ad res Asiæ disceptandas.' Oros. IV. 12. Sallust. in Jug. c. 16. § 2. 'Uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, dividerent.' Inter illos autem, qui ordine primus erat, et præcipue verba faciebat, 'princeps legationis' dicebatur. Cæsar Bell. Gall. I. 13. § 2. 'Cujus legationis Divico princeps fuit.' Livius XXV. 29. 'Missi oratores ad Marcellum, quorum princeps inquit.' XXXVI. 28. 'Phæneas legationis princeps longam orationem ita ad extremum finivit.' XXXVII. 7. 'Secuti et Athenienses sunt et princeps legationis eorum Echedemus.' et c. 55. et XXXIX. 33. Hoc ipsis jam Trojanis temporibus in usu fuisse constat ex Homero Iliad. IX. 168. Talem 'ducem legationis' appellat Florus II. 6. § 7. *Arntz.*

Q. Ogulnio] De libris Mss. hunc locum restitui, in quibus et *Oculino* et *Otulino* pingitur, quorum consensum confirmat Val. Max. I. 8. ubi *Ogulino* quidam libri scripti. S. Pighius ex Fastis Capitolinis *Ogulnio* emendat: in quibus est Q. *Ogulnius Gallus.* Schott.

E sedibus suis] Colinæus, ceterique impresserunt *e sedibus ejus. Suis* tamen dictum oportuit, ut literati de reciprocis præcipiunt. *Schott. Suis* quidem dictum oportuit, si semper coacti fuissent veteres sequi regulas grammaticorum, sed illi haud raro *ejus* pro *suus*, et *suus* pro *ejus* posuerunt. Quare *ejus* retinemus consensu Mss. et editt. Similiter Frontin. Strat. II. 4. ex. 8. 'Marcellus cum vereretur, ne paucitatem ejus militum clamor detegeret.' Sed talia obvia sunt. Alia Marcilius ad § 6. Inst. de Jure Nat. Scheff. ad Phædrum Fab. IV. 4. 31. Davis. ad Cæsar. Bell. Gall. VIII. 51. § 2. Cort. ad Cicer. ad Fam. Ep. XI. 11. et Drakenb. ad Silium XII. 33. Male Justinum XLII. 1. § 2. tentat Faber, cum pro 'Tantum iis itineris frustra emensum,' reponat *sibi:* frustra. Adde Freinsh. ad Flor. I. 12. § 5. *Arntz.*

Horribilis] *Horrendus* Mss. præferunt. *Schottus. Horridus* Haun. et Leid. 2. 'Horrere' et 'horror' de serpentibus adhibetur. Virg. Æn. VI. 419. 'Horrere videns jam colla colubris.' Arnob. adv. Gentes VII. p. 250. in hac historia, 'quod fieri belluam, horrentisque animalis in similitudinem verti.' Ovid. Epist. Her. XII. 101. 'Pervigil ecce draco, squam-

mis crepitantibus horrens.' Silius II. 584. 'Excitus sede (horrendum) prorumpit ab ima.' Ceterum Leid. 2. non agnoscit præcedentem vocem *elapsus*, cum sine ea sensum putaret constare. Verum male. Vox enim hæc itidem serpentibus propria. Livius I. 56. 'Anguis ex columna lignea elapsus.' Silius III. 193. 'Et geminum lapsu sidus circumligat anguis.' Conferatur Servius ad Virg. Æn. II. 225. Val. Flaccus v. 254. 'Caucaseis cum lapsus montibus anguis.' Scheff. ad Obseq. de Prodig. c. 87. *Arntz.*

Per mediam urbem] Silius II. 588. 'Isque inter trepidos cœtus, mediamque per urbem Volvitur, et muris propere delabitur altis.' *Arntz.*

Romanorum] Mss. et Mediolan. *Romanam*. Schott. *Romanam* quatuor etiam nostri. *Arntz.*

Perrexit] Docta est lectio, quam nobis servavit solus Grammii cod. *perrepsit*: quod verbum proprie serpentibus tribuitur. Arnobius adv. Gentes VII. 249. 'Serpentis est forma et circumscriptione finitus, per terram reptans.' Sed nihil unius codicis auctoritate ausus sum inmutare, cum et recepta lectio non incommoda sit, et firmetur a Val. Max. I. 8. ex. 2. ubi hanc historiam narrat; 'Ad triremem Romanam perrexit.' Neque ibi quidquam de scripturæ varietate notavit diligentissimus earum observator Torrenius, et loco laudato Arnobius addit, 'Et ut pergere prorsus possit.' *Arntz.*

Tabernaculum] Proprie hospitium imperatoris in castris, quia e tabulis fiebat: hic pro tentorio capitur. *Mach.*

Conspiravit] Hoc est, in 'spiras,' et revolutiones se fecit. Inde 'conspirare' metaphorice unionem facere. *Mach.* Antiqui libb. *constipavit*; et parum abest quin hoc pro illo reponam; nam *conspiravit* pro 'in spiram et gyrum se collegit,' nescio an alibi legerint interpretes. Similis error in Cæsare emendandus Belli Civil. lib. III. 'Subito conspicati pilarii;' lege *constipati*. Schott. Nihil hac lectione (*conspiravit*) oculis meis venustius; et tantum abest patiar ultimam vocem mutari in *constipavit*, ut eandem adhuc inferendam putem Cæsari Belli Civil. III. 46. ubi est 'milites legionis nonæ subito conspicati pila conjecerunt;' legendum, inquam et ibi *conspirati*; volentibus Mss. tam Cujaciano, quam eo, quem mihi subministravit Paullus Petavius. Certe hanc scripturam proprie heic locum habere, arguunt membranæ Cæsaris Palatinæ, in quibus *complicati*; eæ scilicet, omisso vocabulo genuino, arripuerunt glossam: at Mss. Palatini Victoris plane propugnant illud *conspiravit*. Gruter. Spiræ sunt proprie flexus quos faciunt serpentes. Ovid. Metam. III. 77. 'Quæ modo inmensum spiris facientibus orbem Cingitur.' Val. Flaccus Argon. VII. 168. 'Vellera tot spiris circum, tot ductibus inplet.' Idem v. 255. et VII. 527. Silius VI. 194. et Drakenb. ad vs. 276. ejusdem libri. Ita lego apud Avienum in Arat. Phænom. vs. 140. 'Squameus agmen agens draco volvitur, atque obit ambas, Spirarum curvis anfractibus:' hodie invenio *spinarum*, quæ hic locum habere non possunt, cum spina in serpentibus sit aculeus, quo pungunt. Silius VI. 271. De 'spira' autem adde Serv. ad Virg. Georg. II. 153. Arnob. adv. Gentes VII. 171. 'Ingentibus spiris pavefactam colligat virginem.' Cerda ad Virg. Æn. II. 208. Hinc 'conspirare' erit in orbem convolvere, caput caudamque in circulos connectere. Vox igitur, si ejus origo inspiciatur, serpentibus propria, quam ideo in dubium vocare non debuerat Schottus. Nam verum sit, vocem hanc hac significatione apud alios non occurrere, ideo tamen damnanda non est, nam analogia eam

tuetur, et tot aliæ voces, quæ a criticis non rejiciuntur, quod semel tantum occurrant. Et si eo modo procedere voluisset vir doct. debuisset prius ostendere, ubinam verbum 'constipare' hoc sensu de serpentibus inveniatur. Defendunt receptam lectionem omnes edd. et Mss. et omnino restituenda Cæsari loc. laud. ut recte etiam judicarunt Vossius et Davisius. *Arntz.*

§ 8 *Antium*] Urbs maritima, regius secessus. *Mack.* Vide omnino Comm. erud. ad Ovid. Met. xv. 718. Similiter variatur apud Val. Max. i. 8. ex. 2. *Arntz.*

Provecti sunt] In Mss. *Pervecti sunt.* In Mediolan. vetere, unde lectionem erui, est *provecti*, quod hic magis quadrat. *Schott.* *Profecti* quædam edd. sed melius *provecti*, ut volunt Mss. Virgil. Æn. ii. 24. 'Huc se provecti deserto in litore condunt.' Et eod. lib. vs. 506. 'Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta.' Lucan. ix. 1011. 'Regis dona ferens, medium provectus in æquor.' Cic. Orat. in Verrem v. 33. 'Posteaquam paulum provecta classis est.' *Arntz.*

Per mollitiam maris] Vox *maris* male in quibusdam abfuit. Paris. *per sævicinam maris:* qui nescio quid de maris sævitia somniabat, cui numquam molle mare visum fuit. Intelligit autem maris tranquillitatem. Reperi in uno cod. *maliciam:* labor igitur, ut eam vocem corruptam credam, cum antea scripsisset auctor *malaciam maris*, quod et tranquillitatem significat Græcis: quamquam, si quis *mollitiem* Latine potius scripsisse contendat, quia in Mss. est *ibi per mollitiam*, cum eo non admodum pugnavero: sic enim Ammian. lib. xix. 'tranquillitas mare mollivit.' 'Malacia' tamen veteribus auctoribus familiarior. Cæsar Bell. Gall. iii. 'Fuga salutem petere contenderunt: ac jam conversis in eam partem navibus, quo ventus ferebat, tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, ut se loco movere non possent:' ubi 'malaciam' Cæsar tranquillitatem maris interpretari videtur: amplius tamen significat, quod patet ex illo Senecæ Epist. ix. 'Sed in otio inconcusso jacere non est tranquillitas, malacia est.' Est autem vocabulum nauticum tractum, ut apparet, ἀπὸ τῆς μαλακίας, quæ Græcis animi mollitiem et remissionem significat: unde apud Plautum μαλακοὺς molles dictos observavi: et 'malacum pallium,' pro molli: et 'malacissandus es,' pro molliendus, ut Græci μαλακίζειν. Et 'Ne tibi lectus apud me malaciam suadeat:' quamquam in vulgatis libb. male *malitiam.* Quæ omnia apud Plautum occurrunt Bacchid. act. i. Eadem comœdia: 'Hic nostra agetur ætas in malacum modum.' Lucretius vero 'pellaciam maris' appellat, quam *malaciam* alii, a 'pelliciendo:' quod æquoris tranquillitas ad navigandum invitet, fallatque non raro, cum post paullo in horrendas tempestates vertit. Sextus enim Pompeius de Verb. Signific. lib. x. *lacit* interpretatur 'decipiendo in fraudem inducit,' hincque alia derivat. Sic igitur ille de Rerum Natura l. ii. 'Infidi maris insidias, viresque, dolumque Ut vitare velint, neve ullo tempore credant, Subdola cum ridet placidi pellacia ponti:' et lib. v. 'Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.' Arnob. quoque advers. Gentes lib. iv. 'pellacia' pro fallacia utitur: 'Per omnes libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam.' *Schott.* Perplacet Schotti *malacia;* hactenus tamen, ut videatur etiam lepida restare metaphora in voce vulgata. Palatini accedunt emendatori, habentque *mollitiam.* Gruter. *Malitiem* Fran. quod juvat emendationem Schotti: quomodo olim jam ediderat Machaneus. *Molitiem* Boend. *Mollitiam* reliqui.

Quomodo vocem transferre, quam Græco ore loqui maluit Aurelius, uti Sulp. Severus Dial. I. 4. § 2. 'Ne statim repetere cursum possimus, maris mollitie attineri.' Hunc locum ad partes adtulit, repudiata tamen nostra lectione, Buchnerus in Thes. Fabri voce 'malacia,' et Davis. ad Cæsar. Bell. Gall. III. cap. 15. § 3. *Arntz.*

Paucos dies] Tres. *Mach.*

Ad navem] Pleniores sunt Mss. *dehinc ad navem redit:* ut *dehinc* sit 'quasi illinc,' seu ex illo loco templi Æsculapii, vel denuo. *Schott.*

Adverso Tiberi] Colon. exemplum *adversus Tiberim ;* non ita venuste. *Schott.*

Insulam] 'Silvam' scilicet in vestibulo templi myrto frequentibus ramis diffusam. *Mach.* Locus haud dubie inquinatus, quem ex Valerio, et L. Floro repurgavi: accedebat et Paris. antiqui libri scriptura, quæ me ad veram lectionem manu duxit; nam Mss. evariant: alii *in proximam inde silivit;* quidam *inde siluit:* scribe *in proximam insulam desilivit.* Quare male sit audacibus illis emendatoribus, qui pro libito quidvis demutant. L. Florus in Epit. lib. XI. de serpente: 'Eoque in insulam Tiberis egresso; eodem loco sedes Æsculapii constituta est:' ubi Sigon. recte *ædes Æsculapii consecrata* ex antiquis schidis reposuit. Fest. Pomp. lib. IX. 'In insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime sustententur.' Et Val. l. I. 'At in ripam Tiberis egressus legatus in insulam, ubi templum dicatum est, transnavit.' Plutarchus quoque in Problematis, quærens cur extra urbem Æsculapii fanum sit: et Plin. XXXIX. 1. pro hac lectione faciunt. Victor etiam in regione XIV. Urbis, et Ovid. Metam. lib. XV. Sueton. in Claudio cap. 20. et Plautus in Curculione. *Schott.* *Silvam* solus Leid. 2. Nec melius Gramm. *desilivit*, cum alii rectius *desiluit*, ut Livius II. 31. 'Relictis castris in adversas valles desiluere:' et VII. 33. 'Revectus ad antesignanos legionis, cum desiluisset ex equo.' Oros. v. 12. 'Per ædem Lunæ in domum privatam desiluit.' Avian. Fab. XXV. 6. 'Atque auri queritur desiluisse cadum:' nisi malis ibi *delituisse*, cum duriori locutione 'cadus' dicatur 'desilire.' Sic 'insiluit' apud Hygin. Fab. XCI. 'exsiluit' fab. CLXXI. et Silium III. 689. Vide nos ad cap. 1. et Bauldri ad Lactant. de Mort. Pers. cap. 26. *Arntzenius.*

CAP. XXIII. § 1 *Faliscos*] Falisci populi sunt Etruriæ, ubi optimi botelli fiebant. *Mach.*

Ac ludi litterarii] Sic Mss., Vulgati codd. *literarum.* At quod hoc magistri genus? an linguæ Latinæ, quæ tum vernacula facta erat? sed doceri primum grammatica sub secundum Punicum bellum cœpit, teste Suetonio: an potius morum inspector et formator, exercitiis corpora firmans? aut qualis ludus apud T. Livium lib. III. quem Virginia frequentabat? 'ibi namque in vernaculis literarum ludi erant:' ea enim verior lectio, quam quæ *in tabernis* vel *tabernaculis* habet. Porro hanc historiam Alpheus Avitus in Excellentium Virorum dimetro lib. II. sic extulit: 'Tum literator creditus Ludo Faliscum liberos, Causatus in campi patens, Extraque muri ducere, Spatiando paulatim trahit Hostilis ad valli latus.' Quod fragmentum cum nuper Priscianum perlegens reperissem libb. VIII. et XVIII. repetitum non dubitavi huc, quo pertinet, transferre: idque libentius, partim quod ejus poëtæ reliqua desiderari doleam, quibus juvari possem; partim quod mendum subesse videam. Consului igitur olim Mss. codices bibliothecæ D. Martini apud Lovanium, sed nodum non solverunt: divino igitur legendum *Tum literator creditus:* ut sensus

planior sit. Illud vero *campi patens* Græca forma dictum, ut a Sallustio 'dubia belli,' et Floro lib. I. 'subita belli,' a Tacito 'offensarum operta,' et, quod huic geminum est, Ammiano lib. XXVII. 'aperta camporum' dicitur. Idem Priscian. lib. XII. hæc pædagogi verba adfert: 'Seu tute malis hospites, Seu tute captivos, habes.' Verum, ut illud præter rem admoneam, Valerius Maximus VI. 5. a Camillo consule hoc gestum tradit A. U. CCCLIX. cum Livius tribunum militarem consulari potestate fuisse dicat, et Plutarchus eum numquam consulem fuisse tradat. *Schott.* *Litterarii* solus Leid. 2. Vide Comment. ad Florum I. 12. § 5. *Arntz.*

§ 2 *Dediderunt*] Si recte ductus litterarum adsequor in Fran. scriptum fuit *rediderunt*, forte pro *crediderunt;* ut Cæsar Bell. Gall. VI. 31. § 4. 'Se suaque omnia alienissimis crediderunt.' Sed nihil mutandum. Sequitur enim Frontin. seu eos ipsos, ex quibus ille sua hausit, Strateg. IV. 4. ex. 1. 'Falisci ob hanc justitiam sponte se ei dediderunt:' Leid. 1. *diderunt.* Hann. *dederunt*: male. Ipsi enim homines, qui in fidem Romanorum perveniunt, dicuntur se 'dedere;' contra 'dare,' si tradant arma, obsides, &c. Cæsar Bell. Gall. II. 15. § 5. 'Incusare reliquos Belgas, qui se populo Romano dedidissent:' et cap. 32. § 1. 'Si prius, quam aries murum attigisset, se dedidissent.' Livius XXIII. 41. ex quo loco clarius hæc distinctio apparet: 'Aliæ quoque civitates, quæ ad Hampsicoram Pœnosque defecerant, obsidibus datis, dediderunt se:' et XXIV. 1. 'Velut obsidibus datis, haud dubio in speciem consensu fit ad Pœnos deditio.' Fortasse plura infra cap. 71. *Arntz.*

§ 3 *Veios*] Veii urbs, Veiens populus: unde 'Veientanumque rubellum.' *Mach.*

Obsidione] *Obsidio* constanter Mss. Unus vero *hieme obsidio domuit,* quomodo fere et Paris. codex vetustissimus: unde legendum colligo, *decenni hieme obsidio domuit,* pro hiemali. L. Ann. Flor. lib. I. meam conjecturam confirmat: 'Veientium,' inquit, 'quantæ res fuerint indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus, taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte jurejurando nisi capta urbe non remeare:' judicent eruditiores. *Schott.* *Obsidione* iterum omnes nostri; vide quæ notavimus supra. Sed turbantur hæc admodum in Mss. Leid. 2. *Veios decenni obsidione hieme domuit.* Leid. 1. *Vehios hieme obsidione.* Franeq. Gramm. et Hann. *Vehios hieme et obsidione domuit.* Boend. *Vehios hieme,* post quam vocem desiderantur sequentia usque ad § 9. 'Cum Manlio,' &c. Schottus in maj. ed. dedit *decennii obsidione domuit.* Ego vestigiis Mss. insistens, cum Schotto non dubitarem forte rescribere *decenni hieme obsidione domuit;* id est, decimum annum post, quam obsessa esset. Solent enim præsertim poëtæ partem anni pro integro anno ponere. Ovid. Epist. Her. VII. 87. 'Nec mihi mens dubia est, quin te tua Numina damnent, Per mare, per terras septima jactat hiems.' 'Æstatem' de iisdem Æneæ erroribus dixit Virgil. Æn. I. in fin. 'Jam septima portat Omnibus errantem terris et fluctibus æstas;' ubi adeundus Serv. et Æn. I. 269. Val. Flacc. VI. 115. Martial. Epigr. V. 38. 'Sexta peregit hieme nec tamen tota.' Epigr. X. 61. 'Crimine quem fati sexta peremit hiems.' Poëtica quamvis hæc magis videatur locutio, eam adhibuit ideo, quia illud potissimum singulare sit in hac historia, quod tum primum hieme in castris sub pellibus seu tentoriis manserint Romani, cum antea æstivo solummodo tempore bella gererent; hieme domum repetentes. Atque hinc est, quod 'hiemem' etiam pro anno posuerit

Ovidius, quia ipse præcipue vi hiemis et frigore vexabatur ex Pont. Epist. I. 2. 27. 'Hic me pugnantem cum frigore cumque sagittis Cumque meo fato quarta fatigat hiems.' Certe non sola hieme 'cum fato suo pugnabat,' sed omni tempore, adeoque *hiems* pro toto anno accipienda, cum æstas illic locorum hiemi potius quam æstati esset similior. Nec inpedit, quod hac in lectione duo ablativi conjuncti reperiantur *hieme* et *obsidione*, quod sæpius accidere docebit Cort. ad Sallust. Catil. c. 11. § 4. et præ ceteris Burmann. ad Ovid. Met. XIII. 216. In exprimendo textu secutus sum priscos editores; verum si integra jam res foret, non dubitarem reponere *decenni hyeme obsidione*. Codex d'Orvil. *Veios hieme obsidione domuit*, qui mox etiam *quod ex Albanis et equos et prædam:* corrupte. Mallem tamen legi *decima*, sed Noster non semper accurate loquitur. *Arntz.*

§ 4 *Quod albis equis triumphasset*] Plutarch. Τά τ' ἄλλα σοβαρῶς ἐθριάμβευσε, καὶ τέθριππον ὑποζευξάμενος λευκόπωλον ἐπέβη, καὶ διεξήλασε τῆς Ῥώμης, οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον οὐδ' ὕστερον. Hinc Symmachus Urbis præfectus (quem Mart. Lipsio acceptum referre convenit) Theodosio Imperatori suasit vehiculorum usum in Urbe summoveret; non enim e republica esse Urbis moderatorem tanquam Salmoneum quendam superbe invehi: 'Irritamentum,' inquit, 'superbiæ Roma vestra non patitur: memor scilicet bonorum parentum, quos Tarquinii fastus et ipsius Camilli currus offendit. Nam tanto illi viro albentes quadrigæ exsilium triste pepererunt. Summisit Poplicola concioni civium consularem securim, et honoris sui culmen infregit, ut libertatem civitatis erigeret. Ergo moribus potius quam insignibus æstimemur.' Sic ille a Christianismo alienus; quæ utinam a nobilibus intelligantur, qui mirum, quam lunatis calceis, non veris animi bonis placere studeant. *Schott.* Cuper. ad Lactant. de Mort. Pers. c. 16. *Arntz.*

§ 5 *Relictis agris*] Inter varias rationes, de quibus Cortius ad Sall. Jug. c. 19. § 1. cur coloni in alias regiones transirent, etiam recensetur sterilitas agrorum. Seneca ad Helviam c. 6. et c. 7. in fin. 'Ad hanc commutationem libenter nomina dabant, et relictis agris suis trans maria sequebatur colonus senex:' sic quidem ibi legendum existimo; male circumferri solet *aris suis*, quæ vox cum voce *colonus* minime convenit. Neque enim illi, qui novam coloniam quærebant, relinquebant sacra sua, quod notum ex historia Æneæ, Tyri, &c. Virgil. Ecl. I. init. 'Nos dulcia linquimus arva.' Hoc 'relinquere Penates' dixit Livius XL. 3. Sic enim ibi ea vox de ædibus, non de Diis est exponenda. Confunduntur autem *aris* et *agris* ap. Duker. ad Flor. III. 13. § 4. et Burmann. Met. XI. 546. *Arntz.*

Italiæ oppidum] *Etruriæ opidum* Mediolan. legit. Mss. vero *Italiæ*. Vulgata tamen lectio ferri potest. Causas autem, cur in Italiam Galli Senones duce Brenno irruperint, varias colligunt Polyb. Liv. Dionys. et ex his Hieron. Magius Miscell. III. 12. et Alciatus Dispunct. IV. 11. *Schottus.* Tamen *Italiæ* profitentur apud nos omnes Mss. *Arntz.*

Missi sunt Romani tres legati] Concinnior lectio veterum codicum *missi a Romanis tres Fabii*. Mediolan. *missi Roma tres Fabii*. Livius enim Qu. Fabium Ambustum et fratres duos M. Ambusti filios legatos a senatu missos fuisse ad Gallos Clusium obsidentes refert, A. U. C. CCCLXII. A Diodoro 'Quinctus, Kæso, et Caius Fabii' dicti, qui anno insequenti tribuni militum consulari potestate fuere. *Schott.* Et mihi quoque magis arridet lectio exemplarium calamo

exaratorum *missi Roma tres Fabii;* quæ et in Palatt. *Gruter.* *Roma tres Fabii* Leid. 1. et Fran. multo elegantius. *Romani tres Fabii* Haun. *Roma tres legati* Gramm. Ubique hos etiam legatos 'Fabios' appellat Livius lib. v. capp. 35. et 36. *Arntz.*

§ 7 *Inpetratis*] Immo hi, quorum de pœna agebatur, tribuni militum consulari potestate creati sunt. *Mach.*

Alliam fluvium] Hic xii. miliaribus Roma distans est, montibus Crustuminiis affluens in Tiberim. *Mach.*

Ceciderunt] Sic etiam omnes Mss. olim tamen editi *occiderunt*, quod princeps mutavit Schottus, quamvis nullam mutationis addat caussam. Certior ejus est lectio, quia ita volunt scripti, sed prius tamen non rejiciendum, si modo addicerent codd. Frontin. Strat. i. 1. ex. 9. 'Copiasque ejus, antequam Hannibali fratri jungerentur, occidere.' Livius l. xxvii. c. 51. 'Exercitum hostium imperatoremque occisum.' Eod. lib. capp. 42. et 49. Frontinus iterum Strat. iii. 16. ex. 2. 'Qui Romanos excipiendorum caussa eorum progressos occiderunt:' alii reponunt etiam ibi *ceciderunt*. Eodem modo 'interficere exercitum' Eutrop. iii. 20. 'Exercitum ejus interfecit.' Corn. Nepos Dat. cap. vi. § 4. 'Quo facilius receptus interficeret hostes.' Frontin. Strat. i. 1. ex. 6. et ii. 7. ex. 3. Hæc et alibi ita commutantur. Vide Lips. ad Tacit. de Clem. i. 14. Nos sup. c. 10. init. et fortasse infra ad cap. 59. *Arntz.*

Die XVI. Kal. August.] xvii. die Julii. *Mach.* De die nefasto, vel atro, quo pugna Aliensis pugnata est, video inter auctores non convenire. Livius et Plutarchus, a. d. xv. Kalend. Sextil. Tacitus Annal. lib. xv. quartum decimum numerat. Vide doctissimum Scaliger. de Emendatione Temporum. *Schott.* Servius ad Virg. Æn. vii. 717. et Lipsius ad Tacit. Ann. xv. exc. A. *Arntz.*

Alliensis] *Aliensis* cur simplici liquida scripserim, si quis rationem a me quærat, sequutus veteres libros sum, et Græcam consuetudinem. Hi enim Ἀλλίαν ποταμὸν et Ἀλλίαδα ἡμέραν vocant. Adhæc Servius in Æn. vii. 717. 'Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.' Affirmat poëtas duplici *ll* metri causa efferre. Lucan. lib. vii. 'Et damnata diu Romanis Allia fastis.' Verum circa Idus Februarias a Camillo Roma expulsi sunt Galli, quos inter pendendum aurum adortus erat. Auctor Plutarchus: unde recte Sigonius Camillum anno insequenti cccLxiv. dictaturam continuasse colligit. *Schott.* Sed de ratione scribendi non idem sentiunt docti, cum quorum magna parte ego duplex *ll* præfero. Duker. ad Flor. i. 13. § 7. et Var. Lect. Oudend. ad Lucan. vii. 409. Et *Allia* semper est apud poëtas cum duplex *ll*, nunquam vero *Alia*. Aliter enim intelligendus Lucanus, quam exposuit Serv. ad Virg. Æn. vii. 717. eumque secutus Dausq. Orthogr. tom. ii. p. 26. *Haliensis* et *Haliam* unico *l* solus Gramm. *Arntz.*

§ 8 *Ubi nobilissimos senum*] In Scipione Africano 'nobilissimos juvenes' dixit. *Schott.* *Senium* Fran. et Leid. 2. quam quidem lectionem genuinam esse adfirmare non audeo, tamen negligere nolim. Similes voces, ut ex. gr. 'judicium' et 'judicum' a judex, 'meretricium' et 'meretricum' a meretrix, uti 'senium' a senex, collegit Vossius de Anal. ii. 14. Unde *judicium* pro *judicum* in Variis Lectionibus habetur apud Symmach. Epist. x. 23. fine. Radix facit 'radicum' et 'radicium.' Ald. Manut. ad Cicer. de Off. i. 44. adde de Off. iii. 18. fin. Dausq. Orthogr. i. 105. et Stewech. ad Veget. de Re Mil. ii. 19. p. 119. Idem Veget. de Re Mil. v. 7. 'Interdum quinos sortiuntur remigium gradus:' sic ibi codd. Scriverii: et v. 13. ex iisdem: 'Lacerti remigium et ars

clavum regentis.' *Senonum* edidit Mach. *Arntz.*

Interfecere] Initio orto a Papirio, qui dicitur Gallo barbam suam promissam permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram movisse. *Mach.*

§ 9 *Manlio*] Qui clangore crepituve anserum noctu excitus Gallicos jam in arcem ascendentes deturbavit. *Mach.*

Obsessa] A Gallis qui omnia flammis in urbe vastarant. *Mach.*

Servata] Pro *liberata* est *servata* in Mss. *Schott.* *Servata* etiam Machan. Sed *liberata* apud Aldum, Gryphium, ceteros. Nos scripturam omnium codicum prætulimus. *Arntz.*

Dictator dictus] A Cæditio: consensu omnium in arce existentium. Dictus autem fuerat per Pontium Comminium impigrum juvenem, qui incubans cortici, secundo Tiberi labens Veios usque ad Camillum mandata deferens deceptis custodibus in Capitolium repedabat. *Mach.*

Reliquiis] Reliquias exercitus Romani sparsi. Virgil. 'Reliquias Danaum.' *Mach.* Vulgati *reliquiis.* Aldus vero *reliquis*, ut et libri scripti. *Schott.* Revocandum, quod hæret in aliis libris, etiam Palatinis, *reliquiis.* Neque enim adhærendum codd. scriptis, ubi abeunt a ratione, aut vero; quamquam heic, veteri modo scribendi, litera una pro gemina posita videri queat. *Grut.* Neque recepta lectio repugnat codicibus manu exaratis, cum ita in nostris omnibus reperiatur, et in altera ed. Aldi et sequentibus, qui fere ejus textum expresserunt. Veget. de Re Mil. III. 10. 'Legiones inter Galliam deleverant, quarum reliquias cum C. Marius suscepisset.' Epit. Livii lib. CVI. 'Cum reliquias exercitus in collem recepisset.' Et sic fuerat reponendum apud Frontin. Strat. II. 7. ex. 13. 'Et hac adsimulatione reliquiis Pompeianarum partium fiduciam fecit.' In edd. hodie apparet *reliquis*, quamvis saniorem scripturam in Var. Lect. adnotarant viri eruditi. Nost. inf. c. 29. init. Justin. XXII. 8. § 15. 'Ad persequendum belli reliquias.' Seneca Consol. ad Marciam cap. 20. 'Et ex eo prælio, in quo prima acies senatus fuit, quam infelices reliquiæ sunt.' Eutrop. V. 4. 'Ut belli socialis reliquiæ tollerentur.' Livius XXII. 56. 'Reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligentem.' Justin. XIX. 3. § 9. Varr. Lect. ad Curtium IV. 16. § 7. et Salmas. ad Spart. Hadr. c. 7. ubi hæc eodem modo permiscentur. *Arntz.*

Inprovisos] Inter Quintum Sulpitium, et Brennum regulum Gallorum, et colloquio interveniente, et auro mille pondo pacto tribuno recusante pondera, quæ Galli pensuri supra ponebant, Camillus forte intervenit, auferrique aurum, et Gallos de medio summoveri jussit; illis vociferantibus conventum cum hostibus, respondit a Sulpitio tribuno minori magistratu jussionem nullius loci esse; cumque ad manus ventum fuit, tanta strages Gallorum Gabinia via facta, ut ne quidem nuntius cladis superfuerit. *Mach.* [Vide Not. Delph.] Profert Anna conjecturam parentis *inprovisus*, quomodo hic etiam rescribebat Eleg. Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. 9. quo loco hanc locutionem pluribus illustrat, quibus adde Virgil. Æn. I. 598. 'Cunctisque repente Inprovisus ait.' Et Æn. IX. 48. 'Viginti lectis equitum comitatus, et Urbi Inprovisus adest.'. Mamert. Paneg. dict. Julian. c. 6. § 3. 'In medio Illyrici sinu improvisus apparuit.' Apul. Met. IX. 226. 'Captata noctis opportunitate inprovisus maritus adsistit.' Arnob. adv. Gent. V. 183. 'Inprovisus Proserpinam rapuit.' Celsum Vit. Cæs. p. 216. 'Inprovisus Pharon peninsulam occupavit.' et p. 223. 'Venit igitur inprovisus.' Cort. ad Sall. Jug. c. 88. § 6.

Sed fortasse, 'inprovisi' possent dici hostes, qui vel omnia ad bellum necessaria non habent instructa, vel ad insidias non satis attenti sunt, ut Veget. de Re Mil. III. 20. 'Ut ex utroque cornu inprovisos hostes versus in fugam.' Confer Wasse ad Sallust. Jug. c. 53. Tamen ut dicam id quod sentiam, et hic (quamvis repugnent omnes scripti nostri) et apud Veget. l. l. præferrem *inprovisus*. Codex autem Boend. legit *inprovidos*. *Arntz*.

Internecione] Narrat eadem Ann. Florus lib. I. et Polyænus Strateg. lib. VIII. *Schott*. Corrupte *incenucione* Fran. *Internitione* Boend. et Gramm. *In dormitione* Haun. *Interemptione* uterque Leid. Sed malim ego receptam tueri cum Munckero ad Fulgent. Myth. lib. I. p. 9. Paneg. Mamert. Maxim. Hercul. Dict. c. 5. § 4. 'Cuncti Chaibones, Erulique cuncti tanta internecione cæsi interfectique sunt.' Frontin. Strat. II. 5. ex. 32. 'Conversos et in fronte et utrisque lateribus ad internecionem cecidit:' et eod. cap. ex. 24. 'Ad internecionem cum exercitu cæderetur:' ubi eodem modo variant codd., monente cum aliis Keuchenio. Eutrop. IV. 13. 'P. Juventium contra se missum ad internecionem vicit:' ubi alii *internicionem* teste Vineto. Confer Brantium in Not. Crit. ad Cæsar. Bell. I. 13. Duker. ad Flor. II. 17. § 16. et c. 18. § 6. et Cort. ad Sallust. Hist. III. 965. *Arntz*.

§ 10 *Populum*] *Romanum* simpliciter Leid. 2. ut 'Romanus' pro populo Romano ponatur, quod vix verisimile. Vide Gron. ad Liv. III. 2. Ad hanc historiam adluditur apud Sueton. Nerone c. 39. § 5. 'Roma domus fiet, Veios migrate Quirites.' *Volentes* Leid. 1. *Arntz*.

Retinuit] Facunda oratione, in qua ostendit tercentum, et unum et sexagesimum annum præterisse, quibus fortuna recte steterat; ne expertis inexperta præferrent. Præterea firmavit populum vox audita, 'signifer statue signum; hic optime manebimus.' Ad illud Juvenalis respexit: 'Veios migrate Quirites.' *Mach*.

§ 11 *Oppidum civibus*] Vellem *urbem* dixisset: quomodo Romam potissimum appellatam pueri norunt, et si ignorent, vapulant plagosis Orbiliis. Hinc autem alter Romulus dictus Camillus, ut et Marius tertius de victis Cimbris. Auctor Plutarchus. *Schott*.

CAP. XXIV. § 1 *Manlius*] Hunc 'M. Manlium' Livius, Dionysius vero 'T. Manlium' vocat: Diodorus 'A. Manlium.' *Schott*.

Ob defensum Capitolium] A Gallis, clangore anseris excitus: ut dicitur inferius. *Mach*.

Capitolinus] 'Capitolini' cognomen in gente Manlia fuit, antequam hic Gallos a Capitolio depelleret, propterea quod in Capitolio habitarent: quod ne cui patricio liceret, damnato M. Manlio, decreto cautum est. Plutarch. in Camillo et de Fortuna Romanorum in fine; ubi C. Pontii Corvini strategema et industriam natando narrat, quale exemplum alibi hic ex Orosio notavi: ubi et Polybium lib. II. citat aliter hæc narrantem, Gallos obsidionem deseruisse Capitolii, accepto nuntio suos agros vastari. In Camillo ait Plutarchus peste coactos obsidionem solvere et commeatus inopia. *Schott*.

Voluntarium militem] Tales ἐθελοντῆρας vocat Homerus Odyss. β. Vide Macrob. Saturn. I. 11. de Augusto, et c. 6. versus Ennii de Manlio, et infra Capitolinum in M. Antonini vita. *Schott*. *Not*. *Min*.

§ 2 *Militaribus donis*] Id est, armillis, phalerisque. Plinius VII. 28. de illo fato: 'ante decimum septimum annum bina ceperat spolia, primus omnium eques coronam muralem acceperat, sex civicas, septem et triginta dona, tres et triginta cicatri-

ces.' *Mach.* Mox *a suis civibus.* De militaribus donis confer Sen. de Benef. II. 9. Justin. XXIII. 4. § 13. Solin. Polyh. c. 1. p. 7. Vignoli Insc. Sel. Class. III. p. 321. Talia memorat 'hastas, vexilla, phaleras' Sallust. Jug. c. 85. § 29. ubi videndus Cortius et Sigonius de Jur. Civ. Rom. I. 15. *Arntz.*

Viginti tres] Lege *triginta tres.* Non de libris hæc emendatio est, sed a veritate historiæ. Plinius enim Natural. Hist. VII. 28. sic legi jubet, non *viginti tres.* Schott. Sed nihil muto contra Mss. qui omnes *viginti tres,* nisi quod Haun. et Lugd. 2. *XXIV.* exhibeant. *Arntz.*

In pectore] Melius, quam quidam, qui *in corpore* habent; nam adverso corpore, quod pectus appellamus, cicatrices accepisse, idem Plinius refert. *Schott.* Variatur et in nostris, sed mihi vix dubium est, quin verissimum sit *in pectore.* Est enim pectus anterior pars corporis, in qua vulnera excipere decorum habebatur, cum contra turpitudini esset, si quis aversis vulneribus caderet. Liv. II. 24. 'Ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverso pectore ostentabat.' VI. 20. 'Nudasse pectus insigne cicatricibus bello acceptis.' Auson. Epigr. XXIV. 'Excipis adverso qui pectore vulnera septem.' Pacati Paneg. c. 30. § 5. 'Qui obtulerant mortibus pectora, darent terga vulneribus:' et c. 34. § 2. 'Vix pectora viderat, jam terga cædebat.' Sen. de Clem. I. 4. 'Adversa vulneribus pectora ferunt.' Sen. Hippol. vs. 616. 'Cuncter paratis ensibus pectus dare.' Quinctil. Decl. IX. 22. 'Recepit pectore adverso ferrum.' Non negarim facile in hac re exprimenda aliquando 'corpus' adhiberi, sed tum additur fere epitheton, unde appareat, ipso pectore accepta fuisse vulnera. Sallust. Jug. c. 85. § 29. 'Præterea cicatrices adverso corpore.' Liv. XXVI. 46. 'Ut latera infestiora subeuntibus, quam adversa corpora, essent:' et XLV. 39. 'Insigne corpus honestis cicatricibus omnibus adverso corpore exceptis habeo.' Val. Max. VII. 7. ex. 1. 'Adverso corpore exceptas ostendebat cicatrices.' Sed hæ duæ voces 'pectus' et 'corpus' sæpe a librariis confundi solent; vide Heins. ad Ovid. Fast. V. 71. Burmann. ad Trist. II. 213. ad Quinctil. Decl. X. 17. et Decl. CCLVIII. Drakenb. ad Sil. XVI. 479. Laudabilia enim habebantur maxime vulnera adversa, quæ indicabant a pugnantibus, non vero a fugientibus esse accepta, unde illa adhortatio ad milites apud Sil. Ital. X. 6. 'Pectoribus ferrum accipite, ac sine vulnere terga Ad manes deferte viri.' Jamblichus Vit. Pyth. c. 18. p. 70. Ovid. Met. XIII. 262. 'Sunt et mihi vulnera cives Ipso pulcra loco, nec vanis credite verbis, Adspicite en! (vestemque manu diducit) et hæc sunt Pectora semper, ait, vestris exercita rebus.' Comment. ad Justin. IX. 3. § 10. Drakenb. ad Sil. II. 42. et Cort. ad Sall. Catil. c. 61. § 3. *Arntz.*

§ 4 *Quadam nocte*] *Qua de nocte* Parisin. *Schottus.* Sed hoc nihil est; multo elegantior et tersior ea lectio, quam nobis proponit Leid. 2. *in quadam nocte.* Præpositio enim illa *in* additur sæpe substantivis illis, quæ tempus indicant, quamvis abesse potuisset. Unde haud raro accidit, ut librarii eam particulam, quasi minus necessariam, neglexerint. Plinius Paneg. c. 6. 'Expectatum est tempus, in quo liqueret:' et c. 27. 'Næ ille in tam brevi tempore effecerit.' Quibus locis non abjicienda est cum viris doctis ea præpositio. Terent. Heaut. V. 2. 2. 'Ut pater tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum.' Justin. Præf. 'Sufficit enim mihi in hoc tempore judicium tuum.' Gellius III. 18. 'In veterum ætate.' Dictys Cret. I. 6. 'Cujus

maxime in ea tempestate domi bellique consilium valuit.' Adde Duker. ad Flor. I. 1. § 15. et IV. 2. § 71. et Cort. ad Sallust. Catil. cap. 43. § 5. *Arntz.*

Anseris] Lucret. de Rerum Natura lib. IV. 'Humanum longe præsentit odorem Romulidarum arcis servator candidus anser.' Videndus Cicero pro Roscio, Plinius X. 22. et de sacris D. Basilius Homil. VIII. in Hexaëmeron. Plutarchus ἐν αἰτίοις ait alimenta publice anserum a censoribus Romanis locata fuisse, ob diligentiorem quam canum custodiam. *Schott.*

Excitatus] *Excitus* Parisin. Vulgati *excitatus;* quod etsi non improbo, illud tamen malo. *Schott.* Quod habeant alii codd. *excitatus* damnat Schottus. Ego consensui omnium script. et editt. resistere nolui, præsertim cum hanc lectionem firmet Veget. de Re Mil. IV. 26. 'Nisi clamore anseris excitatus Manlius restitisset.' Florus I. 13. § 15. 'Manlius clangore anseris excitatus.' Servius ad Virg. Æn. VIII. 652. 'Gallos detrusit ex arce clangore anseris excitatus.' Livius I. 51. 'Turnum ex somno excitatum circumsistunt custodes.' VII. 12. 'Terrorem repente ex somno excitatis subita res præbuit.' XXIV. 47. 'Tum demum hostes excitati sunt.' XXV. 9. 'Familiare jam signum cum excitasset vigilem:' et c. 10. 'Præfectus primo excitatus tumultu.' Justin. XI. 13. § 2. 'A Parmenione ægre excitatus.' Quinctil. Decl. II. 20. 'Fragor, quo familia excitata est.' Plinius Paneg. c. 69. § 2. 'Ex illo felicitatis somno velut excitatos.' Obseq. de Prod. c. 127. 'Ita ut lunæ fulgore Calpurnia excitaretur.' Sed tamen Schotto adsensum præbet Stewech. ad Veg. l. l. et ad Front. Strat. III. 14. § 1. (*Excitatus* et hic retinet d'Orvil.) ibi apud Florum et hoc etiam loco legens *excitus*, quod eo colore defendit, quasi verisimile non esset custodes Capitolii adeo somnolentos fuisse, ut excitandi forent. Sed si somno non oppressi fuissent vigiles, clangor anserum necessarius non fuisset, cum ipsi insidias potuissent præsentire. Et præterea nonne *excitus* idem est, quod *excitatus?* Livius I. 7. 'Hercules ad primam auroram somno excitus.' V. 47. 'Alarumque crepitu excitus M. Manlius.' XXIV. 40. 'Ipse rex sicut somno excitus erat.' Claudian. Epith. Pall. et Celer. vs. 26. 'Strepituque excita resedit Et reliquum nitido detersit pollice somnum.' Ammian. Marcell. XXV. 2. p. 451. 'Adulta jam excitus nocte.' Adde Duker. ad Flor. I. 13. Adeoque in hisce vocibus nihil erit ex ingenio mutandum, cum eandem efficiant sententiam. *Arntz.*

Domum] *Donum* quidam editi pro *domum*, sed hoc retineo Livii auctoritate; domum enim habuit in Capitolio, antequam obsideretur a Gallis. *Schott.* Apud me nulla est varietas. Sic eodem modo hæ duæ voces confunduntur in notis Scriverii ad Frontin. Strat. II. 11. ex. 5. Apud Sueton. in Neron. cap. 41. § 7. 'Quosdam e primoribus viris demum evocavit.' Excerpta Voss. *donum*, unde nullo negotio fit *demum*, quæ sine dubio est vera lectio. *Arntz.*

Capitolio] Mss. *Capitolino:* quod probo. Capitolinus ut Palatinus sæpe pro montibus usurpantur: quæ ignorantes quidam Livium aliosque contaminarunt, Harpyis unguibus omnia suo more fœdantes, quæ non assequuntur, aut intelligunt. *Schott.* *In Capitolium* Leid. 2. reliqui nil variant. *Arntz.*

§ 5 *Cum a senatu*] Aut abit a recepta historicorum fabula auctor, aut restituendum *cum senatum suppressisse Gallicos thesauros argueret.* Gruter. Ita certius Leid. 1. ceteri *cum a senatu G. t. s. argueretur.* Arntz.

Addictos] Parisin. habet *additos.* Schott. Nos supra c. 21. § 3. *Arntz.*

Pecunia] *Pecunia* pro *manu* in Mss. omnibus: *manu* tamen ferri potest. Constat enim ex Plutarchi extremo Camillo ac Livio, vi aperta 'addictos' exemisse creditoribus. *Schott.* Sed contra consensum omnium codd. nihil temere est admittendum; vide Liv. VI. 14. *Arntz.*

Regni adfectati suspicione] Pro quibus libri quidam veteres legunt *regem affectati suspectus*, antiqua, ut apparet, forma. *Schott.* *Regni adfectati suspectus* Leid. 1. et Gramm. *suspicione* delet Leid. 2. et Fran. ad eam formam, qua Tacitus Ann. VI. 29. 'Male administratæ provinciæ, aliorumque criminum urguebatur.' Sed cum Hann. et ceteris *suspicione* retineo, quomodo 'suspicionibus arguere' apud Tacit. Hist. III. 78. Servius ad Virg. Æn. VIII. 652. 'Adductus in suspicionem regni appetiti.' *Crimine* habet Boend. Porro *in carcere* scribit idem cod. sed tamen aliter loquuntur Latini; Liv. XLV. 43. 'Ceteri captivi Romæ in carcerem conjecti.' Sallust. Catil. cap. 42. § 3. 'Causa cognita in vincula conjecerat.' Nos supra c. 1. § 2. Val. Max. I. 8. ex. 1. 'Vano sermone contemtor in carcerem conjectus.' IV. 1. ex. 8. 'Actos hostium duces in carcerem conjecerit.' Corn. Nep. Milt. c. 7. 'In vincula publica conjectus est:' et Conone c. 9. 'Hujus nuntio parens cum venisset in vincula conjectus est.' Tamen 'conjicere se in flammis' reperi in scripto Orosii v. 14. in fin. *Arntz.*

§ 6 *Et ab conspectu Capitolii*] Sic censeo legendum auctoribus libris paullo antiquioribus. Nam *ob conspectum* patiendi notione dictum, dure ferit aureis meas; nescio quid aliis usu veniat. Locus, ut interpungendum putamus, habet. *Schott.* Non magis dure ferit aures meas nova isthæc lectio, quam aliorum ferit retro vulgatum *et ob conspectum Capitolii:* quomodo item restat in Mss. Palatinis, nisi quod alter omiserit vocula *ob:* vultque in causa fuisse Capitolium, quod ampliatus fuerit, neque statim etiam damnatus. *Grut.* *Ob conspectum* scripti omnes et olim editi, quod recte exponit Gruter. Ego tamen ita nollem loqui. *Arntz.*

Ampliatus] 'Ampliare' est, ut Ascon. Pedian. in Divinatione inquit, 'cum de alicujus capite agebatur, et scribebatur N. L. qua significabant, non liquere: neque condemnabant, neque absolvebant, sed differebant causam; nam signum condemnationis erat C. absolutionis A.' *Mach.*

§ 7 *De saxo Tarpeio*] Unde dictum, vide Festum in Saturno. *Schott.*

§ 8 *Manlii*] Gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. *Mach.* *Cognomen* Ms. præfert, unde amicus quidam meus legi volebat *Manlii cognomen ejuravit.* Colon. vero exemplum *Manlii cognomine vitavit.* Verum locus male habet, quamobrem repugnantibus lib. omn. lego *Gentilitas ejus Manlii prænomen ejuravit*, vel potius, *nomen ejus.* Prænomina enim propria mihi esse videntur, quibus gens et familia quæque distinguitur, sed hæc alibi. Quid si legas *Marci prænomen?* sed longius abit a vestigiis librorum omnium. Florus quoque Livii abbreviator lib. VI. qui nos sanare potuisset, et ipse ægrotat: 'Cum obstrictos,' inquit, 'ære alieno liberaret, nexos exsolveret, crimine affectati regni damnatus de saxo Tarpeio dejectus est: in cujus notam S. C. factum, ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset:' syllaba *co* repetita locum corrupit.' Recte igitur Sigonius *prænomen* ex Quinctil. lib. III. reponendum docuit. Quod Livius et Plutarchus in lib. τῶν κεφαλαίων confirmat: et illud Festi seu Paulli Diaconi de Verb. Signif. lib. XI. 'Manliæ gentis patriciæ decreto nemo ex ea Marcus appellatur, quod Manlius, qui Capitolium a Gallis de-

fenderat, cum regnum affectasset, damnatus necatusque est.' Vide T. Liv. lib. VI. ab U. C. Illud extrem. cap. (' ne quis p. Capit. vocar.') glossema est ejus, qui illud Manlii *cognomen* interpretandum putavit. Sic fere a fungis illis audaciter vett. quibusque auctoribus, ut ille ait, ' unus et alter assuitur pannus.' Constat autem Marci prænomen postea in gente Manlia tulisse neminem; Capitolini vero cognomen post eam diem plurimos. *Schott.* Nihil hujus periodi sincerum est, nisi forte vox princeps. Consulantur notæ Schotti nostri, nam et Palatinus *cognomine juravit.* Grut. Et sic quoque nostri omnes, qui nihil auxilii hic adferunt: pro *vocaretur* Leid. 1. *nominaretur.* Fortasse Noster *cognomen* posuit pro ' prænomine,' quæ res glossatorem inscium in errorem abduxit, ut de suo liberalior, quam par erat, adderet *ne quis postea Capitolinus vocaretur.* Porro hoc prænomen repudiatum esse a familia Manliorum patricia, non vero a plebeia, in qua etiam postea Marci exstiterunt, voluit Spanhemius de Præst. Num. diss. X. p. 33. *Arntz.*

CAP. XXV. § 1 *Fidei*] Credo ex similitudine vocis Fidenatium fictum esse, quod quasi conjugata sint dialecticorum; sed Fidena primam extendit syllabam, contra atque ' fides.' Auctor Carisius lib. IV. et Diomedes Gram. lib. II. qui in hoc Virgilii hemistichio ' urbemque Fidenam' fieri συστολὴν in prima syllaba aiunt. Certe in Mss. constanter lego *Fidenates veteres Romanorum hostes:* recte: nam annos amplius 324. assidue, jam septimum rebellando victi sunt, ut apud Liv. lib. IV. Mamercus Æmilius dictator in oratione sua testatur. Quidam vulg. *fidei Romanæ hostes.* Schottus. Scriptum fortasse fuerat *rei Romanorum hostes.* Sed non abeundum a Mss. *Anna.* Ego in nullis meorum illud *veteres* reperi, nec doctissimæ Annæ conjectura placere mihi potest, cum non sciam alibi Nostrum ita loqui, ut ' rem ' ponat pro ' republica,' et insolentior sit locutio, ' res Romanorum,' cum alii ' res Romana ' dicant; ut ' Moribus antiquis stat res Romana virisque.' Neque tamen ex illo *fidei* commodus sensus exsculpi potest; quare, si conjectura sanandus sit locus, ego quidem vellem *assidui Romanorum hostes;* ut prima syllaba a præcedentibus litteris *ates* sit absorpta. ' Assiduus hostis' est, qui frequenter bella movet. Livius II. 48. ' Veiens hostis assiduus magis, quam gravis.' XXXII. 19. ' Terrebat eos Lacedæmonius, gravis et assiduus hostis.' Florus I. 12. § 1. ' Assidui vero et anniversarii hostes ab Etruria fuere Veientes.' Ovid. ex Pont. Epist. I. 8. vs. 5. ' Vivimus assiduis expertes pacis in armis, Dura pharetrato bella movente Geta.' Sic ' assidua bella ' apud Liv. VI. 12. Justin. VI. 6. § 2. ' Assidua certamina' ibid. XVII. 3. § 16. Si tamen admitterent codd. non repudiarem illud *veteres:* ut Livius VI. 7. ' Itaque novus hostis veteri adjunctus:' et c. 2. ejusdem libri: ' Volsci veteres hostes arma ceperant.' Sed, ut sæpius dixi, non libenter aliquid muto, ubi nihil mutant codd. Neque enim nostrum est efficere, ut lectores nostra legant. *Arntz.*

Interfecerunt] Jussu Lartis Tolumnii Veientium regis, ad quem confugerant. *Mack.* Contra jus gentium. Legationis enim jus apud omneis gentes sanctum esse et inviolatum consuevit, ut inquit Corn. Nep. in Pelopida (ubi tamen vulgati codd. non recte *factum* habent pro *sanctum*) et Cicero Accusat. lib. I. Supra in Camillo legisti ea causa post Alliensem cladem acceptam Urbem Gallos cepisse, et magnam partem incendisse, contrucidatis senatoribus. *Schott.* Confer quæ Grotius habet et ad eum viri docti de Jur. Belli et Pacis II. 17. Barth. ad Stat. Theb. II. 373. Hoc

ita jure gentium fuit constitutum. Sen. de Ira III. 2. 'Violavit legationes rupto jure gentium, rabiesque infanda civitatem tulit:' et passim. *Arntz.*

Quinctius Cincinnatus] Livius quarto ait Marcum Æmilium fuisse dictatorem; Q. Cincinnatum filium magistrum equitum. *Mach.* Pugnant hæc ut alias sæpius cum Livio, ut vehementer hallucinentur ii, qui hunc libellum a Plinio Cæcilio et Livio exscriptum esse autumant. Alioqui sic ad sensum T. Livii concinnanda erant: *ad quos Mamercus Æmilius dictator missus, magistrum equitum habuit L. Quinctium Cincinnatum dignum parente juvenem: ac tum A. Cornelius Cossus inter equites tribunus militum Lartem Tolumnium, &c.* Schott. Not. Min. *Dictus* loco τοῦ *missus* Boend. Vox hac in re, ut norunt pueri, propria, sed tamen huic loco minus conveniens. *Arntz.*

Magistrum equitum] Nos Cossum anno CCCXXV. consulem fecimus Fastos sequuti: quo in magistratu hæc ab illo gesta esse, Livio auctore, propius a vero abest; quod ea opima spolia sint, quæ dux duci detraxerit, nec dux sit, nisi cujus ductu et auspicio bellum geritur. Nec desunt qui 'Lar' dignitatis nomen sonare affirment. Mihi tamen magis prænomen esse videtur: tum quia semper Livius 'Larte Tolumnio rege,' et auctor Epitomæ de Prænominibus 'Lartem Porsenam' vocat quendam, et Etruscum prænomen facit. Verum M. Varro apud Fest. ait opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium detraxerit. *Schottus.* Comment. ad Florum I. 12. § 9. *Arntz.*

Cornelium Cossum] Is a Romulo secundus spolia opima tulit. Tertius M. Marcellus exstitit, victo Gallorum duce Viridomaro. *Mach.*

Lartem] Alii *Larten*, Mss. quidam et editi *Laërtem* mendose. Priscian. libro quinto: 'Lar, quod significat κατοικίδιον θεὸν, 'Laris' facit genitivum: sin autem imperatorem Veientorum, 'Lartis,' quem mactavit Cossus, ut testis est Ovid. in Epigrammatis: 'Larte ferox cæso Cossus opima tulit.' Livius lib. IV. 'Ab Urbe condita Larte Tolumnio rege Veientorum.'' Sic ille; adde et Cicer. Philipp. lib. IX. unde colligi non obscure potest cum Veientibus, non Fidenatibus bellum populo Romano fuisse. Lycosthenes sic conciliare conatur, quod ad Veientes Fidenates defecissent, teste Livio, an. CCCXVI. post Romam conditam. *Schott.*

§ 2 *Jovi Feretrio*] *Marti* dixisse oportuit, nam lex Numæ erat pro primis spoliis opimis bovem Jovi immolari oportere: pro secundis solitaurilibus Marti fieri: pro tertiis vero agnum cædi debere. Cui quidem legi, quoniam hactenus ab omnibus non intellecta jacuit, unus Jos. Scaliger ingenium supra humanum, et patre docto doctior filius, medicam manum adhibuit, dum mutilum Festum restituit, ut nihil ille nisi ab aliis deploratum magno animo aggreditur. Sic igitur Numa apud Festum scripserat:

QVOIVS. AVSPICIO. CLASSE. PROCINCTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIVNTVR IOVEI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. QVEI. CEPIT. AERIS. DVCENTA DARIER. OPORTETO.

SECVNDA. SPOLIA. IN. MARTIS. ARAM. IN. CAMPO. SOLITAVRILIA VTRA. VOLVERIT. CAEDITO.

TERTIA. SPOLIA. IANO. QVIRINO. AGNVM. MAREM. CAEDITO. CENTVM QVEI. CEPERIT. EX. AERE. DATO.

Idem Plutarch. in Marcello affirmat, et Serv. ad illud Æneid. lib. VI. 'Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.' Virg. Æneid. III. 222. 'Divos ipsumque vocamus In prædam partesque Jovem, tunc littore curvo Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis:' ubi Solonis legem explicat erudite Germanus

Valens, rectius quam Prateius inter Solonis Legem LXXV. Ex annalibus vero pontificum apparet, uni *Jovi* suspendi spolia ea solere, si integra ejusdem Pompeii lectio est. 'Ad ædem,' inquit, 'Jovis Feretrii poni, testimonio sunt libri pontificum, in quibus sit, pro primis spoliis bove, pro secundis suovetaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere.' Nec me fugit Sigonium, cui plurimum historia Romana et Livius ipse debet, ingeniose lacunam hanc supplere conatum, itaque in Fastis legere *M. Varro ait, opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium detraxerit. Quod autem omnia solita non sint ad ædem Jovis Feretrii poni, &c.* Sed cum nullius libri scripti auctoritate nitatur, nihil in auctore nostro demutare ausim. *Schott.*

Ab Romulo] Ita scribo præeuntibus plerisque scriptis, contra grammaticorum regulas, qui *a* volunt sequente consona. Sallust. Catil. cap. XL. § 5. 'Nam tum Brutus ab Roma aberat.' Terent. Heaut. I. 1. 23. 'Tantumne ab re tua est otii tibi?' Et Adelph. V. 3. 44. 'At enim metuas, ne ab re sint tamen Omissiores paullo.' Et sic ante alias consonantes, cujus rei multa exempla congessit Guntherus Latin. Rest. parte sec. init. *Arntz.*

CAP. XXVI. § 1 *P. Decius Mus*] Sic est in melioris notæ libris antiquis, tametsi in quibusdam vulgatis *Mus* abesset, indeque ne bestiam facerent, inepti quidam emendatores *Decimus* reposuerant. Res triduano risu digna. In Lactantio vero Divin. Institut. III. 12. 'Qui propter salutem civium voluntariæ se neci obtulerunt: sicut Thebis Mœneceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius, et Mures duo Decii, nunquam mortem vitæ commodis prætulissent, nisi se immortalitatem opinione civium consequi putavissent:' ubi quidam pro *Mures* *Mutius* audacter substituit, quasi aut *Decios Mures* cognominatos, aut cognomina venuste nomini aliquando præmitti ignorasset. Sed non vacat aliorum errores recitare et refellere. *Schott.*

Bello Samnitico] *Sannitico* Leid. 1. et Boend. quæ scripturæ varietas jam aliis observata fuit: vide Duker. ad Flor. I. 16. § 1. et Cort. ad Sall. Catil. c. 51. § 38. *Arntz.*

Maximo] *Maximo* vulgati, quod retineri potest. Parisinum illud exemplar longe optimum *Corvino*. Livius et Cassiodorus anno CDX. Marcum Valerium Corvinum III. Aulum Cornelium Cossum consules edit. Diodorus similiter et Cicero de Divinatione. Fuit autem ille M. Val. Maxim. filius, et Corvinus similiter appellatus. Integrum enim nomen in Fastis est M. VALERIVS MAXIMVS CORVINVS (sive Corvus) M. F. M. N. Porro Valeriæ gentis cognomen *Maximus* jam tum ab anno CCLIX. quo in montem Sacrum plebes secessit, operaque M. Valerii Volusi Patribus conciliata est: unde et *Maximus* appellatus. *Schottus.* *Corvino* præfert etiam Gramm. Reliqui nihil variant, nisi quod in Leid. 1. non appareat. Nihil igitur mutavi, cum certe aliquod cognomen habuerit Valerius, antequam Corvus ex eventu bene gestæ rei diceretur. Vide Pighium Ann. tom. I. p. 303. et multis gentibus, inter quas Valerii numerantur, hoc cognomen in usu fuisse notavit Ursatus de Notis Rom. p. 852. tom. XI. Thes. Græviani. *Arntz.*

Gauri] Mons est propinquus Massico. *Mach.* Pro *Gauri montis, Scauri* habent Mss. occurrebat M. Aimilius Scaurus fortasse, de quo infra. *Schott.*

Hostes terruit] 'Terrere hostem' proprie erit hostem invadere, eumque adgredi, adeo ut terrore stupefactus fugam meditetur. Veget. de Re Mil. III. 9. 'Quantos possint hostes interimant certe aut terreant.' Fron-

tin. Strateg. I. 5. ex. 21. 'Verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit.' Sed neque hostes invasit Decius, neque ullum paucitas ejus copiarum terrorem potuit afferre, cum nullo modo illis militibus par esset Samnitibus. Verum maxima gestæ rei gloria in eo constitit, quod hostes retinuerit et inpedierit, ne consulis exercitum insequi possent atque includere; quod latius persequitur Livius VII. 34. Quare fortasse non male legeretur *hostes tenuit*, id est, 'inpedivit,' 'retinuit,' ne Romanum exercitum invaderent. Lucan. III. 390. 'Tenuit flagrantis in omnia belli Præcipitem cursum.' Et VI. 201. 'Stat non fragilis pro Cæsare murus Pompeiumque tenet.' Tacitus Hist. IV. 19. 'Aliisque literis Gallum monuit, ne teneret abeuntes.' Quæ se lectio mihi admodum probat, quamvis rejiciant alii, *terreret* reponentes. Alia Drakenb. ad Sil. XI. 450. et Græv. ad Justin. IX. 1. § 7. De simili harum vocum confusione confer Comment. ad Justin. XIV. 1. § 13. et Duker. ad Flor. IV. 2. § 42. Hinc *tenere* per 'morari' exposuit Serv. ad Virgil. Æn. I. 674. quare in simili historia 'moratus hostem' dixit Florus II. 2. § 13. *Teruit* Boend. *Arntz,*

§ 2 *Somno*] Non debuerat hoc loco præpositionem *a* addere Hann. cum melius ita simpliciter constituatur. Horat. Sat. II. 3. 145. 'Quondam lethargo grandi est oppressus.' *Arntz.*

Incolumis] Abfuit in Parisino, quod 'evadere' hoc illi significare videretur. Nihil tamen expungo. *Schottus. Incolumis* omittit etiam Grammii cod. Neque tamen quidquam hic expungendum. Frontinus, ex quo sæpe auctori nostro lux accedit I. 5. ex. 14. et, ubi eadem referuntur, quod apud eum scriptorem non est infrequens, IV. 5. ex. 9. 'Decius incolumis cum militibus consuli accessit.' Liv. hanc historiam referens VII. 36. 'Tessera data, incolumes reverti, qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent.' Licet enim verbum 'evadere,' vi significationis includat salvos esse reversos, tamen haud raro *incolumis* additur iis verbis, quæ per se salutem satis et incolumitatem indicant. Livius l. XXXI. c. 37. 'In castra tandem, jam desperantibus plerisque incolumem evasurum, pervenit.' Cæsar Bell. Gall. III. 6. § 5. 'Incolumem legionem in Nantuates perduxit.' Bell. Gall. VI. 40. § 4. 'Incolumesque ad unum in castra pervenerant omnes.' VII. 28. § 5. 'Incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt.' Adde VII. 50. § 4. et Bell. Civ. III. 28. § 6. Ita 'incolumes perduxit' apud Frontin. Strat. I. 15. ex. 17. 'Millia Græcorum incolumia reversa sunt' apud eund. IV. 2. ex. 8. et 'incolumes Canusium pervenerunt' IV. 7. ex. 7. *Arntz.*

§ 3 *Civica corona*] Quæ lineis inclusa sunt absunt in Mss. et vero glossema apparet. Parisinus tamen ea habebat addebatque *obsidionali scilicet aurea.* Sed res digna non est, ob quam vadimonium deseratur. De 'corona' autem 'civica' videndus Agellius V. 6. Plinius XVI. 4. Sueton. in August. c. 25. Tacitus Annal. libb. II. et XII. civicam 'servati civis decus' vocat. *Schott.* Haud invitus accesserim eis membranis, quibus tantum adest *Ob hoc ab exercitu civica corona donatus est.* Nam cetera profecto resipiunt nauteam librariorum; et alioquin post coronam civicam accipere obsidionalem, ordo fuerit præposterus; cum civica coronarum omnium sit honestissima, agnoscunt tamen Mss. Palatini. Omnes quidem edd. quas vidi, et quatuor Mss. integram servant orationem. Solus Leid. 2. et Hann. delent sequentia *quæ dabatur ei, qui cives in bello servasset, obsidionali.* Errori caussam dedit vocula *quæ*, cum neglecto priori *quæ*, in sequentem paragraphum oculos conjicerent librarii, quo errore ab illis peccatur quam

sæpissime. Leid. 1. Gramm. Fran. et Boend. eodem modo ut in Parisino se invenisse testatur Schottus *obsidionali scilicet aurea.* Quod additamentum sicuti nemini placere potest, cum obsidionalis corona non fuerit aurea, sic non dubito, quin illæ voces, quas suspectas habent viri docti, omnino veram efficiant lectionem: duas enim coronas accepit Decius: unam a toto exercitu, 'civicam,' quia tot cives servasset; alteram ab his, qui cum eo in superiori loco fuerant obsessi, 'obsidionalem:' nec melius D'Orvil. *obsidionali sive laurea.* De duabus Decii coronis agit et Plinius Hist. Nat. XXII. 5. Festus in 'Obsidionalis:' 'Nam et P. Decio datæ duæ sunt, una ab exercitu universo, altera ab iis qui fuerunt in præsidio obsessi:' et tum paucis interpositis distinguit: 'Inter obsidionalem et civicam hoc interest, quod alterum singularis signum salutis est, altera diversorum civium servatorum.' Duas etiam coronas Decio tribuit Livius VII. 37. Sed ille loco coronæ civicæ ei auream inponit, unde ortum fortasse, quod Mss. hoc loco addant *scilicet aurea.* Vide quæ dixi ad cap. 17. § 2. *Arntz.*

De quercu] Lucan. 'Servati civis referentem præmia quercum.' Querna autem fiebat ad ostendendum victum glandium antiquorum. *Mach.* Claudian. in Cons. Stil. II. 72. 'Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu Velaret, validis fuso qui viribus hoste Casurum potuit morti subducere civem.' Et in Laude Serenæ vs. 182. 'Hunc cingit muralis honos, hunc civica quercus Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.' *Arntz.*

Obsidionalis] Graminea dabatur, quia in locis obsessis et desertis nascitur. *Mach.*

§ 4 *Consul*]. *Decius Consul* libri veteres. *Schott.* Not. Min. Et ita nonnulli ex nostris scripsere. *Arntz.*

Veserim] 'Veseris' fluvius sub monte Vesuvio, licet dubitet an oppidum, vicus, an flumen fuerit Cellarius Geogr. II. 9. p. 546. Sed oppidum non fuisse ex eo colligo, quod perpetuo huic nomini præpositionem addant scriptores, et ex apertis nostri Aurelii testimoniis hic et cap. 28. Confer Camerar. ad Cicer. de Fin. I. 7. et Torren. ad Val. Max. VI. 4. ex. 1. *Arntz.*

Somnio] Abfuit a Parisino, quod 'obvenire' hoc illi significare videretur. Nihil tamen expungo. *Schott.* Leid. 2. *somno;* vide ad c. 7. § 10. *Arntz.*

§ 5 *Inclinante*] Quidam codd. *inclinata parte sua.* Sylb.

Se et hostes] Mss. *ad hostes.* Manifesto falsum, neque enim transfugit exercitus Romanus. Paris. *inclinante sua parte secum hostes;* rectius. *Schott.* *Secum* Fran. et Gramm. Sed receptam retineo. *Arntz.*

Devovit] Præeunte patre patrato, et verba quædam in signum vetustatis latentia canente, quæ libro VIII. T. Livii leges, etiam canente Juvenale, 'Esse aliquos manes, et subterranea regna.' *Mach.*

CAP. XXVII. § 1 *Triumphans*] Vulgo *triumphavit.* Ex veteribus libb. Mss. et ex lapide, quem Romæ vidit Magius Miscell. III. 9. scripsi *triumphans.* Decium ægrotasse scribit Livius, sine ulla triumphi mentione. Collegam quidem reliquias belli in Samnio persequutum esse et triumphasse Capitolini lapides notant, qui tamen nullum Decianum triumphum agnoscunt: suspicor hunc triumphum Decio IV. et Q. Fabio V. consule accidisse anno CDLVIII. quo tempore cum Samnitibus ab utroque consule prospere pugnatum esse memoriæ proditum: quod tamen affirmem nihil habeo. *Schott.* Offendebat scilicet librarios conjungi hoc loco *Samnitibus* et *de his.* Verum solent hæc pronomina substantivis suis et nominibus propriis ita jungi, ut abundare videantur. Auctor de Bell. Gall.

VIII. 18. § 1. 'Hostes in insidiis positi, cum sibi delegissent campum, hunc insidiis circumsederunt.' Cæsar Bell. Gall. I. 41. § 1. 'Pons, qui fuerat tempestate interruptus, neque erat refectus, hunc noctu perfici jussit.' Livius XXVI. 24. 'Lævinus Zacynthum (parva insula est propinqua Ætoliæ) eam præter arcem vi cepit.' Terent. Eunucho V. 4. 5. 'Virginem Quam amabat, eam confeci sine molestia.' Sallust. Jug. c. 7. § 1. 'Jugurtha, quod erat manu promtus, statuit, eum objectare periclis:' ubi conferatur Cortius et ad Catil. c. 37. § 4. Sueton. Domit. c. 3. § 2. 'Uxorem suam Domitiam, eandem Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit.' Quo loco *eandem* ejicere malebat Torrentius, utpote minus necessariam. Judicium ejus non sequor. Plinius Paneg. c. 5. 'Omnis turba quæ limen insederat, illa quidem ut tunc arbitrabatur Deum, ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit.' Sed et ibi pro *illa quidem*, Hearne edidit *jam quidem;* quomodo aliquot veteres edd. Melius sententiæ consulunt, qui *illa* defendant. Noster inf. c. 50. 'Cum Claudio Nerone inimico suo consul, ne resp. discordia male administraretur, amicitiam cum eo junxit:' et quæ notantur ad c. 43. Sic l. 9. § ult. ff. de Pœnis: 'Statu liberum, quasi liberum eum jam puniendum:' pro *eum* substituit Rævardus Varior. II. 11. *esse;* si quid foret mutandum, posset legi *tum jam*, ut Virg. Ecl. VIII. 39. 'Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.' Dict. Cretens. de Bell. Troj. II. 43. 'Tum jam cedentibus acrior insistens.' Terent. Andr. I. 1. 68. Cicero pro Arch. cap. 5. et cet. Verum præstat nihil mutare. Livius I. 19. 'Urbem novam conditam vi et armis, jure eam legibusque condere parat.' In similibus igitur loquendi generibus emendandis non debemus esse nimis faciles. *Arntz.*

Spolia ex his] Scripsi ex eodem lapide, et veteribus libris Mss. *Schottus.*

Cereri] Cererem 'terram' Varro ac alii philosophi interpretantur, quia gerat omnia, id est, procreet: inde multus fabulæ locus datus est. *Machan.*

§ 3 *Quarto consulatu*] Varronis sententia, qua 'quartum consul' tempus adsignificare, et ter ante factum: et 'quarto consul' locum, ac tres ante factos, frustra est: ut his confirmari potest. Vide Agel. X. 1. Sane Hieron. Magius Miscell. III. 9. antiquissimam lapidis inscriptionem Romæ vidisse se affirmat, in quo capitis hujus initium ita ut edendum curavimus, insculptum erat. *Schott.*

Cum Galli] Cicer. de Finibus l. II. et in Catone. In Tusculanis vero ait cum Etruscis decertasse: alii cum Gallis. Oros. III. 21. *Schott.*

Sollennia verba respondens] Quæ apud Liv. lib. VIII. Macrob. III. 9. *Schott. Not. Min.* Taubman. ad Virgilii Culicem vs. 357. Et Gruter. ad Senec. Epist. LXVII. *Arntz.*

CAP. XXVIII. § 1 *Torquatus*] Primus in ea familia agnomen hoc a 'torque' adepto habuit. *Mach.* De Torquatis vide Agel. IX. 13. Steph. Pigh. in Val. Max. VI. 4. et Fastos. *Schott.*

Ob ingenii et linguæ tarditatem] Et Gruterus ad Senec. de Benef. III. 37. Loco *rus, ruri* est in Leid. 2. *Arntz.*

A patre] Quidam cod. *a patribus* scripserat. Manifesto falsum. Pater enim fuit L. Manlius Imperiosus. Cicer. Offic. lib. III. *Schott.*

Pomponio] Qui *Pompeio* pro *Pomponio* legerunt, errant. *Schott.* Sine dubio scribendum *Pomponio*, et ita codd. nostri tantum non omnes; Aldus, Gryphius, et ceteri, quibus adstipulantur auctoritates veterum, qui Manlium a *Pomponio*, non vero a *Pompeio* in jus vocatum tradant. Cic.

de Off. III. 31. Val. Max. V. 4. ex. 3. *Arntz.*

Dimittere] Ac jurare coëgit 'se patris ejus accusandi causa consilium plebis nunquam habiturum, aliter extemplo eum transfixurum.' *Mach.*

§ 3 *Sulpicio dictatore*] Fasti Capitolini consulem fuisse loquuntur hoc bello Gallico C. Sulpicium Peticum cum C. Licinio Stolone Calvo II. qui et anno CCCLXXXIX. collega ejus fuerat: dictatorem non item nisi anno post tertio CCCXCV. dictator autem erat T. Quinctius Pennus Cincinnatus, ut Livius: vel T. Quinctius Barbatus Capitolinus Crispinus, ut eadem Capitolina monumenta signant, non *Sulpicius.* Schott. Vide tamen Fabric. ad Oros. III. 6. *Arntz.*

Provocatorem] 'Quem nunc,' maxima voce inquit, 'Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.' *Mach.* Cæterum de Torquati μονομαχίᾳ, et Corvini cum provocatoribus Gallis, vide Agell. Noct. Attic. l. IX. quibus lucem attulit Lipsius Epistolic. Quæst. libb. III. et IV. ex optimis membranis Vict. Giselini Medici: et Lud. Carrio Antiq. Lect. II. 1. *Schott.*

Detractum] Vulgatos libros *detractam* scribere monuit in margine Schottus, et ita quoque Leid. 1. Quod ferri potest, cum 'torques' etiam genere feminino efferatur. Gellius seu potius apud eum Claudius historicus Noct. IX. 13. 'Torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum inponit.' Adde Voss. de Art. Gramm. III. 29. in fine: et Heins. cum Burman. in add. ad Ovid. Fast. I. 599. *Aureum detractum* Fran. *Arntzenius.*

Cervix] Pars ea colli dicta, quia inde a cerebro canale oritur. *Mach.*

Induit] *Indidit* Mss. libri. Rectius. *Schottus.* Receptam tamen tuentur quatuor scripti, et priores, quas inspexi, editiones, quas deserere nolui, cum nulla sit ratio cur *indidit* rectius præferri censerem. Immo potius sequor ipsum Cicer. de Fin. II. 22. 'Ex ejus spoliis sibi et torquem et cognomen induit.' Ovid. Epist. Her. XXI. 90. 'Et vestes humeris induit ipsa meis.' Et Amor. Eleg. II. 15. 4. 'Protinus articulis induat illa suis.' Livius XXX. 13. 'Sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit.' *Arntz.*

§ 4 *Latino*] Plutarch. in Parallelis bellum Albanum vocat. Idem et in bello adversus Samnites creatum Manlium consulem ait et Ἐπιτάκτην, id est *imperiosum*, appellatum; quod de filio, qui injussu suo in hostem pugnaverat, supplicium sumpsisset, licet victor rediret. Sed errat; tunc enim fœderati erant, verum cum Latinis bellum erat. Cato apud Sallust. Catil. bellum Gallicum nominat, et Auli prænomen tribuit: 'Apud majores nostros,' inquit, 'A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit, atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit.' Et non longe ab initio: 'In bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati prælio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant.' Vide Cicer. de Divinat. lib. I. de Deciis, qui se vitamque suam reip. condonavere. Idem Offic. lib. III. non longe ab extremo: 'T. Manlius ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit: cujus tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati: magnus vir inprimis, et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium:' quem locum attuli libentius, cum quia historiam breviter explicat, tum quia varie legitur: Nonius enim, ubi de torque, *Anienum* scribit, quomodo et

historici aliquot Mss. et *Verserim* alium fluvium appellant. Nostri vero scripti libb. *qui nuper indulgens* præferunt, et vulgati *idem acerbus et severus*, secus longe atque Nonius. *Schottus.* Confer Commentatores ad Sall. Catil. c. 55. p. 179. edit. Wass. *Arntzenius.*

Pugnasset] Licet victor inde: unde imperia Manliana superba dicta fuere. *Mach.*

§ 5 *Consulatum recusavit*] Recedit ab historiæ veritate, recedit a tempore: sæpe enim consulatum gessit, sed posteriorum quidam, et gentilis, T. Manlius T. F. T. N. Torquatus, bis consul DXVIII. et DXXIX. qui A. U. C. DXLIII. magistratum ob valetudinem oculorum detrectavit. Q. Fabius quoque consulatum sibi non petenti oblatum recusavit an. CDLIV. *Schott.* Fuit hic T. Manlius Torquatus alius longo post tempore, bello scilicet Punico secundo, creatus consul cum T. Otacilio. Ejus verba apud Liv. XXVI. 22. sunt: 'Neque ego vestros mores consul ferre potero, neque vos imperium meum.' Hanc tamen paragraphum apud nos retinent omnes scripti et editi, ut sine dubio error ab ipso auctore sit profectus. *Arntz.*

Nec illum] Ita scribendum judicavimus cum Leid. 2. Editur vulgo *neque illum:* Non quidem, quod putem minus recte dici *neque, neque* vel *nec, nec;* (vid. Cuningamium Anim. in Bentl. cap. 4. p. 43.) sed quod existimem varietatem hanc admodum captasse veteres, quorum elegantiam corrupit posteriorum temporum negligentia. Lucretius II. 38. 'Neque nobilitas nec gloria regni:' sic est in ed. principe, quod postea mutatum; sic in eadem III. 468. 'Unde neque exaudit voces, nec noscere vultus:' v. 37. 'Quo neque noster adit quisquam, nec barbarus audet.' III. 439. 'Nec crescit, neque post mortem durare videtur.' Sic omnibus illis locis, et aliis, quæ prætereo, expressit antiquissima Lucretii ed. quod deinde mutatum in *neque neque,* vel *nec nec.* Plinius in Paneg. c. 33. 'Inde non enerve, neque fluxum, nec quod animos virorum molliret:' ita præferunt excerpta Vossiana. Cicero pro Milone cap. 19. 'Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret, nec eo in loco subsedit.' Adde Grævii Var. Lect. ad eandem Orat. cap. 10. Cic. iterum ad Fam. Epist. III. 5. 'Neque enim obscuris personis nec parvis in causis res agetur.' Tibull. El. I. 1. 65. 'Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem:' ubi alii etiam *neque stragula.* Justin. VI. 4. § 12. 'Nec animus neque vires pares fuere.' Ovid. Epist. Her. II. 89. 'Sed neque consului, nec te mea regia tanget.' Cæsar Bell. Civ. I. 5. § 1. 'Neque docendi Cæsaris propinquis ejus spatium datur, nec tribunis,' &c. Sed ne in re non maximi momenti longior sim, adeatur La Cerda ad Virg. Ecl. V. 26. Rivius et Grævius ad Cicer. ad Fam. Ep. X. 11. Cort. ad Sall. Catil. cap. 30. § 2. et Oudend. ad Lucan. I. 349. et X. 38. *Arntz.*

CAP. XXIX. § 1 *Reliquias Senonum*] Hanc historiam Titus Livius septimo ab Urbe condita, Gellius VIII. 11. eleganter tradidere: hoc autem fuit L. Furio, Cl. Appio consulibus. *Mach.*

Valerius] Prænomen a L. Ann. Seneca Epitomæ T. Livii auctore 'Lucii,' a Fastis Capitol. 'Marci' tribuitur. *Schott.*

Corvinus] De 'Corvini' agnomine, seu cognomine, pugnant docti. Sigonius *Corvus* scribi vult ex Capitolinis Marmoribus, et ratione assentiente: Quemadmodum, inquit, 'Albus, Rufus, Crassus, Luscus, Longus' cognomina primum inventa sunt, post autem 'Albinus, Rufinus, Crassinus, Luscinus, Longinus,' subsequuta sunt: sic qui primus cognomen hoc tulit *Corvus,* posteri *Corvini* dicti. Tamen Mss.

hoc loco et in P. Decio constanter *Corvinus* scribunt, nec enim commode *Corvus* appellari videtur. Assentior igitur M. Antonio Mureto, qui in his rebus non magnopere contendendum censet. Quod enim præter Eustathium illud Propertii advocent, non me movet: 'Et cui cognomen Corus habere dedit:' nihil enim convincit: Claudiani auctoritatem opponam, qui sic in Eutrop. 'Agmina Brutorum Corvinorumque caterva:' ubi et Brutum, qui reges ejecit, respicit, et *Corvinum*, qui primus hoc cognomen tulit. Et Manilius Augusti æqualis *Corvinum* diserte vocat: 'Et cum militia volucris Corvinus adeptus, Et spolia, et nomen, qui gestat in alite Phœbum.' *Schottus*. Quotquot tamen hodie inveniuntur eruditi, omnes Sigonii et Fastorum sequuntur auctoritatem. Hearne ad Eutrop. II. 6. Vales. ad Gell. IX. 11. Torren. ad Val. Max. III. 2. ex. 6. et quos laudavit Duker. ad Flor. I. 13. § 20. *Corvinum* ex sententia Mureti ad Propert. El. III. 9. hic tuetur Schottus, Ciofanus ad Ovid. Fast. I. 602. et Britann. ad Juven. Sat. I. vs. 108. quorum ego opinioni calculum adjicio. Movent me aperta poëtarum testimonia, quæ fallere non possunt. Illis addo Juvenalem Sat. VIII. 4. 'Et Curios jam dimidios, humerosque minorem Corvinum.' Et hinc fortasse erit quod 'Corvinos' et 'Torquatos' junxerit Lucan. VII. 584. 'Corvinosque simul, Torquataque nomina, regum Sæpe duces.' Secundo loco hac in parte me confirmat unanimis Mss. consensus. Apud Gell. IX. 11. Censorin. de Die Natali c. 17. 'M. Valerio Corvino, C. Petilio Coss.' et sic in Chronico suo Cassiod. et Variarum Epist. X. 11. 'Atque nobis Marios vel Corvinos annosior vita servasset.' Tacit. Annal. I. 9. 'Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvinum et C. Marium simul æquaverat.' Neque apud Entrop. ulla varietatis ex Mss. mentio, et sic apud Valer. Max. Flor. Ciceron. Orat. Phil. V. 17. Oros. III. 6. 'Auxiliante corvo alite, unde postea Corvinus est dictus:' quo loco *Corvinum* ex Manilio etiam tuetur Fabricius. Plinium Hist. Nat. VII. 48. et Auson. in Pan. cap. 11. § 2. ubi omnia exemplaria *Corvinum* retinere testatur Vinetus. Apud Nostrum autem Leid. 1. *Corvinius*: Fran. *Corvius*: et sic κόρβιος dicitur apud Suidam in Ἀμβόσσειν. *Arntz.*

Dictus] Et una a consule centum bobus et corona aurea donatus est. *Mach.*

§ 3 *Hic*] Ita scripsimus cum O. S. et editt. nescio unde in minore Schotti et aliis sequentibus irrepserit *hinc*. Arntz.

Necessitate compulsum] Scribunt antiqui libb. *compulsa*, ut ad multitudinem referatur. Constat enim ducem desideratum a transfugis. Alterum æque quadrat, quod animadvertenti facile persuasero: vi enim et minis coactus Quinctius imperium accepit. *Schott.*

Ære alieno] 'Æs alienum' dicitur quod nos aliis debemus, vulgo debitum vocant. *Mach.*

CAP. XXX. § 1 *Titus Veturius*] *Caius* erat in Aldino, Mediol. ceterisque antiquis; sed *Titus* in Fastis Capitolinis. 'Postumius' vero a Plutarcho, ubi de clade Candina scribit, 'Albinus' vocatur. Fuere primo Coss. simul anno CDXIX. iterumque hoc bello CDXXXII. *Schott.* 'Titi' prænomen huic quoque consuli tribuit Cicero de Offic. III. 30. et de Senectute c. 12. Eutrop. II. 9. Livius IX. 1. et alii: quod recte etiam vidit, et errorem Aurelii agnovit Pighius Ann. tom. I. p. 348. Nam librariis adscribere hoc vitium non audeo, cum Schotti codd. nostri et edd. *Caium* exhibeant. *Arntz.*

In insidias deducti] *Per insidias se-*

ducti hactenus lectum: sincerior lectio, *in insidias inducti*, quam posui ex vetustis codd. depromtam. *Schott.* *Per ins. seducti* edd. priscæ. *In insidias seducti* quinque scripti. Multo melius est, quod intulit Schottus ex vetustis, ut dicit, codd. Nepos sic in Annib. c. 5. 'Iterum consulem in Lucanis absens in insidias inductum sustulit:' et Oros. IV. 16. 'Ab hospite suo Lucano quodam inductus in insidias.' Leviori et longe faciliori mutatione ego cum Leid. 2. præfero *deducti*. Inf. Epit. c. 43. § 2. 'Illic a transfuga quodam in insidias deductus.' Justin. XLIV. 5. § 4. 'In insidias deductus occiditur.' et Oros. V. 18. 'A Marsis deductus in insidias cum exercitu trucidatus est.' *Arntz.*

§ 2 *Romanos docerent*] Venustius, magisque ex usu historicorum, quam *Romanis dicerent*, quod glossarium est. *Schottus.* 'Docere' proprie dicuntur, qui per legatos vel literas aliquid alteri indicant, ut simul pateat eam ob caussam tales legatos vel epistolas esse missos. Corn. Nepos Dat. c. 5. § 3. 'Hæc Pandates, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet:' et Cæsar Bell. Gall. V. 1. § 7. 'Pirustæ legatos ad illum mittunt, qui doceant.' Sed transfugæ non eam ob caussam mittuntur, ut publice aliquid annuntient, et palam profiteantur, sese ideo venisse, ut hoc vel illud efficerent. Quare non repudianda est omnium codd. et edd. scriptura *Romanis dicerent*, pro 'narrarent,' ut solent transfugæ ea indicare quæ in suis castris agantur. *Romano* solus Fran. scilicet singularis pro plurali historicis etiam non infrequens. Sed nihil tamen mutandum. *Arntz.*

Apulam] Sic præter Mss. Parisinus ille codex elegantius quam in vulgatis *in Apulia;* quod et aliunde hic delatum. *Schottus.* Nostri *apud Lamiam* seu *Lamam.* Olim editi *in Apulia*, quod defendi posset ex Livio IX. 2. Schotti emendationem, donec certiores obferantur libb. secutus sum, et, ut puto, recte, eam etiam receperat Cellar. Geogr. II. 9. p. 563. *Arntz.*

Aliud longius et tutius] Propius ad hunc locum, quamvis in alia re, scribit Livius XXII. 2. 'Quum aliud longius, ceterum commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit.' *Arntz.*

§ 3 *Festinantibus itaque cum insidias statuisset*] Vulgata ea lectio est, quæ ad Pontium refertur: quam dum quidam impeditam et perturbatam videret, sic immutavit: *Festinantibus cum insidias statuisset Pontius ad eum locum qui Furculæ Caudinæ vocatur, accitum, &c.* Præclare liber optimæ notæ Pulmanni et Sequani, scriptus uterque, quibus loci restitutionem acceptum refero. In Mediolan. certe *Festinantibus* abfuit, legebatque *Itaque cum.* Et *eligi* Msc. habebat; ego *elegit* scripsi, quod propter vocem sequentem ab iisdem litteris inchoatam, *t*, literam omissam crederem: si quis alteram tueatur, non repugnabo. Ellipsis enim frequens scriptoribus antiquis; intelligaturque *præcipit, monet*, aut simile verbum. *Schott.* Schotti lectionem, cum duobus codd. confirmetur, præferre vellem, ut scribatur, *Festinatio brevius eligit. Itaque cum in insidias venissent (qui, &c.* Substantiva enim talia sæpe ponuntur pro ipsis hominibus, qui res perficiunt; *festinatio*, pro 'festinantes.' Quinctil. Decl. V. 6. 'Insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit.' Livius XXII. 39. 'Omnia non properanti clara certaque erunt, festinatio improvida est et cæca.' Veget. de Re Mil. III. 21. 'Et cum spei nihil est, sumit arma formido.' Seneca de Tranq. Animi c. 3. init. 'Ejus libertatem libertas non tulit.' Horat. Art. Poët. vs. 184. 'Quæ mox narret facundia, præsens.' Livius XLV. 35.

'Paulum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit.' Sic 'ira fecit' apud eundem XXI. 15. Similia apud Cort. ad Sallust. Catil. c. 14. § 1. et c. 33. § 5. Jugurt. c. 15. fin. *Arntz.*

Accitum patrem] *C. Pontius* addito prænomine ediderunt posteriores, sed prisci simpliciter *Pontius* cum omnibus Mss. et sic Florus I. 16. § 1. Orosius III. 15. Pro *Herennium* scribit *Heremum* Leid. 2. *Herenium* Boend. *Arntz.*

§ 4 *Ex fœdere*] *Icto fœdere* reposui ex vetustis libb., nam *ex fœdere* ferri non potest. Florus in Epit. 'fœdere cum Samnitibus facto.' Claudius quoque Quadrigarius 'fœdus' appellat, a quo Livius nominis Romani perstudiosus dissentit, qui 'sponsionem' interpretatur. Videsis Sigon. lib. I. de Antiquo Jure Civium Romanorum copiose de his dissertantem. *Schott.* *Ex fœdere* tamen omnes et editi et scripti, quod quo minus ferri non possit, nullus video. Certe illi, qui ad summas angustias redacti se hosti dedere deberent, et eam contumeliam subire, ut sub jugum mitterentur, prius sponsionem aliquam faciebant, ut incolumes abirent; qualis sponsio apud optimos quosque scriptores etiam fœdus appellatur. Voces quidem hæ, si proprie loqui velimus, distinguendæ erunt, cum fœdus componatur S. P. Q. R. consensu, sponsio vero neque populo jubente nec auctore senatu. Quam tamen differentiam non ubique observari notarat jam Sigon. de Jure Italiæ I. 1. et Duker. ad Flor. I. 16. § 12. De Mancini deditione, qui pacem cum Numantinis fecerat injussu S. P. Q. R. Cicero Off. III. 30. 'Ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur:' et Eutrop. IV. 17. 'Ut in illo, quem auctorem fœderis habebant, injuriam soluti fœderis vindicarent.' Augustin. de Civ. Dei III. 21. 'Numantinum fœdus horrenda ignominia maculosum.' Val. Max. I. 6. ex. 7. 'Turpi fœdere, deditione funesta:' et II. 7. ex. 1. Eodem modo apud Sallust. Jug. c. 38. § 2. 'Si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub jugum missurum:' et c. 43. § 1. 'Post Auli fœdus exercitusque nostri fœdam fugam.' Confer Liv. lib. XXI. capp. 18. et 19. Et ut propius accedamus, ipsa illa pactio cum Samnitibus inita fœdus appellatur. Florus II. 18. § 7. 'Non minus Numantini, quam Caudini illius fœderis flagrans ignominia.' Rutil. Itin. I. 126. 'Samnis servitio fœdera sæva luit.' Augustin. de Civ. Dei III. 17. 'Quando in Caudinas furcas a Samnitibus obsessi ambo cum exercitu Coss. fœdus cum iis fœdum facere coacti sunt.' Adeoque *ex fœdere* idem erit ac si dixisset 'ex sponsione,' ex legibus pacis, quæ convenerat inter eos. Et quid, si vulgarem opinionem secutus sit Aurelius, cum tradat Livius IX. 5. vulgo credi et a Claudio affirmari fœdere pacem Caudinam esse factam? Si ita accurate omnia vellemus examinare, et excutere, multo minus Schotti hæc emendatio posset ferri, cum ut fœdus 'iceretur' adhiberi deberent feciales, qui porcum ferirent. Atqui sine fecialibus hanc rem peractam fuisse patet ex eodem Livio loco laud. *Arntz.*

Nec receptus] *Est* in fine addunt omnes scripti et editi. *Arntz.*

Cap. XXXI. § 1 *Lucius Papirius*] Is est, quem Livius Alexandro Magno comparat, si is in Italiam venisset. *Mach.*

Consulem] Fuit cum *consularem*, aut *dictatorem*, ex historiæ fide reposuerim, neque enim consules eo anno CDXXIX. fuisse Sigonius observat: consulem tamen facit Papirium Orosius III. 15. et Eutrop. lib. I. Livius quoque ambigi dicit, magister ne equitum an consul tunc fuerit.

Schott. *Dictatorem* hic nobis exhibebat, vetantibus scriptis et editis, Schottus, quod non erat committendum, cum ipsi dissenserint veteres. Vide Fabric. ad Oros. III. 16. *Arntz.*

Ominibus] *Adversis ominibus contra Samnites profectum*, antiqua lectio est; vulgo *adversis omnibus adversum Samnites progressum.* Illud concinnius. 'Omina' sæpe in veteribus auctoribus corrupta esse in 'omnia' olim admonuit Guil. Canterus vir doctissimus in Novis Lectionibus; qui magno sui relicto desiderio fatis ereptus est. *Schott.*

Ad auspicia repetenda] [Vide Not. Delph.] In hac elegantissimæ Annæ nota pro *ministerium* rectius leges *imperium.* Vitiosis utebatur Servii edd. postea melius de eo loco meritus Masvicius. Vide Serv. ad Virgil. Æn. II. 178. et ad eundem locum La Cerda. Val. Max. II. 7. ex. 4. 'Ad auspicia repetenda Messanam transiturus.' III. 11. ex. 9. 'Propter auspicia repetenda in Urbem proficiscente.' Livius VIII. 30. 'Cum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur:' et c. 32. 'An auspicia repetenda, ne quid dubiis Diis agerem.' *Arntz.*

Rutilio] *Rutilio* Paris. *Rullo* Mss. omnes hic et sequenti capite, et Livius: quomodo et Plutarchus in Pompeio vocat, quanquam in Fabio nomen corruptum sit. 'Q. Fabium Maximum Rullianum' nominant Val. Max. lib. V. et qui Capitolinos consules digesserunt. *Schott.* 'Rullianus' est in Fastis Capitolinis, ex quibus alia auctorum loca, in quibus varie legitur, emendanda esse censet Pighius Ann. tom. I. p. 342. quem hic secutus est Schottus. Sed cum nullus Ms. ita habeat, tutissimum putavi exprimere, quod in optimo Parisino nostrisque duobus exstat, *Rutilio;* quomodo etiam appellatur apud Frontin. Strat. IV. 1. ex. 39. Confer Sigon. ad Liv. VIII. 29. et Vorst. ad Val. Max. III. 2. ex. 9. *Arntz.*

Inponebat] Mss. iidem legunt venustius quam *præponebat.* Reliqua quæ mutavimus a Mss. sunt. *Schott.* Recte nobis videtur Schottus reduxisse genuinam lectionem, pro qua *præponebat* habebant alii, quia scilicet hæc vox ea significatione magis esset obvia. Et id velle etiam videntur omnes nostri, et Oudend. ad Lucan. III. 393. Hæ duæ voces ejusdem sunt notionis, adeo ut perinde sit quid eligas. Malo tamen adsensum Schotto præbere, cum ignotam vocem multo facilius corruperint scribæ. Livius XXV. 25. 'Præerat huic arci Philodemus Archivus ab Epidyce inpositus.' XL. 12. 'Ut quem vellent, inponerent Macedoniæ regem.' Et XLII. 41. 'Præfectum a me inpositum ita occiderunt:' ex uno Tacito vel centum talia loca dari possent, ut norunt, qui eum unquam inspexerunt. Spartian. Hadr. capp. 21. et 23. 'Quem prætura honoravit, et statim Pannoniis inposuit:' et in Ælio Vero c. 3. 'Pannoniis dux et rector inpositus.' Capitol. in Pertin. c. 2. 'Primæ legioni regendæ inposuit:' adde capp. 6. et 13. Dictys Cret. de Bell. Troj. IV. 22. 'Expers omnium quæ gesta erant, petitu Hesionæ, regno inpositus est.' Plura collegit Cort. ad Sallust. Catil. c. 51. § 28. et Jugurtha c. 100. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Reversus*] Primus Schottus edidit *Reversus Papirius securi.* Nomen ignorant antea editi et Mss. omnes. Melius videtur abesse, cum ex præcedentibus per se commode procedat oratio. *Feriri* malebat Leid. 2. *Arntz.*

§ 3 *Pater lacrymis*] Nam adolescens, et pater M. Fabius contentionis die prorupere ad genua, et deprecati, dictatoriæque dignitatis obliti sunt, et multa alia, quæ libro octavo historiæ Livianæ eleganter videbis. *Mach.*

§ 5 *Item*] Cæterum ingenii laudes,

morum facilitatem, bellicamque virtutem Livius lib. IX. copiose prædicat, adeoque Alexandro Magno Papirium comparat. Plinius quoque XVII. 11. hujus rei gestæ meminit et Ammianus Hist. lib. XXX. *Schottus.* Neque hujus paragraphi ulla apud scriptos vel editos exstant vestigia, quare in textum admittere nolui, cum non ex Ms. sed a solo ingenio profecta sit, et ita etiam, ut ne verba quidem sensui satisfaciant. Quæ enim hæc est 'comitas,' aliquem timore mortis attonitum reddere? Est enim 'comis,' qui verbis et factis blandus, mitis est, non qui asperiora jubet. *Item* habent Mss. sed editum semper *Idem:* prius tamen mallem, ut inserviat connectioni in narrandis duobus factis, ex quibus pateat quam diligenter imperia curarit Papirius, quamvis jussa severiora deinde clementia mitigarit. *Arntz.*

Cum Prænestinum] Ne quem offendat sine diphthongo urbem prima syllaba pingi: sic enim jussi; Servius enim in Æn. lib. VII. ἀπὸ τῶν πρίνων, *ab ilicibus*, quibus ager ille abundabat, deflectit. *Schottus.* Sed Græci semper scribunt Πραίνεστος. Stephanus hac voce. Strabo Geogr. p. 364. &c. V. Grang. ad Juven. Sat. III. 190. et Dausq. Orthogr. part. II. 250. *Arntz.*

§ 6 *Excidi*] Malui *exscindi* auctoritate codicis antiqui, tametsi alter *excindi* haberet. Hinc enim 'exscidium' apud Plautum Curculione scriptum observavi: 'discidium' apud Terent. Gabriel Faërnus: 'obscidium' apud Varron. de L. L. IV. Ad. Turnebus. Porro 'exscidium' a 'scindo' deduco: Festi Collectanea a 'cædendo,' non recte; poëtæ enim secundam corripiunt. A 'cadendo' vulgus grammaticorum derivat 'excidium.' *Schott.* *Excidi* et Mss. et antiquæ edd. servant, et recte quidem, cum 'cædere,' et quod ab eo deducitur, 'excidere,' proprie de arboribus adhibeatur, quæ securibus eruuntur. Varro de L. L. IV. 36. 'Ab silva laurea, quod ea ibi excisa, et ædificatus vicus.' Lucret. V. 1265. 'Ut sibi tela parent, silvasque excidere possint.' Cicero ad Att. Epist. XV. 4. 'Excisa enim est arbor, non evulsa.' Et hanc elegantiam servat versio vulgata apud Matth. c. III. vs. 10. 'Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.' Seneca Herc. Fur. vs. 1285. 'Aut omne Pindi Thracis excidam nemus Bacchique lucos:' sic ibi eod. Etruscus, et firmant duo nostri, quibus omnino habenda est fides. Sidon. Apollin. Carm. II. 131. 'Protulit excisus jam non sua germina palmes.' Sed hæc verba ita solent sæpe confundi. Conf. Duk. ad Flor. II. 2. § 37. Gronov. ad Sen. de Clem. I. 1. et nos infra c. 77. fine. *Arntz.*

CAP. XXXII. § 1 *Ob virtutem*] *Maximus appellatus* Leid. 1. Paullo post verba *Cursore ob Samnitem victoriam* delent omnes scripti et editi, nisi quod hi *Cursore* admittant. Nos ne cuiquam hæc fraudi essent, et ut a genuinis distinguerentur, adpositis signis indicavimus, in aliis desiderari. *Arntz.*

Nucerinis] Pro *Lucerinis, Nucerinis* alii. Livius Fabium III. cons. A. U. CDXLV. subegisse ait 'Nuceriam Alphaternam:' sic enim ex Diodoro legendum docuit Sigonius. Glareanus vero 'Luceriam' scribit, cujus et Horatius in Odis meminit: Sigonius contra 'Nuceriam' tuetur. Hæc in Picentibus seu Campania est IX. millium passuum distans a mari, ut et Alphaterni, auctore Plinio: illa in Apulia est. Lubricus profecto locus, et in quo mihi aqua hæreat, nec pudet fateri, cum nihil eversorum locorum veritate incertius. Ptolemæus enim tres 'Nucerias' facit. Paulo ante *ob Samnitem victoriam* e Mss. duobus exscripsi, et infra *albis equis.* Schott. *Lucerinis* tuetur etiam Pi-

ghius Annal. tom. I. p. 343. Sed quamvis admodum difficile sit in hisce rebus certi aliquid statuere, non dubito tamen quin vera sit omnium codicum scriptura *Nucerinis*. Patet hoc ex ipsa historiæ veritate et situ locorum. Evenerat enim Fabio provincia Samnium. Is antequam cum illis bellum gereret prius exercitum duxit in agros Nucerinos, ut est apud Liv. IX. 41. ubi dicitur Fabius ad Nuceriam profectus, mox cum Samnitibus (quibus se junxerant Apuli: Pigh. Ann. tom. I. p. 347.) dimicasse. Hoc in urbe Nuceria verum esse potest, quæ a parte orientali propinqua est Samnio, non vero procedit in Luceria, quæ ad partem septentrionalem Italiæ jacet, ita ut Samnium intermedia sit, quare ad Luceriam non poterat ducere exercitum, nisi Samnites prius debellasset. Huic rationi accedit etiam hoc, quod Livius loc. laud. hanc urbem appellet 'Nuceriam Alphaternam.' Jam nulla unquam fuit Luceria Alphaterna, sed quidem Nuceria ad distinctionem alterius Nuceriæ, ut indicaretur urbem illam esse Campaniæ. Servius ad Virgil. Æn. VII. 738. 'Populi Campaniæ sunt a Sarno fluvio . . . Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.' Liv. IX. 38. 'In Campaniam acta, cum appulsa Pompeios esset, socii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti.' Hinc 'Pompeios' et 'Nuceriam' conjungit Cicero Orat. in Rullum II. 31. et 35. Adde Silium VIII. 534. et, quem ibi adnotat Drakenb. inter geographos principem Cluver. Ital. Ant. IV. 5. Harduin. in Nummi Popul. p. 363. Cellar. Geogr. Ant. II. 9. Hæ voces ita confunduntur, quia et Luceria et Nuceria notæ erant urbes in Italia: vide Salmas. ad Flor. II. 18. § 11. et Oudendorp. ad Lucan. II. 473. ad cujus loci veram lectionem fortasse facit Celsus in Vita Cæs. p. 186. *Arntz.*

Marsis] Marsi populi Campaniæ, a Marso Circes et Ulyssis filio, qui etiam excantare venena dicebantur. *Mach.*

Triumphasse] [Vide Not. Delph.] Non accurate Fastos Triumphales inspexit doct. femina, in iis enim Fabii tres triumphi celebrantur; A. U. C. CCCCXXXI. CCCCXLI. et tandem CCCCLVIII. *Arntz.*

§ 2 *Censor*] Collega P. Decio, P. Decii filio anno CDXLIX. quo in magistratu ob feliciter rem gestam Maximi cognomen sortitus est, non ob res militiæ gestas. Lustrum etiam hoc tempore conditum XXVIII. *Schott.*

Tribu] Non perspicio, quo modo ex Livio lib. IX. cap. ult. hic malit *senatu amovit* legere Schottus; ille enim cum Nostro facit. Appius namque forensem turbam per tribus diviserat, in cujus manu (abundabant enim multitudine,) comitia essent, sed eos iterum 'aliis tribubus amotos' in quatuor urbanas descripsit Fabius. Malim igitur cum Fran. legere *tribubus*. Confirmatur hoc Schotti codd. et veteribus aliquot edd. *Arntz.*

Ex usu reipublicæ] *Populi Romani* Mediolan. impresserat: hinc forte quod P. R. *populum Romanum* signet: quas litteras si invertas R. P. *rempublicam* notant: sin conjungas P.R. *prætorem* in antiquis schidis significant. Ex qua quidem ignorantia, seu oscitantia errores infiniti in libros irrepsere. Plutarch. in Coriolano refert Manlium Censorinum legem tulisse, ne cui bis censuram gerere liceret; et in Catone inter ejus scite dicta. Livius libro quarto et nono de C. Marcio Rutilo Censore secundum, qui populum increpavit, quod bis censorem fecissent, quam dignitatem majores coartassent. Val. Max. IV. 1. initio, et simile ibidem de hoc ipso Q. Fabio Maximo Rulliano. *Schott.*

§ 3 *Equis*] *Albis equis* libri veteres scribunt. Transvectio autem antiquitus dicebatur, qua de Livius lib. nono, Dionysius sexto, Plinius XV. capite quarto, Valerius lib. secundo, et Sueton. Augusto cap. 58. *Schott. Not. Min.* et *Sylburg.* Ediderat ex duobus scriptis *albis equis* Schottus, quod miratur Lipsius de Mil. Rom. I. 5. Quis credat, inquit, tot unius coloris fuisse? rescribit ergo *alti equis.* Ovid. Epist. Her. IX. 28. 'Rapidis qui tonat altus equis:' sed hoc paulo aliter intelligendum. Nec requiritur in historico, ut narret equo sedentes alte sedere; de eo enim nemo dubitaret. Sed intrusit Schottus hanc vocem contra rei veritatem, contra antiquas edd., et manu exaratos codd. Sanus igitur erit locus, si scriptor suis verbis restituatur. *Arntz.*

Epulas] Lego *epulum* ex Mss. tribus, quibus usus sum, rectius, ni fallor. Symmachus Ausonio: 'Quasi ego cœnas dapales et Saliare convivium, tum viscerationem atque epulum postulassem.' Quid autem hæc differant, docet e glossario Isaacus Casaubon. ad Sueton. Cæs. c. 38. ubi et hæc conjungit. *Schott.* Secutus est vir erud. vulgarem grammaticorum distinctionem, qui 'epulum' ad publica, 'epulas' ad privata referunt convivia. Vera est hæc differentia, et ab optimo quoque observata. Horat. Sat. II. 3. 85. 'Gladiatorum dare centum Damnati populo paria, atque epulum arbitrio Arri.' Livius XXXIX. 46. 'Post ludos epulum.' et Epit. lib. CXV. Seneca de Benef. I. 14. 'Nec convivam dantis epulum, ubi dici potest.' Vell. Pater. II. 56. § 1. Sueton. Cæs. c. 26. § 6. Sulp. Severus Hist. Sacr. II. 6. l. 22. pr. ff. de Legat. pr. et l. 17. § 4. de Cond. et Dem. Hæc tamen observatio adeo vera non est, ut non aliter loquantur veteres, et 'epulas' de publicis etiam cœnis adhibeant. Cicero de Harusp. Resp. c. 10. 'Ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum:' et Justin. XXI. 4. § 2. 'Itaque plebi epulas in publicis porticibus, senatui in domo sua parat.' Non itaque statim rejicienda sunt quæ nobis usui vulgari repugnare videntur; talia enim a librariis facilius corrupta quam in ignotiorem sensum detorta sunt. Secutus igitur Mss. et edd. *epulas* expressi. *Arntz.*

CAP. XXXIII. § 1 *Marcus*] Vitiose hactenus, ut et in Val. Max. scripserant scioli quidam, qui *Manius* est. Non viderant lippis oculis supra virgula, vel semilunula M'. in Mss. notari. Frontin. male 'Caium' vocat Strateg. IV. 3. *Schottus.* In vulgatis libris perperam est M. pro M'. ut docet Sigon. 345. 10. *Sylb.* 'Manium' verum esse prænomen constat hodie ex Fastis, quibus certior haberi potest fides. Adde Cicer. de Seneet. capp. 13. et 16. et Pigh. Ann. tom. I. 403. Sed in edd. auctorum admodum variatur. Apud Frontin. I. 8. ex. 4. et IV. 3. ex. 12. 'Manium Curium' pro vulgato *Caio* edidit Scriverius, 'Marcum' vero II. 2. ex. 1. Apud Gell. Noct. Att. X. 16. 'Depugnavit adversus M. Curium:' ubi *Manium* esse in vett. edd. monuit Gronov. 'Manius' etiam editur apud eundem XIV. 1. p. 638. Eadem varietas est apud Plin. Hist. Nat. XVI. 38. *Marcus* est in omnibus scriptis Eutropii II. 9. quorum magnum numerum adfert Havercamp. in Var. Lectt. et sic metaphrastes eodem lib. c. 14. Μάρκος Κούριος· nec aliter editur apud Vell. Paterc. I. 14. § 6. et ita in Mss. suis invenerat Torren. apud Val. Max. IV. 3. ex. 5. et VI. 3. ex. 4. Nostri etiam omnes *Marcus* cum edd. quæ ante Schottum prodiere. *Arntz.*

Dentatus] Non celabo lectorem, cod. unum scriptum *Dematum* legisse; non probo: Plinius enim avunculus VII. 16. diserte inde appellatum tradit, quod cum 'dentibus' natus esset. Varro 'L. Sicinium Dentatum' quendam celebrat apud Fulgentium

Nefrendes, et Plinius VII. 27. et alibi, qui 'Siccium' nominat. Mirum profecto eodem anno consulem tertium triumphasse, et semel ovantem Urbem inivisse, quæ auctor noster ordine recenset. *Schottus.* *Dentatus* recte omnes scripti. Seneca de Brevit. Vitæ c. 13. Livius in Epitoma XI. et Freinsh. ad Flor. I. 15. § 2. *Arntz.*

De Samnitibus] Triumphi hujus meminit Cicero in Catone; Oros. III. 22. et Florus I. 15. rei tantum in Sabinis gestæ meminerunt. Eutrop. collegam ejus in consulatu anni CCCCLXIII. P. Cornelium Rufinum Samnites simul vicisse ait. Idemque quatuor elephantos primum Romam induxisse Lucanis devictis refert, indeque 'Lucas boves' dictos. Vide Plin. et Varron. *Schott.*

Superum mare] Dictum, quod tendit supra polum arcticum versus. Virgil. 'An mare quod supra, memorem, quodque alluit infra.' Hadriaticum et Venetum aliter dicunt. *Machan.* L. Annæus Seneca in Epitoma Livii I. 15. 'Omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini Adriatico tenus mari igne ferroque vastavit, qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset nec ipse posset affirmare qui vicerat.' Hinc Cicero Epist. ad Att. IV. 15. lacum Velinum ait a M'. Curio monte interciso in Nar emissum, et Varro apud Serv. in Æn. lib. VII. ad illum versum, 'Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini.' Sed triumphorum quatuor meminere Cicero in Catone, L. Florus Livii abbreviator lib. II. Appul. Apologia I. Oros. III. 22. Frontin. lib. I. *Schottus.*

§ 2 *Tantum*] [Vide Lectt. Var.] Qualia exempla passim sunt obvia; sed hæc adscripsi, ut videant theologi caussam, cur in plerisque exemplaribus sacri cod. Epist. Joan. I. 5. intercepta sit paragraphus septima, quia scilicet par. 8. eadem verba habeat: Τρεῖς εἰσιν, &c. Apud nos talia multa sunt exempla, propter convenientiam vocis aliquid esse omissum, nulla autem propter talem convenientiam suppletam esse sententiam. Quare illum locum merito tueantur illi, quibus veritas cordi est. Similia collegit Clericus in Arte Crit. part. III. sect. 1. c. 5. Pro *fuerint*, cum Haun. utroque Leid. et Boend. scripsi *fuissent*. Alii hoc dictum de capto agro non ad bellum Samniticum, sed ad Sabinum referunt, quod jam viderant viri docti ad Flor. I. 15. Utrumque enim eodem a. CCCCLXIII. fuit gestum, uti recte observat in Annalibus suis Pighius. *Arntz.*

§ 4 *Tertio de Lucanis*] Male Schottus ad § 1. existimat tres triumphos egisse et semel ovasse uno anno Curium, cum duorum et unius ovationis tantum mentionem facit Noster. Neque erud. Anna hic litat. [Vide Not. Delph.] Sequor potius Pighium, qui Ann. tom. I. p. 405. duos triumphos de Sabinis et Samnitibus refert ad ann. CCCCLXIII. ovationem ad ann. CCCCLXIV. p. 406. fine: unde in Fast. Triumph. ad eum annum 'M. Curius Dentatus III. Pro Cos. ovans de Lucaneis.' Anno autem CCCCLXXVIII. triumphum duxit de Pyrrho ib. pag. 441. Neque obest mihi, quod ceteri ovationem omittant, et tres tantum triumphos numerent, illi enim ovationem triumphum esse non putarunt. *Arntz.*

Ovans] I. e. minori triumpho utens. Nam in ovatione magnum a triumpho discrimen fiebat; incedebat namque ovans equo albo, corona myrtea coronatus: sed triumphans in curru, laurea insignitus. *Mach.*

§ 5 *Pyrrhum*] Qui arcessitus a Tarentinis stipendio, dux primus ductu elephantorum Romanum terruit imperium. *Mach.*

Epirotam] Sequutus sum veteres libb. et Paris. Vulgati enim *regem Epirotarum*, quasi hoc cuiquam esset

ignotum. *Schott.* Et sic nostri. *Arntz.*

§ 6 *Quaterna dena*] Vide Columell. non semel, et Cicer. de Leg. lib. II. ibidemque Turneb. Valerius vero septena ait divisa populo IV. 3. *Schott.*

Dicens neminem] Refert idem Frontin. Strateg. IV. 3. Non dissimile Pittaci apud Probum in Thrasybulo, Plutarchum et Laërtium abstinentiæ exemplum. *Schott.*

Esse] 'Comedere.' In Xeniis Martialis: 'Romulus esse solet.' *Mash.*

§ 7 *Samnitum*] Abstinentiæ Romanæ exemplum, quod apud Cic. in Catone, Plin. X. 5. Plutarch. in Cat. Majore et Apophtheg. aliosque juste laudatur. Verum ne illud silentio involvam, Athenæus Δειπνοσοφ. lib. X. e Megacle libro de Viris Illustribus aurum a Sabinis oblatum tradit: et Agellius Fabricio Samnites detulisse grandem pecuniam scribit Noct. Attic. I. 14. ex Julii Higini libro de vita Virorum Illustrium et Seneca patre Controversiarum l. IX. *Schott.* Confer Rutil. Itin. I. 558. Verbo monendum in Fran. legi *Samnitium*, quæ solennis est varietas, ut duobis hisce modis terminatur genitivus pluralis: vide notas ad Val. Max. IV. 3. ex. 5. Vocalem frequentius videntur interponere prosæ scriptores, ut Frontin. Strat. I. 8. ex. 3. et c. 11. ex. 2. Plinius Hist. VII. 20. Vell. II. 27. fine. Oros. V. 18. 'Millia Samnitium eo prælio cæsa sunt,' ut editur; in Ms. inveni *Samnitum*; quomodo ap. Cicer. de Orat. II. 80. Silius I. 664. 'Mœnia depulso Samnitum robore.' *Arntz.*

Torreret] Non inficeta lectio Haun. *coqueret*: sic enim 'coquere lapides' apud Justin. I. 2. § 5. 'Coquere liba' Ovid. Fast. VI. 532. Sed cum reliquis Mss. et edd. receptam tuentur alii scriptores, qui in narranda hac historia 'torrere' dicunt. Ad ipsum vero responsum respicit Gunth. Ligurinus de Gest. Barb. III. 469. 'Non sibi quærit opes, sed pulchræ laudis honores, Nec habet ille suum, sed habentibus inperat aurum.' Et Frontin. Strat. IV. 3. ex. 2. *Arntz.*

§ 8 *Guttum ligneum*] Sic arbitror legendum de Mss. tribus et Plinio XVI. 38. qui 'guttum faginum' appellat. Valerius, 'ligneo catino,' vel melius *catillo* cœnantem facit lib. IV. Plinius XXX. 6. 'aquam bibere catillo' dixit. Et Appul. Apologia lib. I. 'Diis immortalibus sympulo et catino fictili sacrificat.' Simile de Augusto refert Sueton. c. 71. qui Alexandria capta nihil sibi præter unum myrrhinum calicem ex instrumento regio retinuerat. Vulgati hic *cadum ligneum* habebant, unde et *fagum* cudi queat. Ovid. quinto Fast. 'Terra rubens crater, pocula fagus erant.' Verior tamen scripta lectio. 'Guttum' enim inter sacrificii vasa numerat Varro libro primo de vita Populi Romani apud Nonium in 'Cymbia.' Alii rursum *rapa*, alii *rapam* legunt, qua de re disceptent, qui eas in deliciis habent, et qui cum Romulo apud Superos possint 'ferventia rapa vorare,' ut ait ille. *Schott.* Quidam codd. *rapas*: alii sing. num. *rapam*. Schottus *rapa* maluit, ut Seneca in Apocol. 'ferventia rapa vorare:' et Martial. lib. XIII. 'Gaudentia frigore rapa.' *Sylb.* Equidem mallem lectionem illam *guttum ligneum* a nostris confirmari, cum veritati videatur convenientior. (*Cadum ligneum* quoque est in D'Orvil.) Adi Broukh. ad Tibull. El. I. 11. 8. et Cerdam ad Virgil. Ecl. III. 37. Sed cum omnes *cadum* unanimi consensu recipiunt, non audeo his repugnare, præsertim cum ita olim etiam editi omnes. Atque defendi posset, quod 'cadus' fuerit inter vasa vinaria, ut centum testimoniis posset ostendi. Inspice modo Plautum Amph. I. 1. 273. Aulul. III. 6. 35. Ovid. Fast. V. 518. Martial. I. 19. XII. 48. XIII. 118. Apuleium Metam. II. 119. VIII. 215. IX. 232. et alios. Jam ad

sacrificia vinum adhibebatur in honorem Deorum, ut cuilibet notissimum est, ad quem usum etiam hunc cadum destinare potuit Curius. Quare factum, ut Noster *cadum* posuerit, cum *guttum* seu *catillum* ponere debuisset. Et quid si *cadum* acceperit in genere pro quocunque instrumento, quo liquida conduntur vel infunduntur? quod nunc potissimum crediderim, cum proprii cadi non ita e ligno fierent. *Rapas* cum edd. et Mss. prætulimus, cum utrumque dicatur. *Arntz.*

In domum] Quasi hoc substantivum cum præpositione construi non posset, illam abjiciunt Fran. et Leid. 2. sed manifestum produnt errorem. Livii Epit. lib. LII. 'Nec quidquam ex iis opibus ornamentisque in domum ejus pervenit.' Apul. Met. III. 134. 'Ad domum suam perduxit.' Plaut. Capt. IV. 4. 3. 'Intemperies modo in nostram advenit domum.' Terent. Eun. II. 3. 90. 'Si in domum meretriciam deducar.' 'Attulit ad domum' apud Ascon. ad Arg. Cicer. pro Mil. pag. 776. ed. Græv. Livius XXVI. 50. 'Sponsoque ab domo accitis.' et XLIV. 45. 'Rex in domum se recepit.' Tacit. Ann. XII. 5. et XIV. 63. Capitol. Anton. Phil. cap. 3. 'Tamen ad domum Apollonii veniret.' Ceterum *suam* omittunt Hann. et uterque Leid. Infra tamen c. 60. fin. 'In domum suam nihil contulit:' et Cort. ad Sallust. Jug. c. 76. § 6. *Arntz.*

§ 9 *Anien*] Sive *Anio;* fluvius est quem vulgo 'Fiveronum' dicunt: oritur autem ex Trebanorum montibus. Insignis est victoria Tulli Hostilii regis. *Mach.* De Anione Plinius videndus III. 21. 'Anio in monte Trebanorum:' ubi legendum *Trebulanorum* antiquis libris auctoribus. *Schott.*

Manibus hostium] Insigne hic mendum, monstrumque horrendum ingens a nobis confectum. Vulgata enim lectio recedit a libris Mss., recedit ab historia. Conjecturam meam proponam, deinde confirmabo. Credebant quidam majestate Romana dignum, si hostium opera aquam deductam dicerent, præsertim cum jam tam multos a Curio captos legissent: meminerant ad hæc in Superbo cloacam maximam populi viribus factam, unde fossæ Quiritium dictæ sint. Cum ergo *de manubiis* reperissent, emendarunt bardi homines *deinde manibus.* Nos lectionem sarcivimus, quam miror a commentatoribus, doctis quidem et copiosis, non observatam. Eant nunc qui antiquorum librorum opem contemnunt, vulgatosque non immutandos barbare jactant. Sed longius provehor. Front. libro de Aquæduct. 'Vetus Anio post annos 40. quam Appia perducta est, anno ab U. C. CCCCLXXXI. M'. Curius Dentatus, qui censuram cum L. Papirio Cos. gessit, (anno CDLXIV. ut Sigon. conjectat) Anionis, qui nunc dicitur Vetus, aquam perducendam in urbem ex manubiis de Pyrrho captis curavit, Sp. Carvilio, L. Papirio Coss.' Hos autem consules iterum fuisse anno CDXXCI. ex Livii XXIV. libro et Capitolinis Tabulis discere licet. Similem locum nuper in Cornelio Nepote corruptum vidi in iis quidem libris, quibus usus sum: is est in Cimonis vita: 'His ex navibus:' lege *His e manubiis* Plutarcho auctore. Itemque in Sidon. Apoll. sic olim *manubiis* pro *manibus* de veteribus membranis reposui libro septimo epist. VII. initio. *Schott.* Eadem fere reperies apud Keuchen. neque hoc illi homini novum, ad Frontin. de Aquæd. p. 375. nisi quod ille *aquam deinde Anienem manubiis.* Ceterum eandem sibi de emendatione Nepotis vindicat gloriam. Vide Pigh. Ann. tom. II. p. 20. Et ita hoc loco textum immutavit Sylburg. Solenne hoc erat, ut publica opera extruerent ea pecunia, quam ex hostibus ceperant,

quod dicebant 'de manubiis' fieri, qualia loca vide apud Comment. ad Flor. I. 7. § 8. Ascon. ad Cicer. in Verr. de Præt. p. m. 108. et Cicer. Orat. Agrar. in Rullum cap. 28. Liv. XLIII. 4. 'Ut is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret.' *Deinde* tamen contra sententiam Schotti retinui, quia nulla necessitas eam ejiceret. *Arntz.*

Induxit] *Introduxit* alii. *Induxit* autem non ipse Curius, sed Fulvius Flaccus alter duumvirum aquæ perducendæ; Curio mortuo intra quintum diem quam esset duumvir creatus A. U. C. CDXXCIX. *Schott.* Eutrop. II. 9. 'Appius Claudius censor aquam Claudiam induxit.' Lamprid. in Alex. Sev. cap. 25. 'In his thermas nominis sui, juxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta.' l. 2. § 36. ff. de O. J. 'Aquam Claudiam induxit.' *Arntz.*

§ 10 *Tribunus plebis*] In Mss. longe aliter periodus habet, *Tribunos plebi patres se auctore fieri coëgit comitiis, quibus plebei mag. creabantur.* Nihil tamen demuto. Cicero enim de Claris Oratoribus et Liv. l. x. an. CDLIV. M. Fulvio Pæto, T. Manlio Torquato Coss. tulisse M'. Curium Dentatum tribunum plebis ait, ut ante curiata comitia magistratuum Patres auctores fierent. Miror equidem quid Francisco Hottomanno viro alioqui doctissimo, et in antiquitate diu multumque cum laude versato, in mentem venerit, quod in Catalogo Legum Romanarum ad hanc legem Curiam, Probum de Viris Illustribus libelli nostri laudarit auctorem; cum in lege Sempronia agraria, tanquam sui oblitus, auctorem de Viris Illustribus, ut plerique omnes docti, appellet. An quia de externis Imperatoribus scripsisse quidam putant, et de Romanis quoque extremo libro ipse fatetur? Video Eliam Vinetum eruditissimum virum hunc fœtum ad Plinium Nepotem perpetuo referre: semel vero ad Sueton. Carolum Sigonium de Jure Provinc. lib. II. forte librariorum incuria. *Schott.*

Patres auctores] Nam antea plebeio magistratui decretum suum non interponebant. *Mach.*

Tiphatam] *Tifatam* veteres scribebant, quod *f* cum *ph* Græcorum gemina sit, atque ita et Georg. Fabric. in Roma, sed genere neutro *Tifata*, montesque juxta Capuam veterem locat. Juxta hunc *Tifata* montem pugnasse Syllam cum C. Norbano auctor Velleius lib. II. *Schott.* Propius vero *Tifata.* Item *quinquaginta*, quemadmodum indicarunt dudum viri docti. Et vero illud *quinquaginta* visitur etiam in Palatino altero. *Grut.* Cum *ph* tamen omnes, qua scripti, qua editi. *Arntz.*

Quingenta] Vetus lectio *quiquaginta*, quæ lectio propius a vero abest. *Schott.*

CAP. XXXIV. § 1 *Claudius*] Constat, Livio Suetonioque testibus, Clausios a Sabinis Romam migrasse, inde Claudios dictos, quorum familia duplex exstitit, altera patricia, altera plebeia. *Mach.*

Quoque in senatum] Suet. in Claudio cap. 24. 'Appium Cæcum censorem generis sui proauctorem libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appii et deinceps aliquamdiu, libertinos dictos, non ipsos qui manu mitterentur, sed ingenuos ex his procreatos:' ad quem locum plura Læv. Torrentius noster. Justinian. tamen lib. I. tit. 4. dictos ait libertinos, qui ex justa servitute manumissi sunt. Q. Fabius Rullus censor libertinos omneis tribu amovit, ut supra cap. 32. dixit: et Nero eosdem quoque curia amovit; Sueton. cap. 15. *Schott.*

§ 2 *Duæ familiæ*] Vidi qui hæc, ut falsa, spongia obducta delenda putarent, scribendumque præter librorum fidem, *Una familia ad Herculis*

sacra erat destinata: scilicet Potitiorum; Potitios Herculis, &c. vel *quos Herculis sacerdotes.* Cum ignorarent utramque familiam destinatam quidem, at alteram Pinariorum, quod serius ad rem divinam venissent, post ab Hercule repudiatam. De quo copiosius quam Livius lib. IX. in Commentario de Origine Urbis Romæ quem ex Msc. nostro edendum curavimus. Ego sic tentabam: *Quæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatæ Potitiorum, pretio corrupit:* nam XII. ea tempestate Potitiorum familiæ erant. Livius libb. I. et IX. Val. Max. I. 2. Et illud *Pinariorum et Potitios Herculis sacerdotes* glossema olet. *Schott.* Sed nihil est mutandum, nam Pinarii, licet non eodem jure ad hæc sacra accesserint, ministri tamen fuerunt, ut pluribus est apud Serv. ad illa Virg. VIII. 269. ‘Primusque Potitius auctor, Et domus Herculei custos Pinaria sacri.’ Quare post exstinctos Potitios sacrorum curam etiam ‘penes solos Pinarios resedisse’ est sup. de Orig. Gent. Rom. cap. 8. *Arntz.*

Potitiorum] Potitii namque ab Euandro edocti, antistites ejus sacri per multas ætates fuerant, quia invitati ad sollenne Herculeum convivium, præsto adfuere. *Mach.*

Pinariorum] Pinarii extis adesis ad cæteram dapem venere, unde non vescebantur extis sollennibus. Virg. ‘Et domus Herculei custos Pinaria sacri.’ *Idem.*

§ 3 *Pretio*] *Pecunia* est in Haun. et Leid. 2. glossatoris culpa, qui hanc vocem exponere voluit. Cicero pro Cæc. cap. 25. ‘Ne pretio quidem corrumpi judex potest:’ et in Verr. III. 68. ‘Apronius ipsum Metellum non pretio posset corrumpere.’ Val. Max. VIII. 1. damn. 1. ‘Non puto, quod pretio corruptus erat.’ l. 8. ff. de Cust. et Exhib. Reor. ‘Carceri præpositus, si pretio corruptus.’ *Arntz.*

§ 4 *Ne consulatus*] Hoc ad Appium Claudium Regillanum decemvirum referendum videtur, nam abhinc annis prope C. illud factum fuisse memoriæ proditum. Vide Gronov. Observ. I. 25. *Idem.*

Acerrime restitit] Quamvis obtinere non potuit. Creber autem est hic historicus in exornatione rhetorica similiter desinenti dicta, quando in eandem terminationem verba desinunt, de qua vide abunde Cic. libro ultimo ad Herennium. *Mach.*

§ 5 *Bello domuit*] Hic iterum breviori stilo Haun. et Leid. 2. *bello* omittunt; fortasse quod præcedens *bellum* librarios offenderet. Sed tales repetitiones in hoc scripto sunt frequentissimæ, uti et ipsa phrasis apud alios. Ovid. Epist. Her. II. 72. ‘Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres.’ Noster sup. c. 5. ‘Latinos bello domuit:’ et c. 6. *Arntz.*

§ 6 *Brundisium*] Urbs Apuliæ habens portum a Lucano in formam cervinam descriptum, inde Messapiorum lingua urbi nomen. *Mach.* Immo ‘Capuam usque lapide stravit’ Diodorus Siculus libro vigesimo, et Frontinus. Mss. tamen cum tertia vocali in secunda syllaba *Brundisium lapide stravit.* Schottus Not. Min. *Brundusium* omnes nostri; sed sibi in certa hujus vocis scriptura non constant veteres. Vide Duker. ad Flor. I. 20. Keuchen. ad Frontin. I. 5. ex. 5. Nic. Heins. ad Sil. Ital. VIII. 576. et Column. ad Enn. p. m. 120. Ceterum *ad Brundusium* volunt Leid. 1. et Gramm. Sed hoc iterum a librariis profectum, qui ignorabant *usque* etiam sine præpositione poni. Cicero Orat. in Verr. IV. 49. ‘Tamen usque Ennam profecti sunt:’ et in Pison. c. 22. ‘A Brundusio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderem.’ Justin. I. 1. § 6. ‘Alter usque Ægyptum excessit.’ II. 5. § 8. ‘Usque tempora Jancyri regis.’ Acidal. ad Curt. IV. 3. fine. Cort. ad Sall. Jug. c. 19. § 7. et Bernecc. ad Justin.

XVII. § 21. Neque quidquam certius est, quam errare hoc loco Nostrum, cum non ab Appio usque Brundusium hæc via munita sit; non enim tam longe tum temporis propagati erant imperii fines, quamvis a quo potissimum hoc factum sit, pro certo dici non possit. Confer Lips. de Magn. Rom. III. 10. et Keuchen. ad Frontin. p. 374. *Arntz.*

Lapide] Quod 'lithostratum' dicitur, ingrediente et Latina dictione. *Mach.* *Lapidibus* quatuor scripti. *Arntz.*

Appia dicta] Viarum omnium maxima fuit. De hac ita Sex. Jul. Frontin. libro primo de Aquæductibus: 'Aqua Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coss. anno XX. (lege ex Fastis Capitolinis an. XXXI. et CDXLI. U. conditæ) post initium Samnitici belli inducta est ab Appio Claudio Crasso censore: cui postea Cæco fuit cognomen, qui et viam Appiam a porta Capena, usque ad urbem Capuam muniendam curavit.' Inde Brundisium usque munita est, ut docet Strabo libro quinto geographiæ: ἐστρωμένης μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντησίου. Libet in Pontii Paullini carmine ad Cytherium numeros etiam in Antverpiensi ed. longe optima corruptos restituere: 'Post hæc et ad nos pergere incœptat viam, Qua sternit aggerem silex, Cui munitor Appius nomen dedit.' Scribe 'Munitor Appius cui nomen dedit.' *Schottus.* Fran. et Boend. *Unde via appia:* sed non opus est ineptas vocum repetitiones admittere, ubi aliud suadent major Mss. pars et veteres edd. Præsertim cum apud alios etiam simpliciter hæc via dicatur Appia. Propert. El. IV. 8. 17. 'Appia, dic, quæso, quantum te teste triumphum Egerit.' Et Liv. XXII. 15. 'Ne inmunito Appiæ limite Pœnus pervenire in agrum Romanum posset.' Vide de hoc Appii facto Almelov. in Fast. Cons. p. 46. et Keuchen. ad Frontin. de Aquæd. p. 374. ubi tamen sui similis Schottum describit. *Arntz.*

§ 8 *Anienem*] *Appiam* libenter legerem ex Frontino de Aquæduct. et veritate; vel *Claudiam*, si libri paterentur, qui *aquam Anienis* constanter scribunt. Vetus enim Anio in Urbem deductus fuit primum anno quadragesimo nono post, quam Appia perducta est, a Curio et Fulvio Flacco duumviris. Censor autem fuit anno CDXLI. Appius Claudius, Crassus in Capitolinis Tabulis dictus, cum C. Plautio, quem Venocem appellatum scribit Frontin. lib. I. ob inquisitas aquæ venas. Aqua vero ab Appio collega in Urbem perducta Claudia nominata est. Incidit in manus meas, cum hæc scripsissem, Aldi Manutii P. F. libellus de Quæsitis per epistolam; percurri obiter, et de aquis in urbem Romam olim influentibus, cæterisque antiquitatis monumentis non pœnitenda legi. Utinam Frontinum, ut pollicetur, nobis det emendatiorem. *Schottus.* Quam inanem gloriolam ex aliorum conjecturis sibi vindicandis famæ suæ sæpe captent homines, videbis in Keuchenio ad Frontin. de Aquæduct. p. 373. Potius putarem, per oscitantiam librarii hanc periodum ex præcedenti capite huc esse translatam, cum ibi eadem verba reperiantur. Qua in sententia confirmat me id, quod plenius Boend. cod. habeat *Aquam Anienem deinde manibus hostium in urbem induxit.* Plane eodem modo, ut superiori loco præferebant codd. *Arntzen.*

Omni] Parisin. et Colon. *omnium.* Schottus. Et ita quatuor scripti cum ed. Veneta. Sed nulla est necessitas cur quidquam mutemus; 'omnis' enim hic idem est quod 'totus.' Cic. pro Sulla c. 5. 'Ut eo tempore omni Neapoli fuerit.' Ovid. Met. I. 261. 'Ex omni nimbos dimittere cœlo.' Pompon. Mela I. 1. 'Hæc ergo ab ortu porrecta ad occasum

ambitur omnis oceano.' Florus III. 3. § 14. 'Per omnem diem conciditur barbarus:' ubi confer Duker. et ita III. 18. § 5. Corn. Nepos Annib. c. 3. § 1. 'Equitatui omni præfuit.' Curtius III. 1. § 23. 'Omnisque hæc regio paruit regi.' Serv. ad Virgil. IV. 122. Ciofan. ad Ovid. Met. IV. 660. et Cort. ad Sallust. Jug. c. 13. § 2. ubi recte addit, vice versa, 'totum' pro omni poni. Apul. VII. 193. 'Totos istos tuos hostes statim captivos habebis:' et paullo post 'Totis ergo prolatis erutisque rebus:' qui ita sæpius. *Arntz.*

§ 9 *Ageretur*] Iidem *tractaretur*, non *ageretur*. Vulgata tamen lectio in his servanda. *Schott.*

Cineam] Per ἰῶτα Græci scribunt. Munera autem non accipiebant continentes Romani. Plutarch. *Schott.* Hanc scripturam præfert quoque Salmas. Lect. Plin. p. 36. a. et Dausq. de Orthogr. tom. II. p. 84. Quatuor tamen hoc loco scripti *Cyneam;* rectius duo reliqui et vetustæ edd. uti exprimi curavimus. Tamen nulla notatur varietas apud Val. Max. IV. 3. ex. 6. *Arntz.*

Pretio quæreretur] Affectabat Cineas, ut rex Pyrrhus componendæ pacis causa in urbem reciperetur, quo dissuadente noluit. *Mach.*

Oratione] Quæ exstat apud Plut. in Pyrrho, meminitque Cicero Philipp. I. et ipse Appius oratione pro Cœlio, 'Pacem,' inquit, 'Pyrrhi diremi.' Versibus vero Ennius apud Cic. expressit, 'Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant Antehac, dementes, sese flexere viai?' sic enim legendum censeo; vulgati enim *dementi sese flexere ruina.* Dicitur autem 'mentes dementes' venuste, ut nuptiæ innuptæ, et Græcis γάμοι ἄγαμοι, &c. 'quo viai' dictum, ut Terentii illud 'huic viciniæ:' et 'eo loco' alii dixere. Cæterum de Appii eloquentia Cicero in Bruto, et Livius lib. X. 'consultum juris et eloquentiæ' vocat. *Schott.*

CAP. XXXV. § 1 *Paterno genere*] Præposterus ordo narrandi quem ipsi immutavimus. Vide Plut. in Pyrrho. Justin. lib. XVII. Achillis filium facit. Sed de his statuere melius liceret, si exstaret Commentarius Timæi Siculi, quem Pyrrhi bellis præcipue dicavit, teste Halicarn. Antiquit. Roman. lib. I. *Schott.* Qui ediderat *paterno genere ab A. materno:* contra omnes omnino Mss. et vetustas edd. quare merito revocavi pristinam lectionem, licet conjuncta sit cum errore auctoris. Non enim id agitur, ut quæramus quid scribere debuerit; sed potius quid scripserit. Satis erit lectorem monuisse. Respicit huc Virgil. Æn. VI. 839. 'Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli:' uti voluit Servius, quamvis alii rectius ad *Persen* retulerint. *Arntz.*

Apollinem] Delphicum. *Mach.*

§ 2 *Ambigue respondit*] Arnob. adv. Gentes IV. 143. 'Numquid Apollinem ditem factum ambiguitate fefellisse responsi:' ubi alia Elmenhorst. Seneca Œdipo vs. 214. 'Ambage nexa Delphico mos est Deo Arcana tegere.' Œd. Fare, sit dubium licet Ambigua soli noscere Œdipo datur.' Tertull. Apol. cap. 22. 'In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus!' Adde illic Haverc. Lucanus V. 225. 'Terreat ambiguis frustratum sortibus, Appi.' *Arntz.*

Aio te Æacida] Cicero de Divin. lib. II. Et inde Arnob. lib. ultimo adv. Gentes Ennii versum esse docet; et falsum, quod nunquam Latine Pythius oracula reddiderit. Vide et Priscian. lib. XVIII. qui ὑπέρβατον appellat, dialectici ἀμφιβολίαν. *Schott.* [Vide Not. Delph.] Confer cum hac nota Merul. ad Enn. VI. 366. *Arntz.*

§ 3 *Hoc dicto*] [Vide Not. Delph.] Quæ habet Anna forte ab hoc loco

alieniora esse censebit is, qui ignoret hæc sublata Merulæ ad Enn. p. 367. qui *hac dictione* restituebat, eaque loca firmandæ sententiæ attulerat. Sed 'dictum' erit retinendum, cum eodem modo de oraculo et prædictionibus dicatur. Ovid. Fast. v. 626. 'Talia fatidici dicta fuere Dei.' Et iv. 664. de responso a Deo in somniis dato, 'Edidit a dextro talia dicta toro.' Et Met. iii. 527. 'Dicta fides sequitur, responsaque vatis aguntur.' *Arntz.*

Tarentinis] Quibus indictum erat bellum, quia spoliaverant mercatores Romanos, atque legatos lotio asperserant. *Mach.* Quidam *Tarentis.* Vulgata hæc scriptura est Mss. concisior; *auxilio Tarentinorum bellum Romanis.* Schott. *Auxilio Tarentinis bellum* Hann. Gramm. Boend. et Fran. *Auxilio Tarentinis venit bellum* uterque Leid. *Arntz.*

Lævinum] Mss. *Lævinium* scribunt; Plutarchus in Pyrrho Ἀλβίνον corrupte haud dubie pro Λαβίνον vocat. Annales enim Consulares Romæ effossi P. Valerium Lævinum et T. Coruncanium consules ejus anni cdlxxiii. faciunt. *Schott.*

Heracleam] Urbs inter Apuliam et Metapontum et Siciliam, ab ipso Hercule dicta, qui Græce Ἡρακλῆς dicitur. *Mach.* *Heream* Mss. Plutarch. Heracleam et Pandosiam ad flumen Sirim in Campania collocat, et Frontin. lib. iv. Oros. vero iv. 1. 'Lyrim' fluvium appellat, qui per *i* scribi debet. Ptolemæus enim, Strabo, et Dionysius Λεῖρις aut Λῖρις semper, nunquam Λῦρις efferunt: poëtæ adhæc producunt. *Schott.*

Elephantorum] Elephantos Plinius 'boves Lucas' viii. 6. appellat, et Varro libro sexto de L. L. quod in Lucania primum visi Romanis: et Ausonius Tetradio: 'Cur me propinquum Santonorum mœnibus Declinas, ut Lucas boves, Olim resumpto præferoces prælio Fugit juventus Romula?' Lactant. de Opificio, capite tertio: 'Potestne igitur aliquis, cum videat etiam boves Lucas cum immanissimis corporibus servire homini, queri de opifice rerum Deo?' ubi de vet. cod. glossema *vaccas* primus sustulit Erasmus. Meminit et Claud. Mamertus de Statu Animæ ii. 18. *Schott.* Duk. ad Flor. i. 18. § 6. et Stewech. ad Veget. de Re Mil. iii. 24. *Arntz.*

Turbavit] Quia Romanos contriverunt equos. *Mach.* Plinius viii. 6. Veget. iii. 24. Alii *fugavit.* Verum modestius *turbavit* dixit, quod terrorem injicere et perterrefacere significat. L. Ann. Seneca lib. i. de hac Tarentina pugna: 'Tam atrox fuit, ut Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius invectus in regem turbaverit, coëgeritque projectis insignibus prælio excedere.' *Schott.* Talia in bellis maximi sæpe solent esse momenti. Curtius viii. 14. § 23. 'Magnum belluæ injecere terrorem, insolitusque stridor non equos modo, sed viros quoque ordinesque turbaverat.' Veget. de Re Mil. iii. 24. 'Elephanti in præliis formæ ipsius novitate homines equosque conturbant:' et Frontin. Strateg. ii. 4. ex. 12. 'Camelorum gregem opposuit, quorum novitate et horrore consternati equi.' *Arntz.*

§ 4 *Talibus viris*] Veteres libri signanter *militibus:* et *subire* non *subigere.* Plutarchus secunda pugna ad Asculum dixisse hoc refert. *Schottus.* Præstat quod ait signanter exstare in veteribus libris Schott. *talibus militibus;* invenique item in membranis Palatinis: haud tamen ita inepta scriptura prior: imo ne quid dissimulem, præposuerim fere secundæ. *Grut.* *Militibus* recepimus ex ed. Ven. et Mss. omnibus: *viris* expresserant reliquæ edd., quæ vox eleganter sæpe pro militibus ponitur. Silius x. 7. 'Ac sine vulnere terga Ad manes deferte, viri.' Sallust. Jug.

c. 87. § 1. 'Castella et oppida natura et viris parum munita:' et c. 88. § 4. Ovid. Epist. Her. XVI. 329. 'Troïa classis adest, armis instructa virisque.' Sic et ἄνδρες apud Græcos. Herodian. VI. 3. § 5. Homerum Il. Γ. vs. 241. et apud eum centies. Potius tamen cum Mss. sentio. Machan. pejus ediderat *vulneribus*. Pro *subigere* antiqua scriptura *subicere* pro *subjicere* est in Leid. 1. confer Drakenb. ad Sil. XIII. 298. et Comment. ad Lucan. VII. 574. Sed receptam tuentur illa Cortii ad Sallust. Catil. c. 2. § 2. et c. 10. § 1. *Arntz.*

§ 5 *Quid mihi cum tali*] Orosius respondisse ait, 'Næ ego, si iterum eodem modo vicero, sine ullo milite revertar.' Mox *gratus reddidit* pro 'gratis.' *Schott.* Elegantiam corrupit Leid. 2. *quia mihi* scribens; quasi non solennis illa esset formula: Ovid. Epist. Her. XIV. 65. 'Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellæ?' Plinius Epist. I. 5. 'Quid tibi cum meis mortuis?' *Arntz.*

Exercitus robur] Nam optimos certe ex amicis, et ex ducibus, et quibus maxime fidebat, amisit. *Mach.*

§ 6 *Ad vicesimum*] Eutrop. lib. II. ac Plutarchus Preneste milliari ab Urbe octavo decimo venisse scribit. Florus a nobis stat. *Schott.*

Gratis dedit] Cognita magnanimitate illius, quando pecuniam a rege capere noluit; hoc tamen pacto dati sunt, ut si pax non fieret, postquam cum parentibus et domesticis Saturnalia peregissent, ad eum reverterentur. *Mach.*

§ 7 *Eandem sibi ait*] Cineæ oratori ad Pyrrhum tribuit dictum hoc Plutarch. in Pyrrho. *Schott.*

Hydra] Eadem et 'excedra' est, quæ secundum fabulas, diversa gerebat capita; historice aqua fuit: cum Hercules occlusisset rivum, enascebantur alii, nam ὕδωρ, ατος, aquam significat: ita Pyrrhus finito uno prælio Romano alia experiri cogebatur. *Mach.*

§ 8 *A Curio et Fabricio*] L. Annæus hos quoque male conjunxit: constat tamen ex magistratuum triumphorumque Romanorum Tabulis in foro Romæ erutis, collegas minime fuisse. C. enim Fabricius Luscinus cum Q. Aimilio Papo annis duobus post Lævinum manum cum Pyrrho conseruit, victorque rediit A. U. C. CDLXXV. M'. Curius Dentatus III. cum L. Cornelio Lentulo consul anno post quinto, (secundum Oros. IV. 2. sexto, ut Plutarchus: quarto, ut L. Florus est auctor) de Pyrrho triumphavit a. CDLXXVIII. Cum vero Tarentum pulsus est, P. Sulpicius et P. Decius Coss. fuere anno CDLXXIV. *Schottus.* Vide Duker. ad Flor. I. 18. § 9. *Arntzen.*

Tarentum] Urbs est Apuliæ a Tara Neptuni filio dicta. *Mach.*

§ 9 *Mox in Italiam*] Credidi aliquando legendum *Mox in Italiæ*; quod sint et in Sicilia et alibi Locrenses, teste Strabone lib. IX. et Servio in Æneid. libb. II. et III. *Schott.*

Proserpinæ] De Proserpina Locrensi Lactant. II. 8. *Schott.*

Avehere tentavit] Val. Max. de neglecta religione: 'cum onustus nefaria præda navigaret, vi subitæ tempestatis tota cum classe vicinis Deæ littoribus elisus est, in quibus pecunia incolumis reperta, sanctissimi thesauri custodiæ restituta est.' *Mach.* Leid. 2. *auferre*: Fran. *habere*: Boend. *ducere*: omnes perperam. Cæsar Bell. Gall. VII. 55. § 8. 'Frumenti quod subito potuerunt, navibus avexerunt.' Livius XLV. 33. 'Non in usum modo præsentem, sed etiam quod domos aveherent.' Virgil. Æn. II. 43. 'Creditis avectos hostes.' Et vs. 179. 'Quod pelago et curvis secum avexere quadrigis:' ubi male alii *advexere*. Lucan. VI. 362. 'Nec fortior undis Labitur avectæ pater Isidis:' ibi eodem modo peccatur in Mss. v. Drakenb. ad Sil. IV. 318.

Sen. Medea vs. 975. 'Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.' Vitio librariorum uterque Trajectinus *advehas*. Justin. xx. 2. § 14. 'Haud secus læti, quam si Deos ipsos secum avecturi essent, pulvinaria iis in navi componunt:' ita recte hunc etiam locum constituerunt viri docti, vulgo circumferebatur *advecturi*. Conferantur quæ notavimus supra ad c. 19. § 2. *Arntz*.

Relata est] Eximie. Vulgati *elata est*. Schott. Hac in historia Livius xxix. 18. 'Pecuniam omnem conquisitam in thesauros Proserpinæ referri jussit.' *Arntz*.

§ 10 *Argos*] Vitiose quidam repetita eadem litera *m*. *Marsos*. Recte *Argos*. Polyænus enim Strateg. lib. viii. virtutes mulierum laudans Argivam Pyrrhum interfecisse ait. *Schottus*. Corrupte *agros* transpositis litteris Fran. et uterque Leid. hic autem et versu præcedenti pro *regressus* in Haun. est *reversus*. Ex scriptis vero et veteribus edd. recepimus *oppugnaret*, pro quo Schottus in prima ed. *oppugnat* receperat; quem secuti ceteri editores, nescio quo jure, neque enim quidquam de mutationis ratione monuerat vir eruditissimus. Ideo fortasse id fecit, quod sciebat *dum* in significatione temporis præsentis requirere indicativum, ut diximus sup. c. 8. § 4. Nos leviori mutatione scripsimus *cum Argos oppugnaret:* Serv. ad Virgil. Æn. vi. 840. 'Nam cum Argos obsideret ictu tegulæ periit.' Habet passim multa Servius, quæ a Nostro, vel saltem ex eodem auctore, desumta sunt. Interpres tamen Ovidii ad Ibid. vs. 303. 'Pyrrhus rex Epirotarum, dum Argos oppugnaret, tegula percussus interiit.' *Arntz*.

Tegula] Hasta percussus per thoracem, cum in percussorem telum adegisset, mater forte desuper cum cæteris feminis pugnam spectabat; quæ, cognito filii periculo, et ob id formidans ambabus manibus sublatam tegulam in caput Pyrrhi dimisit. Plura a Plutarcho in vita ejus excerpe. *Mach*. Justin. 'saxo' interfectum narrat: Plutarchus 'tegula' de muro jacta, ut Noster, quam *κεραμίδα* nominat et Strabo lib. viii. *Schott*.

§ 11 *Delatum*] Mss. *relatum*, non *delatum*. Schott. Et sic ed. Ven. et omnes scripti excepto Fran. qui simpliciter *latum*. Pejus etiam idem cod. vocem *magnifice* extrudit, quod non erat committendum, cum adhibeatur sæpe de exsequiis splendidioribus et illustriori funeris pompa. Noster sup. cap. 27. § 5. 'Corpus a collega laudatum magnifice sepultum est:' et infra c. 44. 'magnifice sepultus, ossa Romam remissa.' Cæsar Bell. Gall. vi. 19. § 4. 'Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumtuosa:' Livius xli. 16. 'Funere magnifico elatus sepultusque est.' Cicero de Legib. ii. 26. 'Eam funerum sepulcrorumque magnificentiam.' Sallust. Jug. c. 11. § 2. 'Micipsa paucis diebus moritur. Postquam illi more regio justa magnifice fecerant.' Curtius iv. 8. § 9. 'Repertumque corpus magnifico extulit funere.' Lactant. Div. Inst. v. 3. 'Cur sibi homines sepulcra magnifica comparant:' et Sulpitius Severus i. 12. § 7. 'Funus magnifice curatum, corpus in sepulcro majorum Joseph condidit.' Ceterum Justinus xxv. 5. § 2. scribit 'Antigonum filio insepulti patris ossa in patriam referenda tradidisse.' Sed nil pugnat cum Nostro, si apud Justin. *insepultum* interpretamur, 'nondum terra conditum,' 'nondum humatum;' et hoc loco per *sepultum* intelligamus, 'crematum,' 'rogo inustum.' 'Sepelire' enim, quod notum est, significat omnem illum modum, quo cadaver post mortem tractatur. Vide Meursium ad Lycoph. Cass. vs. 154. Sic Hebræam vocem קבר *sepulcrum* per 'crucem' expone Jesaiæ

LIII. vs. 9. Etenim generis humani Servator cum homicidis cruci est affixus. Atque ita 'crucem' *sepulcrum* appellat Plautus Mil. Glor. II. 4. 19. 'Scio crucem mihi futuram sepulcrum.' Septuaginta per ταφὴν vertunt. Quia autem Romanis usitata fere erat crematio, hinc pro cremare frequenter occurrit, cujus rei multa exempla attulit Cuperus Obs. I. 7. Quibus addi potest Livius XXVII. 28. 'Ibi inventum Marcelli corpus sepelit:' et c. 42. 'Suorum corpora collata in unum sepeliri jussit.' Senec. Thyeste vs. 1028. 'Sepelire liceat, redde quod cernas statim Uri.' Quinctil. Decl. VI. 1. 'Etiam si nemo interpellasset, sero sepelirem:' id quod exponit cap. seq. 'Mater ignem ultimum filio negat.' Idem Decl. XII. 14. 'Circumdati sunt quidam flammis, ipsa tamen pœna habuit sepulturam.' Adde ibidem c. 12. et c. 13. Lucan. VI. 526. 'Et accenso rapuit quæ tura sepulcro.' Flor. III. 21. § 21. et 26. et multis locis Justin. Tacit. Ann. II. 73. 'Corpus antequam cremaretur nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur.' Atque hinc 'tumulum' et 'sepulcrum' distinguit Quinctilian. Declam. II. 13. 'Cum maxime inferimus in tumulos *ossa* insepulta;' id est, non cremata. *Arntz.*

§ 12 *Pyrrhus*] Caput hoc integrum a Mss. est, in quis eadem litera scriptum inveni. In tertio ad oram erat adjectum tanquam prætermissum. Certe mihi non fit verisimile præteritum ab auctore tantum virum, præsertim cum proxime illius meminisset, et suo more vitas subjicere soleat. Non ignorabam in Eutropio eadem fere legi, verum hic ne a Nostro mutuatus sit, an contra, quis ausit pronuntiare? Paullus enim Diaconus, ut Festum Pompeium transcribendo corruperat, ita et Eutropium augendo contaminarat, ut quæ Eutropii essent dijudicare vix posses: immo Eutropium amplius appellandum esse negares. Notabimus quædam. *Schottus.* Hæc a librario postea ex Eutropio II. 14. inserta esse, et falso Aurelio adscripta, colligi posset ex hisce verbis: 'Qui prius inter legatos sollicitari non poterat, quarta regni parte promissa.' Narrarat hoc antea Eutrop. cap. 2. sed apud Nostrum nihil tale exstat; nec de ullis muneribus Fabricio oblatis mentio fit, ut facile conficiatur hæc non esse ab Aurelio profecta. Certe in omnibus Nostris desideratur, et sic oportebat. *Arntz.*

Secundo prælio] A. U. C. CDLXXIV. ducibus P. Sulpitio Saverrione, P. Decio Phyrrhico Coss. quorum hic in pugna cecidit, teste Cicer. de Finibus lib. II. Rex vero ex altera parte vulneratus est: de XL. millibus dimidia pars exercitus amissa: apud Romanos quinque millia desiderata, Frontin. lib. II. et Eutrop. *Schottus.*

Solicitari non potuit] Vide Val. Max. IV. 3. Agell. I. 14. Justin. XVIII. et Frontin. IV. 3. *Schott.* Lucan. III. 160. 'Quo te Fabricius regi non vendidit auro.' Claudian. Bell. Get. vs. 131. 'Et nulli pervia culpæ Pectora Fabricii donis invicta vel armis.' Et de Cons. Honorii IV. 414. 'Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.' *Arntz.*

§ 14 *Vinctum reduci*] Val. Antias 'Timocharem' regis amicum venisse dicit: Quadrigarius 'Niciam' familiarem non medicum; quem Niciam corrupte opinor appellat Ælianus 'Cineam' lib. XII. Ποικιλ. Ἱστορ. Vide Agell. III. 8. Plutarch. in Pyrrho et Apophthegmatibus: Valerium l. VI. Cicer. Offic. lib. I. Justin. lib. XXIII. Senec. Ep. 120. et Ammian. lib. XXX. *Schott.* Adi Perizon. ad Ælian. Var. Hist. XII. 33. Barth. ad Claudian. Bell. Gild. vs. 272. et Frontin. Strat. IV. 4. ex. 2. *Arntz.*

CAP. XXXVI. § 1 *Volsinii*] Variant

in scribendo libri omnes. Ex impressis quidam *Volsini*. Mss. *Vulsinia*, ut hoc opidi, Vulsinii populi nomen sit, unde Ann. Flor., 'Volsinii opulentissimi Etruriæ populi.' *Vulsinii* autem tetrasyllabum in Marmoribus Romanis; inde Vulsinienses. Strab. et Ptol. Οὐολσίνιον oppidum appellant quinque syllabis. Nec defuere, qui *Volscinios* nominarent, quasi a 'Volscis' oriundos. *Schott.* (Vide Lectt. Var.) In tanta varietate secutus sum Schottum et Grævii judicium ad Flor. I. 21. ut Haverc. ad Tertullian. Apol. cap. 40. p. 346. *Arntz.*

Luxuria] Omnium rerum superfluitas dicitur. Quod ille indicavit signate: 'Luxuriam fugito simul et vitare memento.' *Mach.* Sil. Ital. lib. XV. vs. 92. 'Idem adspice, late Florentes quondam luxus quas verterit urbes.' Just. XX. 4. § 6. 'Vitia luxuriæ, casusque civitatium ea peste perditarum enumerabat:' et Kuhnius ad Ælian. Var. Hist. I. 19. *Arntz.*

Perierunt] Orosius IV. 5. 'Vulsinienses Etruscorum florentissimi luxuria pene perierunt:' ibi in Ms. est *luxuriæ pœna*. Arntz.

Manumitterent] I. e. 'liberarent,' quasi extra manum (i. e. potestatem) emitterent. *Mach.*

Dum in curiam] Mox *consensu eorum* ex Mss. scripsimus; addidimusque *superavit*, unde *aut* factum erat. Sic enim habent Mss. *decius lib. o. superavit, necavit in carcere, aut dom.* Schott. Retinere malo cum Schotto *dein*, quamvis ut ingenue fatear, omnes vel scripti vel editi *dum in cur.* Eam vero quam proponit lectionem amplecti non possum; *dum* enim hoc in loco indicativum requireret, ut diximus sup. c. 8. § 4. Præterea pro *eorum* retinuimus nos *servorum*, volentibus omnibus scriptis et editis, quibus sine necessitate non libenter me oppono. Et fortasse, si quis *servorum* retinere mallet, cum Leid. 1. superius *servos* non male deleretur. *Arntz.*

§ 2 *Indigna*] Optime hanc vocem suo hic loco adhibet, summa enim indignitas censeri debet, si servi se nostri nobis præponere audeant. Livius XXI. 41. 'Sed cum indignatione quadam atque ira, velut si servos videatis vestros arma repente contra vos ferentes.' Sen. de Benef. III. 28. 'Ut beneficia a servis indignemur accipere.' Justin. III. 5. § 3. 'Quod adversus servos dimicandum videbatur. Itaque cum hinc injuria, inde indignitas animos acueret:' et XVIII. 3. § 6. 'A servis suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt:' et Oros. II. 12. 'Indignam de servis victoriam desuper etiam sua morte fœdaverit.' Male Leid. 1. *indigne:* postea *Romæ* expressimus ex Mss. et editione Veneta et Mach. *Arntz.*

Decius Murena] A vivariis murenarum piscium primus in ea familia cognomen meruit. Martial. 'Quæ natat in Siculo grandis murena profundo.' *Mach.* Mediolan. *Decius Mus* impresserat, nam vulgati male *Murena*, vel *Muræna*, ut Gryphius. In uno scripto *Mus* abfuit, in altero *Decimus* erat, et ἐπιγραφὴ talis. At annales Capitolini hoc anno CLXXXVIII. cons. hoc nomine negant fuisse. L. Annæus I. 21. et de Græcis Zonaras, Q. Fabium Maximum Gurgitem tertium consulem L. Mamilii Vituli collegam ei bello præficiunt, in quo vulnere accepto periit. Insequenti vero anno finem ei imposuit, et triumphavit de Volsiniensibus M. Fulvius Flaccus. Labor itaque, ut in occisi Fabii locum missum, aut utriusque consulis legatum in eo bello multa præclare gessisse cum Vineto credam. Zonaras enim consulem alterum mortuo Fabio supplicium de servis sumpsisse et opidum evertisse ait, quem 'Decium' fuisse liceat divinare. Cicero

tamen Tuscul. lib. III. 'P. Decium Murem' exemplo patris avito se bello Tarentino devovisse. Vide aliam belli istius caussam apud Plinium XXXIV. 7. Notandum et illud Tiberium Coruncanum quindecim ante annos de iisdem populis triumphasse testibus Capitolinis triumphis. *Schott.* Vulgati *L. Decius Murena:* itemque Valerius, Tacitus, Frontinus; alii *Decimus*, ut notat Schottus. Sigonius M. Fulvio Flacco hæc adscribit 110. 22. *Sylb.* Cicero Tusc. Quæst. I. 37. tradit tertium 'Decium' Pyrrhi bello se hostium telis objecisse. Quare cum hæc uno fere eodemque tempore acciderint, crederem auctorem confudisse has historias, et Decio tribuisse, quod uni e Coss. illius anni tribuendum esset. Vide Pigh. Ann. tom. I. 461. Quare non inmerito Nostri fidem suspectam habet Th. Dempsterus in Etruria Regali IV. 16. *Murena* tamen retinent quatuor scripti et editi, delet vero Gramm. et Veneta. Solus Fran. *Decius Mus.* Sed et alibi hæc ita confundi docuit Duker. ad Flor. I. 14. § 1. *Arntz.*

Omnes] Quinque codd. et omnes editi *omnes aut in carcere.* Ediderat in min. ed. Schottus et ejus asseclæ *Omneis superavit, in carcere &c.* Nec tamen mutationis addit caussam, neque ego eam video. Restituit aut ideo in servitutem, quia antiquis moribus liberti ingrati iterum servi fierent, quoniam liberi esse nescissent. l. 4. cod. de Libert. et eor. lib. Savaro ad Sidonium Apoll. Epist. IX. 10. Comment. ad Val. Max. VI. 2. ex. 2. et Samuelem Petitum in Amplissimo Commentario ad Leg. Att. p. 181. *Arntz.*

CAP. XXXVII. § 1 *Victis*] *Vulsinensibus* vel *Vulscinensibus* Mss. non inusitata varietate. Vide Havercamp. ad Tertull. Apolog. c. 24. p. 240. Posset fieri ut hæ duæ voces *Victis Volsiniensibus* culpa librariorum irrepserint, et hoc voluisse videtur etiam Lipsius ad Senec. de Brev. Vit. c. 13. cum ita hæc verba proferat: *App. Claudius Caudex Cæci frater fuit.* Video etiam jam, hæc non apparere in ed. Mach. si ex Mss. laudo, sed monitum oportuerat. Sed vix hoc verosimile ex nota sequenti. *Arntz.*

Volsiniensibus] Debet legi *Carthaginiensibus;* testimonio Senecæ in epistolis scribentis eum primo Punico bello victis Carthaginiensibus classe id meruisse cognomen; quod et Lucius Florus in Livii Epitomis iis verbis innuit: 'Origo Carthaginiensium, et primordia urbis referuntur: contra quos, et Hieronem regem Syracusanorum auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus. Tum primum mare equitibus Romanis transgressis adversus Hieronem sæpius bene pugnatum.' *Mach.* *Volsinienses* retineo ex Zonara. *Volsinenses* a 'Volsinis' quidam scripserunt. *Schott.*

Caudex] Vel *Codex* utrumque, ut 'plaustrum plostrum.' Est autem id dictum lignum crassioris materiæ: inde 'caudicariæ naves' dictæ. Sallust. 'Quædam ibi naves codicariæ per hyemem fabricatæ occulte aderant.' *Mach.* Mss. librorum ea scriptura est, et *Caudicis* format. Colin. et vulgati *Caudax Caudacis*, non recte: liber antiq. *Caudex dictus.* Unde autem *Caudex* dictus, vide Senec. Philosophum de Brevitate Vitæ c. 13. Et 'codicariæ,' vel 'caudicariæ naves' apud Nonium e Varrone et Sallustio. *Schottus.* Comm. ad Flor. II. 2. § 5. Omnes tamen scripti et pleræque edd. vitiose *audax.* Arntz.

Frater Cæci] Alii *frater dicti Cæci*, quod ante ejus meminisset. *Schottus.*

§ 2 *Mamertinos*] Polybius: Claudius consul traducere copias in Siciliam et Mamertinis opem ferre jussus profectionem parabat: Mamerti-

ni autem de populi Romani decreto certiores facti, Carthaginiensem præfectum, qui in arce positus erat, circumsistunt, una cum præsidio dejiciunt, post liberius consulem Romanum per literas vocant Mamertini. De quorum vino Martialem in distichis lege: 'Amphora Nesterea Mamertinaque senecta.' *Mach.* Et Sext. Pompeium de Verborum Significat. lib. XI. ex Alsio lib. I. belli Carthaginiensis. *Schott.*

Carthaginienses] *Carthaginenses* quinque scripti et Veneta; solus Haun. et ceteræ edd. *Carthaginienses*, quæ vera est scriptura. Hæc varietas solet esse in omnibus exemplaribus, sed nobiscum sentiunt Gronov. ad Liv. XXVIII. 26. Bosius ad Corn. Nepot. Hamilc. c. 1. et Cort. ad Sall. Catil. c. 51. § 6. Atque ita variari monetur etiam ad Val. Max. I. 7. ex. ext. 8. et ad Curt. IV. 2. § 10. Leid. autem 2. *Karthaginenses* per *K* scribebat, quomodo Drakenb. ad Sil. I. 3. et Oudend. ad Lucan. II. 92. sed libentius sequor receptam scripturam, quæ in antiquissimis monumentis occurrit, quamque amplectitur etiam Cort. ad Sallust. Catil. c. 10. § 1. Vide Schott. ad cap. seq. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Navi*] Lembo. *Mach.*

§ 4 *Rhegium*] Urbs est Siciliæ dicta a ῥηγνύναι· i. e. *frangere*, auctore Strabone; nam quondam Italia conjuncta existente Siciliæ inde convulsa fuit, ac remansit hæc urbs in Sicilia. Virgil. 'Hæc loca vi quondam, et vasta convulsa ruina, (Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas) Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus Una foret, venit medio vi pontus, et undis Hesperium Siculo latus abscidit; arvaque, et urbes Littore diductas angusto interluit æstu:' et reliqua. *Mach.*

Quinqueremem] A quinto ordine sedilium, in quibus remi ducebantur, ut 'biremes.' *Mach.* *Copiis pratestibus* corrupte Leid. 2. 'Copiæ pedestres' hic navalibus et maritimis opponuntur. Frontin. Strat. IV. 7. ex. 45. 'Eodem die et navali et pedestri prælio victi sunt:' et Frontin. II. 5. ex. 42. Nepos Ages. c. 2. § 1. et Conon. c. 1. Cæsar Bell. Gall. III. 11. § 5. Suet. Claud. cap. 17. § 3. Pomp. Mela II. 2. Just. II. 13. § 11. Claudian. in Ruf. II. 122. 'Cum classibus iret Per scopulos, tectumque pedes contemneret æquor.' Huberus Diss. l. I. diss. 5. c. 3. et in Sylloge Epist. Burmanni tom. III. Epist. Gronov. ad Heins. 122. 123. et 124. Davies ad Hirtii Bell. Alex. c. 26. § 2. et c. 33. § 6. *Arntz.*

Ea legionem] *Phalangem* vulgata ea lectio; scripta et Mediolanensis *legionem*. Corrupte vero nonnulli *legationem*. Forte supra adscriptum erat *phalangem*, quæ quoniam vox rarior, utpote Macedonica, teste Q. Curtio, in contextum potius recepta. Hoc autem differunt, quod phalanx octo hominum millia contineret: legio non amplius quam sex millibus constaret, florente maxime republica a Mario primum conscripta. *Schott.*

Messana] A quibus *Messalæ*. Martial. 'Hunc Numidæ faciunt, illum Messana superbum.' *Mach.* Confer Lips. ad Senec. de Brev. Vitæ cap. 13. *Arntz.*

§ 5 *Hieronem prælio*] Polybius: nec Hieron quidem detrectavit certamen, sed obviam consuli egressus acie structa dimicavit: pugnatum est aliquamdiu æquo Marte, tandem vero prælii exitus fuit, ut Romani victores, magna parte hostium cæsa, regem nudatum pæne omnibus copiis usque in castra prosequerentur. *Mach.* Sic Mss. ad unum omnes; vulgati *Hierona regem*. Jam enim obliti erant prioribus aliquot versibus 'regem' appellatum. Lege Polybium belli Punici scriptorem prudentissimum, qui ab his diversa nonnihil narrat. *Schott.*

Syracusa] Metropolis Siciliæ, urbs quidem amœnissima exstitit. *Mach.*

Fidelissimus fuit] Hæc confirmat Florus et Polybius Hieronis exitu: ita tandem vero pax Hieroni iis ferme conditionibus data est, et post eam pacem Hiero in populi Romani tutela usque ad finem permansit, felix omnium Græcorum, fortunatusque regnavit. *Mach.*

CAP. XXXVIII. § 1 *Duillus*] Lucius Florus libro decimo septimo ita infit: 'Duellius consul adversus classem Pœnorum prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob quam causam ei perpetuus honor habitus est, ut revertenti a cœna tibicines canerent, et funale præferretur.' *Machan.* De nomine rursum disserendum, tametsi quidam stolide hæc rideant, aut supervacanea jactent, homines nescio quibus occupati. Video itaque cum Lernæo angui rem esse, ut Herculi, quod resecto uno alterum mendum repullulet. *Cn. Duellium* qui vocant, contra librorum, Lapidum, Fastorumque Romanorum fidem faciunt. *Duillio* scribunt codd. Antverpiæ olim excusi, propius veritatem. Parisinus, nescio quamobrem, *Duillo* tribus syllabis, idque perpetuo, ut non operarum injuria accidisse putem. Scribe *C. Duilius* simplici lambda, sequens Capitolinos illos Fastos Romæ magno antiquitatis historiarumque bono repertos: et Pet. Ciaconium Toletanum, notis ad Rostratam *C. Duilii* columnam quæ in Capitolio hodieque spectatur, et ab illo instaurata est. *Schott.* Scripturam Columnæ Rostratæ nobiscum etiam amplectuntur Sigon. ad Liv. II. 58. et VIII. 16. Pighius Ann. tom. II. p. 21. Ursin. ad Cicer. pro Plancio c. 25. Drakenb. ad Silium VI. 665. Adde Coler. ad Valer. Max. III. 6. ex. 4. Duker. ad Flor. II. 2. § 7. et Hearne ad Eutrop. I. 25. In quinque etiam Mss. et edd. est *Cneus*, contra rei veritatem, cum melius 'Caii' prænomen ei tribuant alii, et ita est in Columna Rostrata. Eundem errorem ex Frontino I. 5. ex. 6. sustulit politissimus Scriverius: eodem modo in antiquioribus Livii edd. Epist. XVII. quod tamen recte inmutarunt posteriores. Quare accedo Manutio ad Cicer. pro Planc. c. 25. pro *P.* restituenti *C. Duilio.* Adde Oros. IV. 7. *Arntz.*

Carthaginienses] Ex Fastis Capitolinis sex syllabis a dandi casu, ut et Priscianus lib. IV. monet, et Ennii auctoritate confirmatur. Servius autem in Æneid. l. I. Virgilii a 'Charta' derivat: quomodo *Chartago* scribendum. Non sequor. Solinus enim Polyhist. c. 30. 'Carthada,' inquit, 'Phœnicum lingua sonat novam civitatem: mox verso sermone Carthago appellata urbs, et Dido Elissa.' *Schott.*

Classem validam] Sic autem locum emendandum amicus quidam meus ope librorum veterum putabat: correctio enim illa, quæ in vulgatis legitur, in scriptis abest: *classem* (*magis*) *validam* (*quam decoram*). 'Quis enim,' inquit, 'in re bellica, classe, aut pugna pulcritudinem requirat? nisi forte armis fulgidis exercitum, navibus, aplustris, cæterisque rebus ornatis potius quam confirmatis victoriam metiatur; ut Antiochus ille, cui Annibal illa Romanis, etsi avarissimi sint, satisfactura lepide respondit.' Agell. etiam Noct. Attic. lib. V. Mihi tamen correctio illa non inanis videtur, quod classis Romana rudis erat ac impolita, et firmitate trabium gravis et tarda: argumento est celeritas comparatæ classis, cum intra sexagesimum diem, quam arbores cæsæ erant, CLX. navium classis in ancoris stetit. Ann. Seneca Rom. Hist. lib. II. Naves autem erant rostratæ, quas liburnas vocant. Eutrop. Vegetius tamen IV. 33. post Augusti ad Actium victoriam, primum a Roma-

nis usurpatas liburnicas ait. *Schott.* Nescio quomodo mihi arrideat correctio eorum librorum qui exhibent *classem magis validam quam decoram:* ita sane omnibus litteris codex bibliothecæ Palatinæ uterque. Etsi enim non admodum desideretur in re bellica ornatus pulcritudo; eam tamen minime dedecet. Plane armorum elegantiam militibus suis mire laudabat Philopœmen; uti videre licet apud Polyb. Histor. lib. XI. capitulo septimo; apud Plutarch. in vita ejusdem. Verum de hac aptitudine sumptuosiore, et cultu concinniore, non pauca disserimus ad illud Taciti in vita Agricolæ c. 32. 'Ne terreat vanus adspectus, et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat.' *Gruter.* Lectionem, quam dedimus, exhibent omnes Mss. et veteres etiam expressi. Neque rationem video, cur ea displicere queat viris eruditis. Quis enim negabit decore factas naves, majori facilitate agitari, et hostes ludificare posse? ut patet ex Frontin. Strateg. II. 3. ex. 24. Vide Stewech. ad Veget. de Re Mil. I. 5. *Arntzenius.*

Fabrefecit] Mediolan. *fabricavit.* Schott. Quod in Mediolan. se invenisse testatur, nostri quoque tantum non omnes comprobant, eamque vocem reduxerat jam olim Machaneus, quos secuti sumus. Supra Orig. Gent. Rom. c. 9. § 1. 'Ibique navibus fabricatis oraculi admonitu Italiam petit.' Livius XXI. 26. 'Simul perlicit donis ad naves undique contrahendas fabricandasque.' XXVIII. 45. 'Quæ ab sociis darentur ad novas fabricandas naves:' et paullo post 'Rusellani abietem in fabricandas naves.' Vell. II. 79. § 2. 'In Averno ac Lucrino lacu speciosissima classe fabricata.' Sueton. in Aug. c. 16. § 1. 'Donec navibus ex integro fabricatis.' Justin. II. 12. § 12. 'Namque Athenienses post pugnam Marathoniam ducentas naves fabricaverant.' Lactant. Div. Inst. VII. 4. 'Qui navem fabricat, non ideo insumit operam.' *Arntz.*

Quas] Quæ parenthesi inclusi, in quibusdam libris absunt. *Schott.* Ut in omnibus nostris et ed. Veneta, et hoc rectius esse judicabat etiam Scheffer. de Milit. Nav. l. II. c. 7. et Keuchen. ad Frontin. II. 3. ex. 24. Nam 'corvos' et 'ferreas manus' distinguunt scriptores, ut hoc loco male pro iisdem habeantur. Curtius IV. 3. § 24. 'Validis asseribus, corvos et ferreas manus alligaverunt:' et § 26. 'Corvi vero et ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.' Add. IV. 2. § 12. Fortasse huc pertinet Hieronymus Epist. III. 3. init. 'Remos trahunt, ferreas manus et uncos præparant, dispositumque per tabulata militem stare firmiter consuescunt.' *Arntz.*

Corvos] Polybius. Huic igitur parti metuentes Romani, quo ludificandi facultatem præripiant hosti, corvos, quos possent revocare, singulis aptant navibus. Ea fuit machina in hunc modum structa: ligneum robur in prora destinabatur, longitudine quatuor ulnarum, latitudine vero trium palmorum. Super id robur tabulæ inhærentes scalas conficiebant, quarum erat latitudo pedum quatuor, longitudo ulnarum sex: hæ rursus ab utroque latere genua adusque munitæ erant, in harum vero extremo ferrum erat in mallei formam acutum, annulusque insuper fune illigatus imminentem machinam sustentabat: ut ergo adhærebat hostium navis, laxato fune scalæ dimittebantur, ferrum pondere ac vi roboris super hostilem navem delapsum figebatur. Adagium vetus, 'hic corvus est,' i. e. impudicus: nam vulgus corvos ore coire putat. Mart. 'Corve salutator, quare fellator haberis?' Et, nec minus, trahi posset hoc proverbium pro rapaci homine, secundum illud Græcum, βωμολόχος τε κόλαξ· *corvus aris*

(de quo superius in Romulo diximus) *insidians*. Profecto illud, nullum animal corvo obliviosius, verum habetur. *Mack*.

Manus ferreas] Vide Frontin. Strategem. II. 3. et Polyb. lib. I. Variis enim nominibus a veteribus appellantur ferramenta, quæ in proximam navem retinendi caussa injiciuntur. 'Manus ferreas' quoque appellat Cæsar de Bello Civili lib. II. Livius libb. XXVI. et XXXVII. ab U. C. Plinius VII. 56. et Q. Curtius lib. IV. Livius lib. XXX. sic: 'Postremo asseres ferreo unco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis navibus injici in Romanas cœpti.' Vide J. Brodæum Miscell. lib. II. cap. 30. et Gyraldum ac Baysium in Navigiis. *Schott*. Confundit vir erud. *manus ferreas* et *harpagones*, quod fecerat et Livius et Curtius, ut monuerunt recte Schefferus de Mil. Nav. II. 7. et Stewech. ad Veget. de Re Mil. V. 14. Hisce autem si navem comprehenderant super tabulata quasi terrestri prælio decertabant. Livius XXVI. 39. 'Quam quis indeptus navem erat, ferrea injecta manu, ita conserebant ex propinquo pugnam.' Cellar. ad Curt. IV. 2. § 12. Cæsar Bell. Gall. I. 58. § 4. *Arntz*.

Naves] *Triginta* accessit ex Mss. tribus, ut illud *XIII. mersit;* quod et Eutropius confirmat, et Orosius libro quarto, capite septimo: nisi quod unam et triginta naves numeret. In quibusdam Mss. *XIV*. est. Polybius lib. I. Pœnos in hoc prælio L. naves amisisse tradit. *Schott*. Quæ hic ex suis adjecit Schottus, non reperiuntur vel in scriptis nostris vel edd. Et ego abesse debere existimo, præsertim cum hic numerus cum Polybio et aliis non conveniat. Quare antiquavimus. Expresserat ille, et cum eo Variorum collectores, *naveis XXX. apprehendit, XIII. mersit, qui*. Vide quæ notantur ad Eutrop. II. 20. *Arntzenius*.

Qui victi et capti sunt] Addit Eutrop.: 'VII. millia hostium cepit, tria occidit;' quomodo illud, *qui victi et capti sunt*, explicari de hostibus debet. *Schott*.

§ 2 *Hamilco dux*] Lego *Annibal* ex Mediolan. illo vetustissimo et Val. Max. VII. 3. ex. ext. 7. tametsi rem aliter paullo narret. Fuit autem Gisgonis filius, ut Polybius et Zonaras appellant, Orosius seniorem Annibalem vocat. Pœnus et ipse, sed dux infelix pr. Punico bello. Himilconis nulla hic mentio. Judicent docti. *Schott*. Schottus et Sigonius 112. 14. sequuntur Polybium, qui I. 9. Ἀννίβαν nominat. *Sylb*.

Classis Carthaginem] Parisin. *Classis Carthaginiensium*. Non satis placet. *Schott*.

§ 3 *Pœnam crucis effugit*] Aliter paullo hæc narrat Orosius libro quarto, capite octavo; qui quod infeliciter pugnasset a suis lapidibus coopertum interiisse scribit. Polybius vero et Epitome Liviana lib. XVII. a suis militibus in crucem suffixum referunt. Vide Marcell. lib. XVIII. de more Burgundionum in puniendis regibus, qui non satis prospere pugnassent. *Schott*. Ad hunc morem respicit Livius lib. XXII. cap. ult. 'Cui, si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret.' Sed hæc agendi ratio minime est laudanda, cum eo modo optimis sæpe ducibus destituatur resp., qui, si res infeliciter cecidit, potius ad alios transire quam in patriam reverti malunt. Præterea sæpe eripitur bene gerendæ rei occasio, cum illi se periculo exponere non audeant, timentes cum calamitate conjunctam ignominiam. Laudabilius est eorundem institutum, cujus meminit Liv. XXXVIII. 48. 'Ut in crucem tollerent imperatores, si prospero eventu pravo consilio rem gessissent:' et Val. Max. II. 7. ex. ext. 1. Porro de interfectis Carthaginiensium ducibus, qui infeliciter pugnaverant Orosius

IV. 9. 'Asdrubal cum paucis Lilybæum profugit, atque absens a Pœnis capitis damnatus est:' et Justin. lib. XVIII. 7. § 2. *Arntz.*

§ 4 *Prælucente*] Cicero Cat. Majore: 'C. Duilium M. F. qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem a cœna sæpe videbam puer: delectabatur crebro funali et tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat:' sic enim rectius legi quam *cereo funali*, quod ex Val. Max. III. 6. quidam reposuerant, Carolus Langius docuit, vir si qui alius, emendandis auctoribus natus, nuper immatura morte præreptus: numquam enim matura mors eorum qui bene de R. P. mereri student. Idem autem refert de Duilio L. Ann. Florus Historiæ Romanæ lib. II. et Epitomarum T. Livii auctor lib. XVII. aliique. Plinius XXXI. 1. *Schott.* Hujusmodi aberrationes non indecore eis indulgeri, qui reipublicæ haud tralatitiam navarunt operam, abunde ostendi ad Asinii verba apud Tacit. Annal. II. 33. 'Distinctos senatus et equitum census; non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, taliaque ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur, nisi forte clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda; delinimentis curarum et periculorum carendum esse.' *Grut.* Casaub. ad Sueton. Cæs. cap. 37. et Barthius Adv. XXXIV. 9. *Arntz.*

Funali] I. e. cereo e funibus contexto. *Mach.*

Publice] *Publica* libri vetusti. Non satis placet. *Schott.*

CAP. XXXIX. § 1 *Atilius*] Variatur in scriptis, aliis *Attilius*, aliis *Atilius* præferentibus, sed hoc verius est, cum ita in Marmoribus et Nummis exprimatur, quorum auctoritatem secuti sunt viri litteratissimi; vide Jac. Gronov. ad Liv. XXX. 43. viros doct. ad Val. Max. IV. 4. ex. 6. Burmann. ad Quinctil. Inst. Orat. IV. 2. p. 317. Schulting. ad Ulpian. tit. XI. § 18. et Duker. ad Flor. I. 20. et II. 2. § 17. Atque hanc scripturam hodie sequuntur optimæ edd., ut apud Cicer. de Nat. Deor. II. 23. ubi male Lambinus *Attilio*. Orat. pro Plancio c. 25. de Senect. cap. 17. Livii Epit. XVII. et XIX. Gell. IV. 3. Vell. Paterc. II. 53. fine: et Gruteri Insc. p. MXLIII. num. 1. Oros. IV. 10. ubi Ms. tamen *Attilius*, quomodo hodie etiam editur apud Eutrop. II. 21. Frontin. I. 5. ex. 15. et IV. 5. ex. 10. Justin. ceterosque quamvis minus accurate: unde apparet peccare JCtos, qui 'Attilianum tutorum' dicunt, qui *Atilianus* appellandus erat. Porro quod pleræque edd. expresserant *dux Romanorum* vocem hanc secundam ignorant omnes scripti et Veneta. *Arntz.*

Calatinus] A calando dictos docet Fulvius Ursinus Romanus Notis ad Orat. Cic. pro P. Sextio. *Schott.*

Ex maximis] Vulgati sine præpositione. L. Ann. Florus: 'Fere omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit.' *Schott.* Sic legere jubent codd. manu exarati et vetustæ edd., nescio unde receperat Schottus et posteriores *ex maximis*, quasi verbum 'dejicere' semper præpositionem requireret. Cicero Orat. Phil. VIII. 2. 'Cujus præsidium Claterna dejecit Hirtius:' et Act. in Verrem I. 8. 'Si me ædilitate dejecissent.' Symmachus Epist. X. 58. 'Qui se dejectum possessione questus est.' Val. Flacc. III. 594. 'Nunc ad ripas, dejectaque saxis Flumina.' Seneca Thyest. vs. 803. Vell. II. 24. § 2. et l. 15. § 23. ff. de Damno Infect. *Arntz.*

Æna] Urbs est Siciliæ ad differentiam Ætnæ montis. Val. Maximus de cultu Deorum, 'Ænam, quoniam ejus sacra inde orta credebant, quindecim viros ad eam propitiandam miserant:' licet alii etiam *Æthnam* legant. *Mach.* Vulgati *Ætna* quasi *Æna* subjiciunt: in uno Msc. *Herna*, in Mediolan. *Ænna* scriptum reperi. Strabo lib. VI. et Stephanus sine diphthongo. *Ætna*

autem etiam urbs in Sicilia est Plinio tertio et quarto libris. *Schott.* Præpositio *ex* abest a vulg. libris in iisdem seq. versu *Ætna* est pro *Enna:* quæ cum ambæ inter mediterranea Siciliæ opida numerentur a Ptolomæo, ac potius maritimum opidum hic cum Drepano a Lilybæo requiri videatur, fortasse *Catina* vel aliud opidum maritimum pro illis ab auctore scriptum fuit. Florus sane illorum loco numerat 'Agrigentum, Panormum, Erycem,' 390, 50. *Ennam* tamen legit hic etiam Sigonius supra 113. 30. in inclusis, quæ sequuntur, ἀνιστορησίαν esse, notat idem Sigonius ibidem, vs. 45. *Sylb.* *Ennam* recepimus, invitis etiam, quod tamen non libenter facio, omnibus scriptis et edd. antiquioribus, qui *Etnam* vel *Ethnam* scribebant. Sed Atilium Calatinum 'Ennam' urbem cepisse ex Polyb. tradit Dukerus ad Flor. II. 2. § 12. *Ætna* autem nullo modo etiam inter maximas et munitissimas Siciliæ civitates recenseri potest. Et tanto excusatius hic me *Ennam* scribere existimo, cum nihil frequentius sit apud librarios, quam *Ennam*, talem enim urbem illi ignorabant, in *Ætnam* transmutare: apud Solin. cap. 5. 'Ibidem campus Ætnensis in floribus semper:' et non multo post, 'Purpureum Ætna mittit:' sic edidit Gryphius; sed rectius Salmasius, *Ennensis* et *Enna*, vel potius, ut excerpta Ms. codicis apud me, *Hennensis* et *Henna:* quod etiam præfert in notis Salmasius. Vide Torrent. ad Val. Max. I. 1. ex. 1. Similia apud Schott. ad Melam II. 7. Bernecc. ad Justin. XXII. 1. § 2. Ciofan. ad Ovid. ex Ponto Ep. II. 10. vs. 25. Heins. ad Claudian. de Rapt. Pros. II. 72. et III. 220. Munckerum ad Hygin. Fab. CXLVI. Et, qui alia collegere Drakenb. ad Sil. I. 93. Duker. ad Flor. II. 19. § 8. et Oudend. ad Lucan. VI. 740. *Arntz.*

Drepanum] Urbs in modum falcis (nam δρέπανον Græci *falcem* dicunt) famosa est Anchisæ morte. *Mach.*

Lilybæum] Triquetra Sicilia habet Pelorum Italiam versus, Pachynum Græciam, Lilybæum Africam. *Mach.*

Panormum] Oppidum, unde 'Panormitano' jurisconsultissimo perductio. *Mach.*

§ 2 *Totam Siciliam*] Μνημονικὸν ἁμάρτημα priscis scriptoribus familiare: non enim ab A. Atilio consule, sed insequentis anni CDXVI. C. Atilio Regulo prælium navale pugnatum est. Fefellit auctorem et nominis, et temporum affinitas. *Schott.*

Magnam hostium classem] Polybius. Nactique in medio hostes frequentes, eorum naves plenas capiunt; reliquæ in littus adactæ franguntur. Romani tribus maximis præliis hostibus superatis ubique victoria potiti fuerunt; fractæ sunt in his præliis Romanorum naves quatuor et viginti, Carthaginiensium vero supra triginta: plena autem nulla a Carthaginiensibus capta, ipsorum vero quatuor et sexaginta Romani plenas cepere. *Mach.*

§ 3 *Ad Camarinam*] *Camarinam* libri veteres scribunt prima vocali in secunda syllaba; et Græci Strabo, Stephanus, Polybius. Vide Servium in Æneid. lib. III. 'Apparet Camerina procul,' &c. Erasmi Chiliades. *Schott.* Duo Mss. *ad Catinam.* Sed 'Camerinam' seu 'Camerinensem saltum' agnoscit hic etiam Florus II. 2. cur autem *Camerina* per *e*. Latine scribi soleat, cum Græci Καμαρῖναν vocent, ibidem exposui. De Calpurnio Flamma meminit præter Livium etiam Plinius XXII. 6. Agell. III. 7. et Frontinus Strat. I. 5. *Sylb.* Ceterum Schottus scribere maluit *Camarinam*, Græcorum morem secutus, et sic cum Heinsio ad Silium XIV. 198. Drakenb. Verum *Camerina* constanter editur apud Ovid. Fast. IV. 477. Oros. IV. 8. atque alios, ut facile inducar utroque modo extulisse Latinos. Vide Dausq. Orthogr. part. II. p. 73. et Græv. ad Cicer. ad

Att. Epist. VIII. 12. Apud Virg. Æn. III. 701. in codice scripto inveni *Cimarinam*. In similibus vocibus promiscue *a* et *e* adhibere veteres ut in *camara* et *camera* observat ad Sallustii Catil. c. 55. § 4. Cortius. *Arntz.*

Calpurnius Flamma] Sic a Livio quoque lib. XXI. tribunus nuncupatur. *M.* prænomen in Liviana Epitoma et in Plinio XXII. 6. M. Cato in Origin. 'Q. Ceditium' vocat. Quadrigarius Annal. lib. III. 'Laberium.' Tu lege Agell. III. 7. ubi cum quadringentis militibus in hostem pugnasse tribunum refert ex Catone illo. Vide et Frontin. lib. I. *Schott.* Eadem Fabricius ad Oros. IV. 8. et Freinsh. ad Flor. I. 2. § 13. *Arntz.*

Sociis] Ex Mss. est, et qui sequitur orationis ambitus aliter paullo a nobis interpolatus ex libris antiquis. *Schott.* Contra consensum tamen omnium apud nos codicum et editionum. Sed hac in voce facile Schotti emendationem, quam ex scriptis esse profitetur, potuimus admittere; in sequentibus non item. Ibi enim reposuerat *inventus est. Senatus,* cum antea ederetur *inventus et sanatus.* Quod ideo non videtur tolerasse, quia in præcedentibus scriptum erat, Calpurnium cecidisse cum suis, adeoque, ut putabat, in prælio eum occubuisse. Sed fallitur vir eruditissimus, cum 'cadere' etiam alibi dicatur de illis qui in pugna gravi vulnere affliguntur, quamvis vivi in castra referantur. Livius XXI. 7. 'Hannibal ipse, dum murum incautius subit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit.' Hannibalem tamen eo vulnere non periisse tristia Romanæ reip. fata docuerunt. Idem Livius XXXVIII. 47. 'Q. Minucius Thermus cum multis viris fortibus cecidit.' Quem tamen in ipso prælio mortuum non fuisse, sed grave vulnus accepisse, patet ex cap. seq. 49. 'Ne ex vulnere vir fortis ac strenuus Q. Minucius moreretur.' Corn. Nepos in Eumene c. 4. 'Cadit Craterus dux et Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat.' Atqui in ipsa pugna non fuisse interfectum constat ex sequentibus ejusdem capitis: 'Eumenes Craterum, ex acie semivivum elatum, recreare studuit.' Just. VI. 8. § 2. 'Nam ut relatus in castra semianimis vocem spiritumque collegit, id unum a circumstantibus quæsivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis.' Hoc cap. præc. § 11. 'Graviter vulnerari dixerat.' Amm. Marcell. XXV. 3. p. 454. ubi de Juliano letali vulnere accepto: 'quod percunctando Phrygiam appellari locum, ubi ceciderat, comperit.' Iscanus de Bello Troj. IV. 402. 'Tune bis ullum Percuties hostem? quisquis vel sentit Achillem, Sufficiat cecidisse semel: tua fulmina passus Alterius non mortis eget.' Quo loco vellem legere *vulnera passus;* id est, 'vulnera a te illata.' 'Vulnera pati' Ovidius Ep. Her. II. 48. Am. El. II. 14. 3. et alibi. Similiter alia verba, quæ vulgari significatione mortem designant, de gravioribus vulneribus et plagis exponenda sunt. Seneca de Clem. I. 14. 'Equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit:' illum autem non interfectum sed a Cæsare morti ereptum esse ibidem sequitur. Adi ad illum locum Lipsium. Cæsar Bell. Gall. III. 5. § 2. 'Quem Nervico prælio compluribus confectum vulneribus diximus.' Ille tamen postea et vixit et res fortiter gessit, ut sequentia Cæsaris verba indicant. Non debuerat igitur hoc loco quidquam mutare Schottus, præsertim cum nemo sanior historicus unquam dixerit de rep. Romana: 'Senatus terrori hostibus fuit.' Talia offendunt aures et ineptias produnt. Neque verum est Calpurnium periisse, cum unanimis sit historicorum consensus, eum amissis ceteris evasisse. Nec offendere debet repetitio

vocis *postea*, cum multa talia apud Nostrum sunt obvia. Sic hac paragrapho bis *trecentis* scripsit. Vide ad c. 34. Hasce ob caussas non dubitavimus exprimere ut est in omnibus Mss. et edd. *inventus et sanatus.* Solus Machaneus *inventus est et sanatus.* Arntz.

§ 4 *Triumphavit*] De triumpho quod extremo hoc capite dicitur, ad Caium Atilium Regulum puto pertinere. Navalem enim egisse in Fastis Capitolinis scalptum video, probaturque auctoritate P. Orosii, Zonaræ, et Polybii. Hinc Plinius 'triumphalem aratorem' appellat, Valerius 'triumphalis currus habenas' eum tractasse tradit. Primus in sua gente Serranus dictus, quod serentem in agro lictores, qui ad magistratus vocabant, invenissent. Cicero pro Roscio. Val. lib. IV. Plinius lib. XVIII. Appuleius in Apologia. Triumphi tamen iidem Capitolini, etiam de Calatini triumpho ejusdem anni de Pœnis loquuntur. *Schott.* Quæ hic de triumpho scribit Schottus, satis refelluntur e nummo apud Spanhem. de Usu Num. Diss. X. p. 215. In quo junctæ elephantis quadrigæ occurrunt cum hac inscriptione A. ATIL. A. F. C. N. Inde præterea confirmatur non *Attilium* sed *Atilium* scribi oportere. De illo triumpho et aliis in hoc capite locis agit quoque Pighius Ann. II. 33. *Arntz.*

CAP. XL. § 1 *Atilius*] Simplici tau Fasti. *Schott.* Not. Min.

Regulus] De quo Florus Epitome decima septima plura scribit: 'conquestum esse in senatu Regulum per literas, quod agellus ejus a mercenariis devastaretur.' *Mack.*

Sallentinis] Populi sunt Apuliæ. Virgil. 'Et Sallentinos obsedit milite campos Lyctius Idomeneus.' Addit Polybius, per hoc tempus apud Bagradam fluvium castra habens Marcus Atilius serpentem horrendæ magnitudinis apud ripas ejus fluminis stabulantem balistis, et catapultis oppugnatum occidit; cujus postea corium Romam delatum viginti pedum longitudinem habuisse quidam memoriæ prodiderunt. *Mack.* Liquida repetita scribunt Fasti Capitolini et Mss. omnes. *Schottus.* Simplici *l* tamen plerique ex nostris, sed melius geminatur, qua in re cum aliis sequor Drakenb. ad Sil. VIII. 575. cum ita in antiquis monumentis occurrat. Hujus triumphi et alii meminere apud Pigh. Ann. I. 457. *Arntz.*

Primus Romanorum] C. Tacitus C. Duilium primum facit, qui in Africam trajecerit. *Schott.*

Classem trajecit] *Classe traicit* Mss. quomodo nono ab hinc capite loquutus est. *Schott.* *Classe* quoque quatuor scripti, sed melius veterem lectionem tuentur duo reliqui et edd. omnes. Facilis est lapsus, cum littera *m* in Mss. fere scripta lineola notari soleat, quæ sæpissime a properantibus fuit neglecta, præsertim ubi nescirent recte etiam dici 'trajicere classem,' pro quo ipsi sæpius audierant 'classe trajicere.' Sed hujus locutionis vel solus Livius satis magnam dabit exemplorum copiam XXI. 41. 'Licuit classem victricem in Africam trajicere.' XXII. 27. 'Classem in Africam trajiceret.' XXVIII. 6. 'Classemque inde ad Cynum Locridis trajecit.' c. 36. 'Jubere senatum, ut classem, quam Gadibus haberet, in Italiam trajiceret.' XXX. 27. 'Ut quinquaginta navium classem in Africam trajiceret.' et XXXVII. 9. 'Mox Abydum trajecta classis.' Tacit. Ann. II. 78. 'Trajectisque in continentem navibus.' Eadem locutio restituenda inf. c. 49. 'Concedente collega in Africam classem trajecit.' Sic volunt Mss. *Arntz.*

Ea quassata] Ita ex Mss. corrige. Vulgata enim *quassatas duce Hamilcare* falsum sensum continet, si ipse Latine intelligo. Eutropius enim, et de Græcis Polybius Romanos XXII.

naveis amisisse, hostium vero LXIV. depressisse, partim cepisse, diserte ait. *Schott.* Ego satis firmiter mihi persuadeo, veram lectionem vidisse Schottum. 'Quassari' namque dicitur classis, quæ sævis jactatur tempestatibus. Livius XXX. 39. 'Multæ quassatæ armamentisque spoliatæ naves.' Virg. Æn. I. 555. 'Quassatam liceat ventis subducere classem.' Seneca Otio Sap. cap. 30. 'Quomodo navem quassam non deduceret in mare.' Claudian. Bell. Gild. vs. 491. 'Quassatis cupio tellurem figere rostris.' Apul. Metam. II. 220. 'Navis ipsa, in qua vehebamur, variis turbinibus procellarum quassata.' Iscanus de Bell. Troj. VI. 905. 'In scopulos projecta perit; quin fulmine quassa Regia, qua vectus Ajax, ratis.' Eo loco *flamine* legendum erit; 'quati' enim 'fulmine' non potest navis, quomodo peccatum apud Pseudo Catonem II. 7. 'Tuta mage est puppis, modico quæ flamine fertur:' hodie circumfertur *flumine.* Eodem, uti nos apud Iscanum modo, Silium nescio an e Ms. emendat docta manus, quæ apparet in ed. principe, quam moriens academiæ Leidensi legavit Perizon. IV. 325. 'Nunc huc alterno, nunc illuc flamine quassant:' est in editis *gestant.* Sed illud non absurdum. Orosius VI. 2. fine: 'Ipse eum quassata jam navi mergeretur.' Dict. Cretensis VI. 7. 'Apud Molossos naves quassatas tempestatibus reficit.' Adde Gronov. ad Senec. de Brev. Vitæ cap. 10. Ciof. ad Ovid. Trist. El. IV. 8. 17. et alios. *Arntz.*

Oppida] Simplici *p* scribo, juxta analogiam ab 'ope,' et Varronem, Ciceronem de Glor. lib. II. alios denique libros veteres. *Schottus,* Not. Min.

Ducenta] Hoc ἀδύνατον videtur. Eutropius enim 'septuaginta treis' duntaxat urbes 'in fidem Romanorum acceptas' refert. Orosius vero IV. 8. 'oppida octoginta duo in deditionem cessere Romanis, Carthaginiensium sunt cæsa XVII. M. capta V. M. elephanti XVIII. abducti.' et L. Ann. Florus lib. II. 'trecenta et amplius castella vastata.' Fides sit penes auctores: nec mirum victos eos et captos, qui vincendo defatigarentur. *Schott.*

Ducenta millia] Eutropius 'quinque' tantum 'millia cum octodecim elephantis cepisse' ait, 'octodecim millia ad internecionem cecidisse:' collegam vero Romam revocatum L. Manlium Vulsonem, victorem in triumphum duxisse septem et viginti millia captivorum, anno post R. C. CDXVII. *Schott.* Numerus satis amplus, sed si maximas Carthaginiensium clades, quas a Regulo acceperunt, cogitemus, non est ut quidquam contra Mss. fidem immutemus. Omnes enim testantur ad internecionem cæsos et ad ultima redactos fuisse Carthaginienses. August. de Civ. Dei III. 18. 'Qui etiam ipsum primum bellum Punicum cum fecisset (lege *confecisset*) nisi aviditate nimia laudis et gloriæ duriores conditiones fessis Carthaginiensibus imperasset.' *Arntz.*

§ 2 *Conjugi ejus*] *Ejus* iterum in pristinum locum reduximus, quod rejecerat Schottus, invitis nostris codd. et edd. *Arntz.*

Xanthippi] Libri veteres *Xantippi* præferunt. De Xanthippo vide Veget. initio lib. III. *Schott.* Nonnulli quidem Mss. sine adspiratione, sed derivationis ratio aliter postulat. Confer Dausq. Orthogr. part. II. p. 339. *Arntz.*

Mercenarii] Libri veteres *mercennarii* duplici *n* præferunt. *Schottus.* Torquent hic se viri docti, quomodo 'mercenarium militem' potuerit dicere quem alii *ducem* faciunt. Offendebat hoc Stewech. ad Veget. prol. lib. III. Sed illa non videntur pugnare; nam potuit esse ille mercenariorum dux, ita ut non fuerit qui-

dem gregarius miles sed tamen mercede conductus. Carthaginienses enim inter suas copias habere solebant magnam mercenariorum manum. Corn. Nepos Hamilc. c. 2. 'Primo mercenarii milites, qui adversus Romanos fuerant, desciverunt.' Livius xxvi. 43. de Carthaginiensibus: 'Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alunt.' xxvii. 5. lib. xxviii. capp. 30. et 44. Rarius hoc Romani fecerunt et quidem primum bello Punico secundo. Epit. Livii lib. xxiv. Porro de Xanthippo quid fuerit non convenit inter scriptores. Vide Fabric. ad Oros. iv. 9. et Duker. ad Flor. ii. 2. § 23. *Arntz.*

§ 4 *Legatus*] Alii scribunt duos legatos de permutandis captivis missos. *Mach.*

De permutandis captivis] Videndus Cic. in Offic. extr. l. iii. in Paradoxis, et in Pisonem, Liv. Epit. l. xviii. Eutropius lib. ii. Val. Max. i. 1. Appianus et Agellius vi. 4. diverse tamen ex Tuberone et Tuditano. De poëtis Silius lib. vi. et Horatius Carm. lib. iii. eleganti oda 5. et ibi pluribus Læv. Torrentius. *Schott.* Cicero de Off. i. 12. et Claudian. Bell. Gild. vs. 78. *Arntz.*

Romam missus] Bene habet, quod deperdito T. Livii Punico bello, Polybius scriptor gravissimus nobis relictus: is lib. i. ante Metelli victoriam, Regulum 'Romam missum' ait: idem Livii Epitome lib. xviii. confirmare videtur; quod moneo propter eos qui Fastos Consulares digesserunt. Hi enim victos Pœnos id fecisse affirmant, anno ꟾↃII. *Arntzen.*

Conditionem dissuasit] Asserens venenum temporarium a Carthaginiensibus sibi datum, ut permutatio nulla fieret. *Mach.*

Rejectis] 'Rejicere' est morbosum aliquid, ac displicens ablegare. Inde oves 'reiculæ' dictæ. *Mach.*

Regressus] Non ignarus ad quos crudeles hostes reverteretur. *Mach.* Hæc verba sunt Val. Maximi i. 1. ex. 14. ubi tamen varie legitur, 'infestos hostes, infestos Deos, infestos Pœnos.' Quid si scripseris *infestas pœnas?* Arntz.

Arcam ligneam] Historiæ Gellii, Valerii et Ciceronis hujus patientiam miris laudibus ac præconiis extollunt; ubi Gellianum illud non tacebo, positum esse in vase muricibus (i. e. lapillis,) acutis, seu ferreis stimulis, quales sunt spinæ muricum piscium: cogebaturque interdiu aciem oculorum defatigare in radiis solaribus perpendiculariter inspiciendis; noctu vero ne dormiret, pervigilio exagitabatur. *Mach.* Seneca de Tranq. Animi c. 15. 'Aut Regulum, quod tot clavis configitur.' Et quæ plura de dissensu auctorum pœnam illam Reguli narrantium collegere viri, quibus mecum multa debent litteræ, Drakenb. ad Sil. vi. 539. et Dukerus ad Flor. ii. 2. § 23. cum Coqueo ad August. de Civ. Dei i. 15. *Arntz.*

Actis] Vulgati *adactis.* Schott. *Adactis* tamen omnes scripti et editi, nec ulla mutatione opus est. Seneca de Vita Beata c. 19. 'In quas unusquisque vestrum clavos suos ipse adigit.' *Arntz.*

Cap. xli. § 1 *Caius*] Hactenus Qu. prænomen fuit, quo nomine frater Caii appellatus, qui insequenti anno fratris consulatum excepit, an. ꟾↃXII. Mirum ergo non est, si aut temporum, aut literarum C. et Q. cognatione falsi sint vel librarii, vel potius auctor ipse, quod uni omnia tribuat; cum tamen plerique Romanæ rei scriptores victoriam et triumphum navalem Caio, pacem vero Pœno datam Quincto adscribant, qui et de Faliscis triumphavit, ut Triumphales Tabulæ prodiderunt. Corn. Nepos etiam in Amilcaris vita Caium nominat, quo confidentius

ita scripsi. *Schott.* *Quinctus* tamen retinent omnes scripti cum editt. Facilius est conjicere errorem esse ipsius auctoris, qui duos insequentes consules confuderit. Anno enim U. C. DXI. C. Lutatius fuit consul, anno DXII. Quinctus. *Arntz.*

Lutatius] Eædem tabulæ et Mss. libri sine *c* scribunt, uti et *Amilcar, Anno, Annibal,* absque aspiratione; quos libenter sequor. In Mediolan. et uno Msc. prænomina abfuerunt, quæ in Romana historia fere corrupta sunt. *Schottus.* *Lucatius* vel *Luctatius* Mss. Sed veram scripturam suo jure vindicavit Bosius ad Nepotem Hamilc. cap. 1. et Pigh. Ann. tom. II. p. 63. quamvis ille *Luctatium* admitti etiam posse censeat. *Arntz.*

Primo Punico bello] De quo sic Polybius: Quamobrem ubi pugnari cœptum est, confestim, ut par erat, a Romanis superantur, centum viginti naves in ea pugna Carthaginienses amisere: harum duædequinquaginta summersæ, fractæque sunt, reliquæ vero captæ; fugientibus ex prælio plurimum opitulata est venti subita mutatio, qui statim post fugam contrario, quam prius impetu flare cœpit: itaque velis sublatis, cursum sequentium antevenere, et ad Hieronesum, unde prius solverant, se ex fuga receperunt: consul post prælium cum tota classe Lilybæum rediit; ibi laudatis, donatisque militibus, cætera intento studio persequebatur. Carthaginienses, ubi superatum Hannonem, profligatamque classem intellexere, præter spem tanta clade percussi, quo se verterent, nesciebant: de quo ita Lucius Florus nono decimo lib. 'Luctatius consul victa ad Ægates insulas classe Pœnorum finem bello posuit: petentibus Carthaginiensibus pax data.' *Mach.*

Trecentis] CC. Polybius et pro *sexcentis, quadringentis* Eutropius: Orosius *trecentis.* Suspicatus igitur aliquando sum mendum subesse, quod omnes pæne classem et hostium et Romanorum tantum DCLXXX. navium fuisse affirment, indeque errorem natum credebam, quod, cum notis olim numeri exprimerentur, earum transpositione infinitas mendas in libros antiquos irrepsisse didicissem, Forte scriptum reperit librarius CD. exscripsit alius parva immutatione DC. nec enim major pestis optimos auctores invasit, quam notarum frequens usus in numeris exprimendis. Nec muto sententiam; post enim incidi in librum calamo exaratum, in quo supra adscriptum erat CCCC. *naveis,* quæ res conjecturam meam confirmat. *Annone* pro *Himilcone* habebat idem exemplum, ut et Orosius, et placet. *Schott.* *Himilcone* vel *Hamilcare* reperimus in nostris. Quare licet veritas historiæ *Hannone* ut scribamus exigat, non tamen ausus sum omnia contra Mss. rejicere, quæ historiæ adversari videbantur. Multi enim 'Hannonem' hic ducem faciunt; vide Lambinum ad Nepotem Hamilc. cap. 1. Sed præstat *Hamilcare* scribere cum duobus Mss. ex Livio XXI. 10. 'Ægates insulas Erycemque ante oculos proponite, nec puer hic dux erat sed pater ipse Hamilcar.' Hac ratione dissensus scriptorum erit admittendus. *Arntz.*

Commeatus] Annonam castrensem et libertatem significare notius est quam ut declaratione indigeat. *Machan.*

Ægathes] Polybio Αἴγουσαι appellantur insulæ inter Lilybæum Siciliæ promontorium et Carthaginem. Vide Pomp. Melam lib. II. et Silium Italicum extremo sexto: et lib. I. 'Avet Ægates abolere parentum Dedecus.' *Schott.* Fuerunt qui *Ægadas* semper scribendum esse contenderent, sed horum sententia non æque omnibus placuit, et recte repugnarunt Is. Vossius ad Melam II. 7. p. m. 509. Bosius ad Nepot. Hamilc. cap. 1. et Drak. ad Silium I. 61. *Arntz.*

Insulas] *Insulam* forte melius. *Schottus*, Not. Min. Immo vide quæ attulit laudatus modo Bosius ad Nepotem. *Arntz*.

Aut cepit] Adde ex Mss. Aliud enim 'deprimere,' vel demergere naveis cum pugnatoribus, aliud 'capere.' Tacitus libro quarto Hist. Aug. 'Major pars navium depressa, aut capta.' Sic et Oros. loquitur libro quarto, capite decimo quinto, et capite 16. Vide Petri Victorii Variar. Lect. libros utilissimos. *Schott*.

§ 2 *Sicilia*] Sunt scripti qui addunt *ut sic:* sine ulla necessitate. *Arntz*.

Intra Italiam Africamque] Plinius III. 8. 'Insulas in Africam versus Gaurum Melitamque,' et alias commemorat, 'citra vero Siciliam ex adverso Metauri amnis XXV. ferme millia passuum ab Italia, septem Æoliæ appellatæ.' Notum autem est non solum *insulas* poni pro locis undique ab aquis circumfluis, sed etiam pro ædibus vicinitatem aliarum nequaquam habentibus, ut Suetonius 'dominos' ait 'insularum.' *Mach*.

Hiberum] Fluvius Hispaniæ, a quo dicta Hiberia. Et Lucanus inquit, 'Profugique a gente vetusta Gallorum Celtæ nomen miscentis Hiberis.' *Mach*. Mediolan. scribebat *Hiberinum*. Schott. *Hiberum* cum adspiratione faventibus scriptis reposuimus. Vide Dausq. Orthogr. part. II. p. 154. et Oudend. ad Lucan. lib. II. vs. 50. *Arntz*.

Fluvium] Olim edebatur *Hiberum fluvium abstinerent*, vel *ut abstinerent*. Sed illa ex Mss. rejecimus. *Arntz*.

CAP. XLII. § 1 *IX. annos natus*] Sic omnino scribendum censeo, non *XI*. Rursus, ut fit, notæ in numeris transpositæ: itaque legendum monent Livius lib. XXI. Orosius lib. IV. cæterique historiæ Romanæ racematores, et Corn. Nepos in vitis Externorum Imperatorum. Anno dehinc ætatis XXVI. imperator belli electus est: nam duce patre Amilcare IX. annos in Hispania militavit, VIII. sub ejus genero Asdrubale. Mendose igitur Eutropius *XX*. scribit. *Schott*. Plura hanc in rem collegit Bosius ad Nepot. Hann. c. 2. § 3. Quo in loco præstitum sit illud jusjurandum examinat Drakenb. ad Sil. I. 81. *Arntz*.

Juravit] De hoc intellexit Juvenalis: 'Hoc puer ad Libyeas juraverat Hannibal aras.' *Mach*. Vitio memoriæ Martialem voluit scribere Epigr. IX. 44. *Arntz*.

Patri] Ita scripsimus ex sententia quatuor codicum et Ed. Venetæ, cum reliquæ *Patris* habent. Tales dativi eleganter ponuntur pro casu secundo. Martial. Epigr. XII. 25. 'Exilio comitem quæris, agellus erat:' ita enim ibi melioris notæ codd. Seneca Phœn. vs. 52. 'Nemo me comitem tibi Eripiet unquam:' ubi peccant duo Mss. Traj. *tui* scribentes. Hæc loquendi elegantia corrupta etiam esse videtur apud Sen. de Benef. II. 16. 'Sed cum ubique sit virtutis modus:' malim *virtuti*. Virgil. Ecl. II. 68. 'Quis enim modus adsit amori?' Seneca Hippol. vs. 359. 'Sævis ecquis est flammis modus?' Duker. ad Flor. lib. II. c. 6. § 48. apud Sueton. Vespas. c. 7. § 5. 'Sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini:' ita lego ex Vossianis excerptis probatæ fidei. Alia Cortius ad Sallust. Catil. c. 11. § 4. et Jug. c. 7. § 4. Cicero pro Domo, c. 20. 'Cujus majores huic populo socii atque amici semper fuerunt.' Similia Burmann. ad Ovid. Met. XIV. 678. ubi in addendis recte etiam hunc locum vindicavit. Hanc locutionem cum Græcis habuere communem Latini, unde videtur profecta. Confer Perizon. ad Ælian. Var. Hist. III. 3. Scheff. ad eundem III. 4. et Homberg. in Parerg. Sacr. ad Euang. Lucæ c. VII. vs. 12. *Arntz*.

§ 2 *Eo*] Tacet Cornelius Hannibalem defuncto patre militasse per oc-

te annos sub sororio Hasdrubale. *Mach.* Pronomen *eo* abest ab uno scripto. *Asdrubale* autem exaudiendum ex Corn. Nepote, unde hæc forte sarcienda, 'octo post ejus mortem annis, mortuo Asdrubale,' &c. *Schott.* Not. Min. Nec tamen necesse est, ut intelligamus id eum fecisse statim, simulac pater esset mortuus, sed his verbis indicat tantum Noster patre mortuo fidem præstitisse Hannibalem, adeoque *eo* ad Hamilcarem, non ad Hasdrubalem erit referendum. Vide Nep. Hann. c. 3. *Arntz.*

Saguntum] Non referam singula, quæ a Tito Livio lib. I. secundi belli Punici, et a Plutarcho in vita Hannibalis referuntur, neque enim officii mei est transcribere, verum interpretari. Est autem Saguntum urbs Hispaniæ ab Herculis socio Saguntino dicta. Sil. Ital. primo: 'Haud procul Herculei tollant se littore muri, Clementer crescente jugo, quis nobile nomen Conditus excelso sacravit colle Zacynthus.' *Machan.* Libri veteres *Zaguntkus* scribunt, de qua scriptura vide Priscian. De Saguntina fame illud memorabile extremo Satyrico Petronii Arbitri, quod Pythœi beneficio amplius est; humanas edisse carneis. *Schott.* Schotti scripturam merito rejicit Drakenb. ad Silium I. 271. Ceterum tres scripti et ed. Veneta habent *fœderatum;* docta lectio; veteres enim casu recto etiam *Saguntum* dixere; ut Livius XXVIII. 39. 'Ut illa gente incolumi stare Saguntum non posset:' et paullo post, 'Et dirutum et restitutum Saguntum fidei socialis utrimque servatæ documentum omnibus gentibus fore.' lib. XXXI. c. 7. 'Sicut Sagunto expugnando Hannibalem passi sumus.' Sil. Italicus XVII. 329. 'Quid vos, quis claro deletum est Marte Saguntum, Exhorter?' ubi plura Heins. et Drakenb. Pintianus ad Pomp. Melam II. 6. et Dausq. de Orthogr. part. I. p. 90. Latini enim Græcorum terminationem *os*, in *us* et *um* genere neutro mutare solent, quod de aliis urbibus adnotat Vossius ad Melam I. 19. init. Et hinc fortasse, quod in optimo P. Danielis cod. apud Corn. Nepotem Miltiad. c. 2. 'Chersoneso tali modo constituto Lemnum revertitur.' *Arntz.*

Evertit] Dum ultro citroque tempus legationibus teritur, dum a Carthaginiensibus Romanæ legationes deluduntur, sera tandem pœnitentia succurrendi Romanos cepit. *Mach.*

§ 3 *Alpibus patefactis*] Antea soli Herculi perviis: inde Graiæ dictæ. Constat autem venisse per montem Jovis, quem vulgo Cinisum appellant Gebennas versus tendentem, partem ejus Rupiolæ, et Durandum vocitant, qui ex altero latere flumen Druentiam, ex altero exitum in Taurinos habet: id Plutarchus sentire videtur. Desinant igitur garrire ἀμουσότεροι de cavata via, atque manu facta ad saltus Augustæ Cæsareæ: nam quomodo opidum Taurinum expugnasset? vetustissima namque etiam inclyta hac in urbe plura venerandæ antiquitatis monumenta profecto spectaremus, quæ, asserente Eustathio, Homerico interprete, ab Eridano eodemque Phaëthonte binomini condita fuit, qui Solis Ægyptii filius per Nilum magna classe in mare navigans, cum Genuino socio, Genuæ Liguaticæ deinde fundatore, post longas peregrinationes, tandem in hanc amplissimam atque fertilem planiciem devenit, hominesque rudes et agrestes, feroces tamen, comperiens, ratus se ingenio proprio eorum superaturum ferociam, penes Padum consedit, Eridanumque condidit, Taurinum dictum: ab armentoso loco, a copia taurorum, seu boum, ferunt originem vocabuli: circumferuntque pictum nostri concives palam tauri vexillum. Non desunt scribentes a ripis Padi cornua taurina referentibus, vel a murmure aquæ

mugitum hujusce animalis imitante, quia pluribus hic augetur fluminibus, Taurinum nuncupatum exstitisse. Foribus domus mei gymnasii scholastici adstat currus Phaëthonteus marmoreus. Romani certe hic, utpote in commune totius Galliæ Cisalpinæ ac Transalpinæ diversorium divertere solebant, uti epitaphium a me inventum in marmoreo conditorio sacelli D. Viri ultra Padum indicat hac inscriptione: C. RVTILIO. GALLICO. CONSVLI. De quo præfecto Romæ sub Domitiano Juvenalis, 'Et custos Gallicus urbis.' Marmoreum hunc lapidem sacrum, Canonicorum collegium D. Joannis tutelaris nostri sancti mihi dono munificentissime dedit. Licet etiam pro urbis hujus priscis et sacris mœnibus, memoriosas antiquitates cognoscere, quarum portiunculam fideliter, ut reperi, hic subscribam. In parietibus magnifici Scipionis Charæ: ANNEO. M. F. SENECAE. Alind affixum turri divi Salvatoris: P. CORNELIO. L. F. T. N. DECVRIONI. A. P. IVDICI. DEC. IV. CORNELIA. P. FIL. PRISCA. T. F. Aliud in ejusdem cœmeterio: PETRONIA. M. F. MARCELLINA. T. F. Aliud in templo ejusdem: V. F. P. ALBVTIVS. SABINVS. C. F. ET. C. ALBVTIVS. C. F. ET. C. N. ALBVTIVS. SABINVS. FRATRES. SIBI. ET. C. ALBVTIO. C. . RVFO. PATRI. Aliud ibidem: PLANCVS. CVRATOR. VETERANORVM. LEG. IV. MACEDONICE. DECVRIE. T. F. I. Aliud ibidem: L. COETIVS. M. F. S. TEL. QVARTVS VETERANVS. Aliud ibidem: STATIVS. ALBVTIVS. ET. P. ALBVTIO ADIVTORI. S. C. O. S. Aliud in antiquo pariete: Q. S. LITIO. P. F. ATTILIO. AGGRICO. COS. VII. VIR. EPVL. LEGATO. PROPRAI. IMP. NERVAE. CAESAR. PROVINCIAE. BE..... LEG. VI. FERRAT. LEG. CITERIORIS HISP. PRAETORI. AEDILI. CVR. IVL. VESPASIANO. TRIB. M. LICE. X. VIRO S. LIT. Aliud in templo divæ Virginis: V. F. C. PVBLITIVS. PRIMOGENITVS. SIBI. ET. TVRRIANAE. Aliud ibidem: P. AEBVTIVS. P. LIB. MEMNIO. AVG. SIBI. ET. AEBVTIAE. LIBERE. DELICATE. SVE. T. F. M. L. L. E. IO. INFERMO. Utinam his omissis antiquitatibus, Hannibal in Taurinos veniens pulcerrimum illud amphitheatrum extra portam marmoream, evanescens, ac obsoletum minime solo æquasset. *Mach.* Hæ inscriptiones, quæ facile optimam omnium notarum partem efficiunt, a posterioribus editoribus erant interpolatæ. Nos edidimus ita ut voluerat edi Machaneus. *Arntz.*

Patefactis] De Alpibus superatis Plinius XXXVI. 1. Amm. Marcellinus lib. XV. *Schottus.* Servius ad Virg. Æn. X. 13. *Arntz.*

§ 4 *P. Scipionem*] De quo erat actum, ni eum filius periclitantem servasset. *Mach.*

Ticinum] 'Rhodanum' inquit Nepos in Annibale. *Schott.*

Sempronium] Qui ex Sicilia arcessitus fuerat, ut duo exercitus jungerentur. *Mach.*

Trebiam] Ex Appennino in Padum fluit; vulgo *Treviam* accolæ vocitant. *Mach.*

Trasymenum] Est penes Perusiam. Ovid. in Fast. 'Sint tibi Flaminii, Trasimenaque littora testes, Per volucres æquos multa monere Deos.' De quo prælio lege T. Livium secundo belli Punici, in quo ipse dux ab equite, cui Ducario nomen erat, interfectus fuit. *Mach.* Quatuor scripti et ed. Veneta *Transimenum;* quomodo etiam variatur apud Val. Max. I. 6. ex. 6. sed est contra aperta poëtarum testimonia, qui primam syllabam corripiunt. Silius IV. 740. 'Tmolo missa manus, stagnis Trasymenus opacis.' *Arntz.*

Paullum] Æmilium, cordatum sagacissimumque consulem, qui pro patria occubuit. *Mach.*

Varronem] C. Terentium, qui e la-

niaria taberna fortunæ ludibrio ad fastigium consulatus pervenerat. Jamque magis indignandum. Obviam itum superstiti, actæque gratiæ, quia de republica non desperasset, scribunt, qui si Carthaginiensis fuisset, malo consilio atque ductu suo in crucem haud dubie elevatus fuisset. *Mach.*

Superavit] Non prolixus in his historiis ero, quia Plutarch. et Sil. Italicus nocturna diurnaque manu evolvendi. Illud constat tres modios annulorum aureorum ab Hannibale collectos; ea autem tempestate soli equites annulos ferebant. Juvenalis: 'Cannarum vindex, et tanti sanguinis ultor Annulus.' *Mach.*

§ 5 *Cujus deliciis*] Ob Capuam et Salapiam, ubi amore etiam puellæ captus, tantus imperator est mollitus: nam post Feroniæ opulentissimum templum depopulatum, in Brutios Lucanosque contendit. *Mach.*

§ 6 *Ad tertium*] Usque ad IV. miliarium, inquit Eutropius: quicum consentit Appian. libro de rebus Annibalis; ait enim ipsum XXXII. ab Urbe stadio ad Anienem castra posuisse, id est, IV. ab Urbe milliari. Polybius vero IX. 40. stadia sive millia passuum quinque numerat. Livius autem et Plinius lib. XV. nobiscum faciunt. *Schott.* Barthius ad Claudian. Bell. Gild. vs. 83. *Arntz.*

Castra posuisset] Cum duobus millibus equitum Romam speculatus, ac per triduum conserto certamine semper prælio incepto vi tempestatis distractus est: adeo ut dixerit Hannibal 'potiundæ sibi Urbis Romanæ, modo mentem non dari, modo fortunam.' *Mach.*

Tempestatibus repulsus] Propertius El. III. 2. 11. et Claudian. Bell. Get. vs. 508. *Arntz.*

Frustratus] Quando Hannibalem lassando mora vicit, ut inferius leges. *Mach.* Corrige *fractus*, rectius: ut patet capite sequenti proxime et supra c. 14. adjuvantibus et libris antiquis. *In Campaniam devertit* iidem eleganter. De Campania alibi dicemus. Elanguisse et Antiochum deliciis infra cognoscere licebit. *Schott.* Omnes codd. et edd. *frustratus* firmiter retinent, quam tamen vocem damnare voluit Schott. ideo, quod sequenti capite, et superius *frangere* posuerit Noster. Sed non necesse est, ut scriptor, si semel aliquam vocem adhibuerit, ea semper uti cogatur. Neque admittit gradatio, quæ in hisce verbis reperitur, 'frustratus, repulsus et fugatus.' Utique 'frangere' majorem habet emphasin quam 'repellere' et 'fugare,' cum illud de talibus potissimum dicatur, qui ad ultimas angustias sunt redacti, quorumque opes fere prostratæ jacent. Quinctil. Decl. III. 3. 'Subnixum Numidia fregimus Jugurtham.' Claudian. Bell. Gild. vs. 92. 'Fractumque Metello Traximus inmanem Marii sub vincla Jugurtham.' Eutrop. II. 25. 'Fractos tot casibus spem nullam habere:' ubi malim equidem *cladibus.* Claudian. Bell. Gild. vs. 414. 'Fregit quem clade, tremiscat.' Et Bell. Get. vs. 602. 'Tanta nec clade superbum Contudimus Tanaim, vel cornua fregimus Istri.' Oros. IV. 9. 'Carthaginienses fracti bellis et cladibus, opibusque exinaniti:' ita enim ibi ex Ms. reponimus. Aliis igitur locis, cum de Fabio solo loqueretur, potuit hoc verbum adhibere, hic autem nullo modo, cum per gradationem a primis quasi principiis adscendat ad altiora; 'frustrando' enim effecit Fabius, ut a Flacco repelli et a Marcello fugari Pœnus posset. Hostium enim vires frustrando deterere, magni in bellis est momenti. Et sic certe frustrando, nec hostibus copiam pugnæ faciendo superior evasit Fabius, quare de eo Val. Maximus III. 8. ex. 2. 'Itaque frustrari et eludere Pœ-

norum inpetus, quam manum cum his tota acie conserere melius ratus.' Eandem rem aliis verbis exprimit Servius ad Virgil. Æn. VI. 846. 'Cum Hannibalis inpetum ferre non posset, mora eum elusit.' Dux namque 'frustrari' dicitur hostem, qui belli artibus eum ludificat, vel remoratur. Livius XXII. 16. 'Ad frustrandum hostem commentus principio noctis furtim succedere ad montes statuit:' et c. 41. fine: 'Sicut Fabium priore anno frustratus esset.' XXVII. 42. 'Frustratique aliquamdiu hostes citatis equis agmen suorum adsequuntur.' Frontin. Strat. II. 3. ex. 3. 'Ut ad primum inpetum eorum sibi fuga consulerent et in sylvestria confragosaque loca reciperent: ita frustrato robore exercitus.' Eodem lib. c. 5. ex. 34. 'Præcepit L. Quinctio partem Spartaco objiceret, pugnaque eum frustraretur:' et c. 11. ex. 5. 'Lacedæmonios, quasi maneret, frustratus.' Eumenius Paneg. in Nat. Urb. Trev. c. 12. § 2. 'Natio perfugiis sylvarum et paludium bellum solita frustrari.' Cæterum si hoc loco non talis esset κλίμαξ, et codices scripti admitterent, viri eruditi judicio nullus obessem, cum tam magna non sit differentia, et eandem vocem alibi de Hannibale adhibeat Noster, ut etiam Eutropius III. 9. 'Is eum differendo pugnam ab inpetu fregit:' et Claudian. Bell. Get. vs. 143. 'Tres potuit superare duces, fregitque furentem Cunctando.' Meliori jure, licet invitis plerisque nostris, *devertit* reposuit. Val. Maximus I. 7. ext. 10. 'Alter in tabernam meritoriam devertit.' Cicero de Divin. I. 27. 'Alterum ad cauponem devertisse; ad hospitem alterum' uti est in curatioribus edd. vulgo *divertisse*. Quomodo Orat. pro Dejot. c. 6. 'Et domum regis, hospitis tui, devertisses:' edidit Grævius, male reliqui. Latius agit de hoc verbo Burmannus ad Petron. Sat. c. 9. p. 40. *Arntz.*

A Valerio Flacco] Capuam cepit, quæ ad Hannibalem desciverat, senatumque Campanum ad palum deligatum securi percussit, absconsis in sinu literis Roma missis, quibus eis parcere jubebatur. *Mach.*

A Scipione] Apud Zammam urbem, auctore Plutarcho, ubi secundissimum prælium Romanis fuit, maxime Lælio et Masinissa adjuvantibus, elephantosque perturbantibus: constat supra viginti millia hostium eo die a Romanis cæsa, tantundem prope capta: ipse Hannibal dux ad ultimum eventum pugnæ moratus e media cæde cum paucis effugit: arcessitus deinde Carthaginem persuasit, ut pacis conditiones a Romanis reciperent; quibus captis, et pœnitentia affectis, a popularibus exsilio mulctatus. *Mach.*

Ad Antiochum regem] Corn. Nepos sexto post anno accidisse refert, M. Claudio Marcello, L. Furio Purpureone Coss. qui est Urbis IↃLVII. Alii insequenti anno id accidisse memoriæ prodiderunt. *Schott.*

Concessit] Quia inter conditiones pacis de Hannibale Romanis dedendo agebatur. *Mach.*

Legatione] Legatione Titi Flaminini missi ad conciliandos reges Eumenem ac Prusiam, impetravit Romanus legatus magna contentione, ut ei omnino Hannibal dederetur; itaque a militibus regis frequentibus, obsesso undique ejus diversorio, quum se evadere non posse cognovisset, quidam epoto sanguine taurino; fideliores scriptores, quod sub gemma suberat, veneno mortem sibi ipse conscivisse asserunt, prius effatum, 'Solvamus ingenti cura populum Romanum.' *Mach.* Vulgo *Romana legatione repetitus hausto.* Mss. vero pleniores, quæ ad sensum necessario supplevimus. *Schott.*

Per T. Flamininum] Missus T.

Quinctius Flamininus infra cap. 51. *Schott.*

Hausto veneno] Sic Livius annali XXXIX. Appianus vero Συριακῇ tradit Flaminium per Prusiam Annibalem veneno necasse, nihilque ei a senatu nominatim de Annibale mandatum. Varro περὶ ἀγωγῆς apud Nonium 'medicamentum:' 'Quærit ibidem ab Hannibale, cur biberit mendicamentum: quia Romanis inquit me Prusiades tradere volebat.' *Schott.* De veneno etiam Savaro ad Nepot. Hann. cap. 12. Drakenb. ad Silium XIII. 892. et Scheff. ad Obseq. c. 59. et Schott. ad Senec. Controv. III. 18. *Arntz.*

Libyssa] In Bithynia vicus est juxta littus, de quo vulgatum carmen erat: 'Corpus Hannibalis Libyssa tumulabit terra.' *Mach.* *In fine Nicomediensium* quasi alluvione accrevit ex Mss. plenioribus. Vide Plin. v. 32. et Nicolai Sophiani Tabulam Græciæ, et in eandem Nicolai Gerbelii commentarium. *Schottus.* Respicit Machaneus oraculum, quod de Hannibalis morte reperitur apud Appian. Bell. Syr. p. 150. Λίβυσσα κρύψει βῶλος Ἀννίβου δέμας. Quo oraculo, ut ibidem traditur deceptus, se in Libya moriturum existimarat, cum Λίβυς fæm. faciat Λίβυσσα. Vid. Stephan. Byzant. in Λιβύη et Λίβυς. Lucanus IX. 666. 'Terræque in fine Libyssæ Persea Phœbeos converti jussit ad ortus.' Ex hisce præterea constat per *y* media syllaba esse scribendum, non ut multi Mss. qui *Labissam* vel *Libissam.* Vide Salmas. Lect. Plin. p. 617. et eruditos commentatores ad Steph. Byzant. hac voce. Quod addit Schottus *in fine Nicomediensium*, contra omnes omnino est Mss. et glossam sapit. *Arntz.*

Cui inscriptum est] Sic alter Msc. Alter vero *hodieque* non *hodie quoque* legebat. *Schott.* *Hodie quoque* solenni et usitato errore magna pars librariorum; alii simpliciter *hodie;* sed rectum est quod Schottus intulit, idque ab uno et altero e nostris confirmatur. Seneca de Clem. I. 10. 'Hæc hodieque præstat illi famam.' Val. Maximus II. 2. ex. 6. 'Qui hodieque senaculum appellatur:' ubi eodem modo evariant codd. Spartianus Hadr. c. 3. 'Unde hodieque imperatores sine penulis a togatis videntur:' et in Ælio Vero c. 4. 'Quæ hodieque legitur.' Minuc. Felix, Oct. c. 23. 'Cur etiam, si nati sunt, non hodieque nascuntur?' et c. 30. 'Hodieque ab ipsis Latiaris Jupiter homicidio colitur.' Et hanc vocem aliquoties Livio reddere conatus fuit Gronov. vide Cellar. Cur. Poster. *Arntzen.*

Inscriptum] Uterque Leid. simpliciter *scriptum*, quod quamvis ferri posset, præfero tamen compositum. 'Inscribere' enim sæpe pro insculpere ponitur, et præsertim adhibetur de monumentis sepulcrorum, quæ titulis erant insignita. Ovid. Ep. Her. II. 145. 'Inscribere meo caussa invidiosa sepulcro.' Et Epist. VII. 193. 'Nec consumta rogis inscribar, Elissa Sichæi.' Cicero Tusc. Quæst. v. 35. 'Quid aliud in bovis, non in regis sepulcro inscriberes?' Plinius Epist. IX. 19. 'Jussisse Virginium Rufum inscribi sepulcro suo.' Lucanus VIII. 792. 'Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen:' unde Noster inf. cap. 77. 'Inscribente sepulcro, Hic situs est Magnus.' Val. Maximus v. 3. ex. 2. 'Sepulcro suo inscribi jubendo:' ubi eodem modo confunditur. Tibullus El. I. 3. 54. 'Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:' quamvis id loco suo moverit Broukhusius, cui non admodum repugno; ferri tamen potest. *Arntz.*

CAP. XLIII. § 1 *Maximus*] Maximi cognomen idem principium habuit, teste Livio in hac familia, ab eo primum, qui omnem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, easque urbanas appellavit, et instituit equites

Idibus Quinctilibus transvehi. *Mach.*

Cunctator] A mora, qua Hannibalem vicit. Virg. Æneid. lib. VI. 'Cunctando restituit rem.' *Mach.* Cognomen quidem hoc primis temporibus contumeliæ caussa inditum videtur fuisse, unde Minucius Fabium increpans apud Liv. XXII. 14. 'Vereor ne, sic cunctantibus nobis, Hannibali ac Pœnis toties servaverint majores nostri.' Postea tamen gloriæ adscriptum, neque enim raro cunctatio in laude ponitur. Incerti Paneg. Constant. cap. 15. fine: 'Sapientis enim est imperatoris, fractis rebus, cunctando consulere:' et Duker. ad Flor. II. 6. § 27. *Arntz.*

Verrucosus] Quod parvam elationis carnem innatam in superiori labri extremitate habebat: *verruca* enim id significat, et omnem summitatem. Ut apud Gellium: 'In montis verruca.' *Mach.* Scribitur autem in Capitolinis marmoribus *Verrucossus*, sic dictus, ait Plutarchus, ὅτι ἀκροχορδόνα μικρὰν ἐπάνω τοῦ χείλους ἐπιπεφυῖαν haberet. Vide ἀκροχορδὼν apud Galenum in definitionibus Medicinæ. De verruca Serenus poëta: 'Interdum existit turpi verruca papilla: Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit, Qui solus patriæ cunctando restituit rem. Id poterit vitium sanguis curare lacertæ.' M. Cato 'verrucam' locum editum et asperum in Originibus etiam appellat, teste Agellio Noct. III. 7. *Schott.* De verruca etiam Sueton. Domit. cap. 17. § 3. et Seneca de Vita Beata cap. 27. Ab hoc corporis vitio *Verrucosus* dictus est Fabius, idque ei cognomen tribuit Senec. de Benef. II. 7. et Corrad. ad Cicer. in Bruto cap. 14. Unde apparet minus bene quatuor Mss. et aliquot vetustas edd. scribere *verucosus* et *veruca*, quomodo et a librario peccatum inveni in scripto cod. Persei Sat. I. 77. 'Et verucosa moretur Antiopa.' *Arntz.*

In labris ita] Emendavi locum de Mss. nam depravatus haud dubie circumfertur. Scripserat auctor *in labris sita:* ex literæ ejusdem repetitione sigma omissum, adjectum *ut*, cui *ita* responderet: *ut verrucosus ita.* O corruptores servum pecus! Observavi Plinium eodem verbo corruptum Nat. Hist. III. 5. 'Stœchades,' inquit, 'a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem: quas item nominant singulis vocabulis Prote, Mese,' &c. legit Pintianus ex antiquo codice, *dictæ propter ordinem quo sitæ sunt. Nomina singulis Prote, Mese.* In Mss. Hieronymi Suritæ Hispani sic reperi: *propter ordinem erunt. Nomina singulis, &c.* unde legendum *propter ordinem earum.* Schott. Non video cur adeo vulgata lectio viro eruditissimo displicere potuerit; ipse potius librariorum errori tribuerim, quod ultimum *s* vocis præcedentis ad sequentem *ita*, transtulerint. Insolentior præterea videtur locutio *verruca sita.* Et tamen rectam esse hanc Schotti emendationem pronunciavit ille, alienæ semper sententiæ accessio, Keuchenius ad Sammonicum p. 294. Vellem adfirmationis suæ addidisset rationem, non enim in rep. litteraria res pro inperio tractanda est. Ego a vulgata lectione non recessi, quod eam tueantur omnes Mss. et inpressi, nisi quod solus Haun. *et Verr. a v. in l. item.* Et quis nescit *ut* recte eleganterque poni, sequente *ita* vel *sic?* Cicero de Off. II. 14. 'Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni:' et Orat. Phil. IX. 1. 'Ut igitur alia, sic hoc C. Pansa præclare.' Corn. Nepos Hann. c. 7. § 4. 'Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur:' et Symmachus Epist. I. 18. 'Sed ut hoc meæ verecundiæ competit, ita tuæ humanitatis est:' ut volunt Mss. cum in editis quoque exprimatur *item;* quod apud Nostrum malebat Haun. *Arntz.*

Ovicula a clementia morum] Plu-

tarchus. Ὁ δὲ οἰικούλας σημαίνει τὸ πρόβατον: ἐτέθη δὲ πρὸς τὴν πραότητα τοῦ ἤθους ἔτι παιδὸς ὄντος. *Ovicula ovem significat. Illud autem ei nomen impositum propter morum clementiam, cum adhuc puer esset.* Ovis enim symbolum πραότητος, ut et e sacris literis discimus. *Schott.* et *Anna.*

Ligures] Populi ab Alpibus ad mare usque inferum, alias Ligusticum et Thyrrhenum, dicuntur; vel a Ligure rege, vel a leguminum copia. *Mach.* Msc. unus *Lyginibus*, quos populos, ut verum fatear, ignoro: *Ligures* de meliori nota novi, propter Genuam, quæ Jacobum Mariam Cervettum juvenem patricium, mei olim Lovanii in studiorum ratione observantissimum, produxit. [Hæc postrema auctor postea deleri voluit.] *Schott.*

§ 3 *Minucium*] Libri Fasti, lapides et Græci per *c. Schott.* Not. Min. Dausq. Orth. part. II. p. 199. et Oudend. ad Lucan. VI. 126. *Arntz.*

Æquari sibi passus] Ob querelas crebras Romæ de ipsius negligentia jactatas maxime a Metello tribuno plebis persuadente. *Mach.* Corrupte Fran. *magistrum equitum in prælio æquari.* Cornel. Nepos Hann. cap. 5. 'Pari ac dictatorem imperio.' *Arntz.*

Periclitanti] Actum de illo erat, nisi succurrisset adversus Hannibalis vaframenta, ob quod beneficium acceptum patrem optimum eum Minucius nominavit deposita imperii dignitate, ut constanti ac experto duci parentissimus foret. *Mach.*

Periclitanti subvenit] Nimirum ea est generosæ animæ honestas, ut non modo nihil noceat inimicis suis, sed etiam prosit; ut prolixa diduxi diatriba, ad Taciti Annal. II. 55. ubi Germanicus tanta dicitur egisse mansuetudine, 'ut cum orta tempestas raperet in abrupta Cn. Pisonem, possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremes, quarum subsidio discrimini eximeretur.' Bene ergo Lactantius VI. 18. 'Non minus mali est, referre injuriam, quam inferre.' *Grut.*

§ 4 *Falernum*] Opidum Campaniæ vini generositate celebre. *Mach.*

Inclusit] Haun. uterque Leid. et Fran. *induxit;* sed nihil muto. Livius XXII. 16. 'Inclusus inde videri Hannibal:' et paucis interpositis, 'Nec ubi Romanus inclusum vallibus agmen adgrederetur.' Nepos Hann. cap. 5. 'Q. Fabius Maximus dictator Rom. in agro Falerno se ei objecit. Hic clausus locorum angustiis.' Silius VII. 309. 'Et vallet clauso collectos miles in orbe.' Et vs. 389. 'Vidisti clausum Hannibalem: nil miles et alæ Juvere, aut densis legio conferta maniplis. Testor te, solus clausi; nec deinde morabor.' Et ληφθεὶς dicitur Annibal apud Appian. Bell. Hann. pag. 556. Omnia autem hæc loca de clauso in angustiis Hannibale loquuntur, cum per errorem fauces intrasset, ut latius narrat Livius. Notandus est ille descriptorum error, quibus facile erat *cl* commutare in *d*, vel *d* iterum resolvere in *cl* propter ductuum similitudinem. Ex hac regula multa loca sanavit ὁ πάνυ Salmasius Exerc. Plin. p. 296. et 297. Gronov. ad Melam I. 7. p. 39. Carrio ad Val. Flaccum VI. 66. Burmann. ad Ovid. Tr. El. IV. 9. 3. Drakenb. ad Silium II. 52. Duker. ad Flor. I. 26. § 2. et Cort. ad Sallust. Jug. cap. 22. § 1. *Arntz.*

§ 5 *Manlium*] Mss. *Marium.* Forte *Marsum* legerat scriba, quomodo a Plutarcho in Fabio appellatur. Valerius lib. VII. nomen omittit. *Schott.* Alter Palat. et Mss. omnes Schotti *Marium*, unde ipse faciebat *Marsum;* non male. Nam Plutarchus in Fabio, quamvis nomen reticeat nominat tamen a patria *Marsum*, at enim Val. Max. VII. 3. videtur facere *Nolanum*, et vero eadem indulgentia L. Bantium sibi conciliavit Marcellus, apud Liv. XXIII. 14. *Gruter.* Sed cur quid-

Idibus Quinctilibus transvehi. *Mach.*

Cunctator] A mora, qua Hannibalem vicit. Virg. Æneid. lib. VI. 'Cunctando restituit rem.' *Mach.* Cognomen quidem hoc primis temporibus contumeliæ caussa inditum videtur fuisse, unde Minucius Fabium increpans apud Liv. XXII. 14. 'Vereor ne, sic cunctantibus nobis, Hannibali ac Pœnis toties servaverint majores nostri.' Postea tamen gloriæ adscriptum, neque enim raro cunctatio in laude ponitur. Incerti Paneg. Constant. cap. 15. fine: 'Sapientis enim est imperatoris, fractis rebus, cunctando consulere:' et Duker. ad Flor. II. 6. § 27. *Arntz.*

Verrucosus] Quod parvam elationis carnem innatam in superiori labri extremitate habebat: *verruca* enim id significat, et omnem summitatem. Ut apud Gellium: 'In montis verruca.' *Mach.* Scribitur autem in Capitolinis marmoribus *Verrucossus*, sic dictus, ait Plutarchus, ὅτι ἀκροχορδόνα μικρὰν ἐπάνω τοῦ χείλους ἐπιπεφυῖαν haberet. Vide ἀκροχορδὼν apud Galenum in definitionibus Medicinæ. De verruca Serenus poëta: 'Interdum existit turpi verruca papilla: Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit, Qui solus patriæ cunctando restituit rem. Id poterit vitium sanguis curare lacertæ.' M. Cato 'verrucam' locum editum et asperum in Originibus etiam appellat, teste Agellio Noct. III. 7. *Schott.* De verruca etiam Sueton. Domit. cap. 17. § 3. et Seneca de Vita Beata cap. 27. Ab hoc corporis vitio *Verrucosus* dictus est Fabius, idque ei cognomen tribuit Senec. de Benef. II. 7. et Corrad. ad Cicer. in Bruto cap. 14. Unde apparet minus bene quatuor Mss. et aliquot vetustas edd. scribere *verucosus* et *veruca*, quomodo et a librario peccatum inveni in scripto cod. Persei Sat. I. 77. 'Et vérucosa moretur Antiopa.' *Arntz.*

In labris ita] Emendavi locum de Mss. nam depravatus haud dubie circumfertur. Scripserat auctor *in labris sita*: ex literæ ejusdem repetitione sigma omissum, adjectum *ut*, cui *ita* responderet: *ut verrucosus ita*. O corruptores servum pecus! Observavi Plinium eodem verbo corruptum Nat. Hist. III. 5. 'Stœchades,' inquit, 'a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem: quas item nominant singulis vocabulis Prote, Mese,' &c. legit Pintianus ex antiquo codice, *dictæ propter ordinem quo sitæ sunt. Nomina singulis Prote, Mese.* In Mss. Hieronymi Suritæ Hispani sic reperi: *propter ordinem erunt. Nomina singulis, &c.* unde legendum *propter ordinem earum.* Schott. Non video cur adeo vulgata lectio viro eruditissimo displicere potuerit; ipse potius librariorum errori tribuerim, quod ultimum *s* vocis præcedentis ad sequentem *ita*, transtulerint. Insolentior præterea videtur locutio *verruca sita.* Et tamen rectam esse hanc Schotti emendationem pronunciavit ille, alienæ semper sententiæ accessio, Keuchenius ad Sammonicum p. 294. Vellem adfirmationis suæ addidisset rationem, non enim in rep. litteraria res pro imperio tractanda est. Ego a vulgata lectione non recessi, quod eam tueantur omnes Mss. et inpressi, nisi quod solus Haun. *et Verr. a v. in l. item.* Et quis nescit *ut* recte eleganterque poni, sequente *ita* vel *sic?* Cicero de Off. II. 14. 'Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni:' et Orat. Phil. IX. 1. 'Ut igitur alis, sic hoc C. Pansa præclare.' Corn. Nepos Hann. c. 7. § 4. 'Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur:' et Symmachus Epist. I. 18. 'Sed ut hoc meæ verecundiæ competit, ita tuæ humanitatis est:' ut volunt Mss. cum in editis quoque exprimatur *item;* quod apud Nostrum malebat Haun. *Arntz.*

Oviculа a clementia morum] Plu-

tarchus. Ὁ δὲ ὀϊικούλας σημαίνει τὸ πρόβατον: ἐτέθη δὲ πρὸς τὴν πραότητα τοῦ ἤθους ἔτι παιδὸς ὄντος. *Ovicula ovem significat. Illud autem ei nomen impositum propter morum clementiam, cum adhuc puer esset.* Ovis enim symbolum πραότητος, ut et e sacris literis discimus. *Schott.* et *Anna.*

Ligures] Populi ab Alpibus ad mare usque inferum, alias Ligusticum et Thyrrhenum, dicuntur; vel a Ligure rege, vel a leguminum copia. *Mach.* Msc. unus *Lyginibus*, quos populos, ut verum fatear, ignoro: *Ligures* de meliori nota novi, propter Genuam, quæ Jacobum Mariam Cervettum juvenem patricium, mei olim Lovanii in studiorum ratione observantissimum, produxit. [Hæc postrema auctor postea deleri voluit.] *Schott.*

§ 3 *Minucium*] Libri Fasti, lapides et Græci per *c*. *Schott.* Not. Min. Dausq. Orth. part. II. p. 199. et Oudend. ad Lucan. VI. 126. *Arntz.*

Æquari sibi passus] Ob querelas crebras Romæ de ipsius negligentia jactatas maxime a Metello tribuno plebis persuadente. *Mach.* Corrupte Fran. *magistrum equitum in prælio æquari.* Cornel. Nepos Hann. cap. 5. 'Pari ac dictatorem imperio.' *Arntz.*

Periclitanti] Actum de illo erat, nisi succurrisset adversus Hannibalis vaframenta, ob quod beneficium acceptum patrem optimum eum Minucius nominavit deposita imperii dignitate, ut constanti ac experto duci parentissimus foret. *Mach.*

Periclitanti subvenit] Nimirum ea est generosæ animæ honestas, ut non modo nihil noceat inimicis suis, sed etiam prosit; ut prolixa diduxi diatriba, ad Taciti Annal. II. 55. ubi Germanicus tanta dicitur egisse mansuetudine, 'ut cum orta tempestas raperet in abrupta Cn. Pisonem, possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremes, quarum subsidio discrimini eximeretur.' Bene ergo Lactantius VI. 18. 'Non minus mali est, referre injuriam, quam inferre.' *Grut.*

§ 4 *Falernum*] Opidum Campaniæ vini generositate celebre. *Mach.*

Inclusit] Haun. uterque Leid. et Fran. *induxit*; sed nihil muto. Livius XXII. 16. 'Inclusus inde videri Hannibal:' et paucis interpositis, 'Nec ubi Romanus inclusum vallibus agmen adgrederetur.' Nepos Hann. cap. 5. 'Q. Fabius Maximus dictator Rom. in agro Falerno se ei objecit. Hic clausus locorum angustiis.' Silius VII. 309. 'Et vallet clauso collectos miles in orbe.' Et vs. 389. 'Vidisti clausum Hannibalem: nil miles et alæ Juvere, aut densis legio conferta maniplis. Testor te, solus clausi; nec deinde morabor.' Et ληφθεὶς dicitur Annibal apud Appian. Bell. Hann. pag. 556. Omnia autem hæc loca de clauso in angustiis Hannibale loquuntur, cum per errorem fauces intrasset, ut latius narrat Livius. Notandus est ille descriptorum error, quibus facile erat *cl* commutare in *d*, vel *d* iterum resolvere in *cl* propter ductuum similitudinem. Ex hac regula multa loca sanavit ὁ πάνυ Salmasius Exerc. Plin. p. 296. et 297. Gronov. ad Melam I. 7. p. 39. Carrio ad Val. Flaccum VI. 66. Burmann. ad Ovid. Tr. El. IV. 9. 3. Drakenb. ad Silium II. 52. Duker. ad Flor. I. 26. § 2. et Cort. ad Sallust. Jug. cap. 22. § 1. *Arntz.*

§ 5 *Manlium*] Mss. *Marium*. Forte *Marsum* legerat scriba, quomodo a Plutarcho in Fabio appellatur. Valerius lib. VII. nomen omittit. *Schott.* Alter Palat. et Mss. omnes Schotti *Marium*, unde ipse faciebat *Marsum*; non male. Nam Plutarchus in Fabio, quamvis nomen reticeat nominat tamen a patria *Marsum*, at enim Val. Max. VII. 3. videtur facere *Nolanum*, et vero eadem indulgentia L. Bantium sibi conciliavit Marcellus, apud Liv. XXIII. 14. *Gruter.* Sed cur quid-

quam mutemus contra consensum Mss. quæ omnes *Marium* volunt, licet dissentiant editi, et, ut conjicio, codex Grammii, cum nulla varietatis mentio fiat, eo loco, ubi Schottus *Manlium* expresserat? Nos exemplum secuti summi Gronovii ad Liv. XXII. 42. *Marium* admisimus, uti ibi hoc loco scribendum esse in notis monuerat. Si *Marsum* voluisset auctor, credo scripsisset *Statilium patria Marsum*, aut certe simpliciter *Statilium Marsum*, ne scilicet tanquam prænomen adhiberet, neque enim hoc fieri solet ab historicis, ut nomen gentis vel patriæ ipsi nomini proprio præmittant. Longe alia ratio est nominum Romanorum, alia reliquorum Italorum, neque ad illorum normam talia refingenda sunt. Vide Vossium ad Vell. II. 16. et Gronov. patrem ad Liv. I. 49. *Arntz.*

Statilium] Frontin. Strat. IV. 7. ex. 36. ‘Q. Maximus transfugere ad hostes volentem Statilium vocari ad se jussit.’ *Arntz.*

Donatis] Scribit Leid. 2. *Donatum*; ut Virg. Æn. V. 305. ‘Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.’ Et Val. Max. II. 10. ex. 2. ‘Regiis muneribus donatum:’ sed vulgatum tueor vel hoc Frontini, qui sæpe Nostro eadem scribit, IV. 7. ex. 36. ‘Tum donato ei equo, pecuniam insuper largitus.’ *Arntz.*

Ob amorem mulieris infrequenti] ‘Infrequens’ militare vocabulum Livio, Ausonio, Plauto et aliis. Cornificius ad Herenn. lib. IV. ‘Prætereo, quod militiæ te infrequentem tradidisti.’ Agellius XVI. 4. ‘Miles, cum die, qui prædictus est, aberat, neque excusatus erat, infrequens appellatur miles, qui abest, abfuitque a signis.’ Plura doctissimus Lipsius Noster Antiq. Lect. V. 6. et de Militia Romana lib. V. dial. 8. *Schott.*

Eandem] Leid. 1. pronomen delet; offendebat scilicet hæc vox, quæ sine necessitate videbatur interposita. Sed aliter putasset, si scivisset, optimos scriptores eis pronominibus uti sic, ut abundare videantur. Livius XLV. 2. ‘Quod militum Corcyræ, Brundusii, ad mare superum, aut in agro Larinati esset . . . hos omnes milites dimitti placuit.’ In Apologia sua Apul. p. 274. ‘Calumniam Magiæ, quæ facilius infamatur quam probatur, eam solam sibi delegit ad accusandum.’ Confer ibi Casaub. Duker. ad Flor. IV. 12. § 28. Cort. ad Cicer. Epist. ad Fam. Ep. VII. 9. et 26. et nos supra ad cap. 27. § 1. *Arntz.*

Ab hostibus] Carthaginiensibus. *Mach.*

Recepit] Per causam cujusdam adolescentis Tarentini, qui habebat, militans sub Fabio, sororem in urbe sibi amantissimam fidelissimamque amatam a Bruttio juvene, urbi ab Hannibale præposito, pellicente congressu nocturno muliere ad se amatorem, occasio data fuit Fabio prodeundi, volenteque Brutio, immo signum exhibente, contra Tarentinorum spem (inquam) opportunitas commoda fuit duci Romano scalis appositis urbem ingredi. *Mach.*

Herculis] Alias Deorum imagines dimisit inquiens ‘Deos iratos Tarentinis relinquamus.’ *Mach.*

§ 7 *Quod pactum*] Factum id ante Cannensem cladem, et prius quam æquaretur Minucius dignitate; Plutarchus. Non igitur hic habita in narrando accurata ratio temporis. *Schott.* Not. Min.

Ducentis millibus] Ex veteri scriptura Leid. 1. *milibus*, quod est tralatitium. Broukh. ad Prop. El. I. 5. 10. *Arntz.*

Vendidit] Per filium, nec unquam acceptavit pecuniam, volentibus reddere Romanis. *Mach.*

Fidei suæ] Ut sit, pronomen *sua* Mss. adjiciunt. *Schott.* Aliter tamen apud me et editi et scripti, et sine damno sententiæ abesse pe-

test. *Arntz.*

CAP. XLIV. § 1 *Publius Scipio Nasica*] Ut supra sæpe ἀνιστορήτως historias duorum confudit hic scriptor, ita et isto loco non semel patris et filii gesta, ambiguitate nominum deceptus, permiscuit. Quod cum Schottus, Sigonius, Sylburgius perpetuo fere annotarint, nemo mihi vitio vertet, si taceo, neque id etiam repeto. Malim enim ab ipsis peti, quam fungi persona actuarii. *Grut.*

Matrem Deum] Hinc quidam colligunt Scipionem Nasicam non solum Megalenses ludos instituisse, sed et templum Matris Idææ dedicasse; etsi id neget Ovid. Fast. lib. IV.: 'Nasica excepit, templi non exstitit auctor; Augustus nunc est, ante Metellus erat.' Quare priorem Nasonis versum sic tentabat Pomp. Lætus: *templi tunc exstitit auctor.* Schott. Schol. Juv. ad Sat. III. 137. *Arntz.*

§ 2 *Is cum adversum*] Ad filium hæc pertinent, superiora ad patrem. *Schott.* Prima narratio de Scipione Nasica pertinet ad patrem; sequentes ad filium, itaque sequenti versu pro relativo *is*, quod a vulg. libris abest, reponi posset *ejus filius:* error autem hic cum aliis auctorum testimoniis convincitur, tum eo Ciceronis loco, qui a Sigonio citatur 170. 6. Valerium quoque hujus confusionis notat idem Sigonius 198. 17. idem Nasicarum stirpem luculenter exponit 305. 15. *Sylb.* Reprehendit hunc quoque errorem Pighius Ann. tom. II. p. 406. Stemma Scipionum, quod in ultimo capite e Sigonio Emend. II. 42. adtulit Schottus, latius exposuit Rupertus ad l. 2. § 37. ff. de Orig. Jur. *Arntz.*

§ 3 *Ambitio*] Est nimia honorum affectatio: ambitus vero pecuniæ corruptio. *Mach.*

Consul Delminum] Iterum consulem fuisse anno IↃXCVIII. Cicero in Bruto auctor est. *Schott.* Variis modis, uti solent nomina propria, hanc urbem expresserunt scribæ: *Diluminum* Fran. *Delimnium* Leid. 1. *Delmum* Haun. Ceteri et ed. Ven. *Delminum*, quod consensu plurimorum recepi nixus auctoritate Eustathii ad Dionysii Orb. Desc. vs. 97. Ἡ δὲ πόλις αὐτῶν Δάλμιον, ἢ Δελμίνιον, ἢ Δέλμινον. Scio quidem hanc scripturam rejici a Modio, et, cui eruditorum vestigia legere mos est, Keuchenio ad Frontin. III. 6. ex. 11. Sed cum judicii sui nullam addant rationem, nondum sola auctoritate persuadent. Et certe Δάλμιον ab aliis esse dictam, ut tradit Eustat. constat ex Stephano in illa voce, ubi quem laudat Appiani locum qui *Delminium* dixerat, hodie non exstat, nisi Latina interpretis versione p. 1200. ed. Tollii. Porro de vocis Dalmatiæ seu Delmatiæ scriptura etiam non eadem sentiunt omnes, et certum *Delmatia* recte etiam scribi, cum ita nummi et lapides antiqui. Vide Harduin. de Numm. Ant. p. 132. Dausq. Orthogr. part. II. p. 104. Pighium Ann. tom. II. 428. Atque ita editum apud Velleium II. 39. § 3. et aliis ibidem locis. Sed codd. Mss. uti nostri omnes et edd. et illa ipsa, quam possidemus Gryphii, *Dalmatæ* et *Dalmatia* præferre solent. Idem de aliis testantur Duker. ad Flor. IV. 12. § 3. et Oudend. ad Lucan. II. 402. nec aliter infra Epit. cap. I. § 7. et cap. IV. § 4. &c. *Arntz.*

§ 5 *Imperator*] Nomen est militare. Nemo illud assequebatur, nisi cujus exercitus, victoria parta, X. millia hominum internecioni dedisset. *Mach.* Quod de imperatoris nomine hic dicitur, P. Scipioni Africano Plutarchus adscribit, ut in nomine Scipionum falsum credam auctorem nostrum. *Schott.*

Triumphum oblatum recusavit] Recte enim Octavianum Augustum triumphalem lauream folia infructuosa

appellare solitum refert S. Aurel. Victor. *Schott.*

Sapientissimus] Quid si *sagacissimus* legas? quod ingenii proprium. Nihil tamen muto. In corde sapientiam quidam collocarunt: animam alii vocarunt. Hinc cordati, et excordes, vecordesque. Cic. Tusculan. lib. I. *Schott.* Not. Min.

Corculum] Apud physicos lego animalia habentia minimum cor, esse prudentiora; inde homini est pusillum, virtute unita fortiore se ipsa dispersa: e contrario videmus boves, cervos, et alia bruta, habentia magnum cor. Homerus Iliad. I. *Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.* Id conviciatus Achilles iratus Agamemnoni. Latine, *Vino gravis, ocule canine, cor cervinum.* Mach. De 'Corculo' vide Pomponium JCtum l. 2. de Origine Juris, Ciceron. in Bruto et Tusculanis Disputationibus. Confundit autem historiam rursum Scipionum patris et filii, ut et Val. Max. VII. 5. quod admonendum ne quis erraret duximus. Quoniam vero erravit in stemmate Scipionum scriptor hic noster, et, ut dixi, Val. Max. ac Liviana Epitome, idcirco apponam integre e doctissimi Sigonii Emendat. lib. II. &c.

P. Scipio Nasica, qui adoptatus a Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est: Cos. IↃCCI. Cicero ad Attic. lib. VI. Pro Domo sua et in Bruto.	Pater P. Scipio Nasica.	Avus P. Scipio Nasica orator, Cos. IↃXLII. Uxor Cæcilia Macedonici filia.	Proavus P. Scipio Nasica Serapio, Cos. IↃCI.	Abavus Paternus C. Lælius, Cos. IↃCXIII.
	Mater Licinia filia C. Lælii.	Avus maternus L. Licinius Crassus orator, Cos. IↃCLVIII. Ejus uxor Mucia filia C. Lælii.	Proavus maternus Q. Mutius Scævola augur, Cos. IↃCXXXVI. Ejus uxor Lælia filia C. Lælii.	Maternus P. Scipio Nasica Corculum, Cos. IↃXCI. et IↃXCVIII. *Schott.*

Cap. XLV. § 1 *Marcellus*] De hac pugna egregie Petrarcha in triumphis inquit: *Vide el bono Marco Marcello che supra la riva di po apresso gia stesso occiso con le sue mani el gran ribello.* Virg. Æneid. VI. 'Gallumque rebellem, Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.' Tertius autem a Romulo spolia opima Jovi Feretrio tulit. *Mach.*

Viridomarum] Ita vulgati omnes. Vet. lib. et Fast. Rom. *Virdumarus* quatuor syllabis scribunt, et quincta vocali. Quidam calamo exarati *Viriodomarus* sex syllabis. Propert. lib. IV. tetrasyllabum facit. 'Virdomari genus hic Rheno jactabat ab ipso, Nobilis erectis fundere gesa rotis.' Plutarchus hoc nomen ignorasse videtur, in Romulo enim et Marcello 'Britomartum' et 'Briomartum' nominat. Jos. Scaliger in quibusdam

libris 'Virdumani' reperit apud Propertium. *Schott.* Haun. *Marc. Vir Romanus Brennum Gall.* Audierat ille, Brennum olim Romam incendio delevisse, sed omnes Gallorum duces ideo Brenni appellandi non erant. *Viridumarum* exprimunt alii apud Cæsar. Bell. Gall. VII. 38. et 55. alii *Virdumarum*; confer Pighium Ann. tom. II. 130. Vinet. ad Eutrop. III. 6. et ad Florum loc. laud. Fabric. ad Oros. IV. 13. et alios. 'Briomartum' seu 'Briomarum,' quod eum appellet Plutarchus in Marc. p. 302. inde fortasse factum est, quoniam confuderit duorum ducum nomina; Britomaro enim duce Galli ab Æmilio fuerunt victi. Florus II. 4. § 3. et sic *Briomatum* hic legit Leid. 1. et Boend. Sed nihil incertius est in historia Romana, quam nomina propria Germanorum, cum Germanica Latino ore durum quid sonarent, præsertim illis temporibus, cum veteri sua lingua loquebantur, ex qua derivanda sunt omnia illa vocabula, quod recte dudum monitum viris eruditis. *Arntz.*

§ 2 *Spolia legit apud Nolam. Hannibalem primus*] Præclare locum hunc mutilum restitui ex membraneis codd. nisi vehementer fallor. Nec enim consentaneum vero, cum et Romuli et Cossi opima spolia tam diligenter referat, tertia ab illo studio esse præterita, nec enim plura fuisse leguntur. *Schott.* Absunt tamen ab omnibus et scriptis et editis, quare uncis inclusimus. *Arntz.*

Jovi Feretrio] Virgil. tamen Æneid. VI. Quirino suspensa canit: 'Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis Ingreditur, victorque viros supereminet omnes! Hic rem Romanam magno turbante tumultu Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumque rebellem, Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.' De qua controversia Servius, et Sex. Pompeius lib. XIII. de Verborum Significatione, et nos in Cornelio Cosso quædam. *Schottus.*

§ 3 *Cederent*] Ambiguum, an, quod mihi videtur, diphthongo hic scribendum, hoc est, Hannibalem vinci posse, ut de Pœnicis militibus intelligatur. Sed *ne quomodo milites cederent* non nemo legendum putabit ex Plutarcho in vita et comparatione Marcelli cum Pelopida. *Schott.* Not. Min. Pro *cederent*, Schottus legendum putat *incederent*; vel *milites ejus caderent*. Editam scripturam si retineamus, sensus erit, 'docuit milites, quomodo cederent, sed ita tamen, ut non præberent terga.' *Sylb.* Annotant viri doctissimi forte legendum *incederent*, vel *milites ejus cæderent*; non est profecto: aliud enim adverso vultu gradu lento turmatim retrocedere, aliud perturbatis ordinibus aufugere. Qui urgente vi adversariorum pedem proferre nequeunt, eum sensim et restitantes referunt; more leonis, qui in campo deprehensus, canum venantiumque impetum haud tolerat, cujus mentio apud Plin. Nat. Hist. VIII. 16. qui terga præbent, passim in fugam effunduntur, et omnes quidem acerrimo cursu; nonnulli etiam abjectis armis: uti pluribus ostendi in dissertationum Livianarum farragine. Allusit pulcre imagini illi Seneca lib. de Tranq. Animi c. 3. 'Nec ego negaverim, aliquando cedendum; sed sensim relato gradu, et salvis signis, salva militari dignitate. Sanctiores tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt. Hoc puto virtuti faciendum, studiosoque virtutis: si prævalebit fortuna, et præcidet agendi facultatem, non statim aversus inermisque fugiat, latebras quærens,' &c. *Grut.* Et oppositum illud, *nec terga præberent*, satis verum sensum indicat, quem recte exposuit Gruterus. *Arntz.*

§ 4 *Apud Nolam*] Lego *Hannibalem apud Nolam primus, &c.* ex Val. Max.

I. 7. *Schott.*

Locorum angustia] Nam tertia porta reclusus est Nolæ. *Mach.*

Vinci docuit] De quo Plutarchus his verbis meminit: 'Hic primum Hannibal terga Romanis ostendit.' Pœni itaque terrore ac vulneribus confecti in castra compulsi sunt: in ea pugna plura quinque millibus hostium desiderata feruntur, ex Romanis vero non plures quingentis. Livius tantam hostium stragem fuisse nequaquam asserit. *Mach.* Hæc duo verba non ferunt Gramm. cod. et Ven. *vindicavit* præferentes; hic scilicet usus verbi 'docere' ignotior videbatur: Claudian. Bell. Get. vs. 138. 'Primus fulmineum lento luctamine Pœnum Compressit Fabius; campo post ausus aperto Marcellus vinci docuit.' Seneca Herc. Fur. vs. 241. 'Sæva Lernæ monstra, numerosum malum, Non igne demum vicit, et docuit mori?' Similiter Claud. Bell. Get. vs. 10. 'Cunctis faciles jam puppibus hærent Ut vinci didicere semel.' *Arntz.* In eadem historia voculam *posse* addit Val. Max. IV. 1. ex. 7. 'Marcellus, qui primus et Hannibalem vinci, et Syracusas capi posse docuit:' unde alicui in mentem veniret illud verbi et hoc loco periisse, et illius locutionis alia exempla protulit Withof. Specim. Gunther. p. 77. Sed nil tentandum invitis codicibus. Florus II. 17. § 8. 'Qui ferocissimas et ad id temporis liberas gentes servire docuerunt.' *Arntz.*

§ 5 *Syracusæ*] Urbs est metropolis, Siciliæ quidem amœnissima. *Machan.*

Per tres annos] Nam Archimedis geometræ machinis diu in obsidione laboravit, tandemque cepit. Syracusanis Dianæ festum inter jocos, ac delicias celebrantibus triumphavit: Romæ autem ovavit minore triumpho, Plutarcho teste. *Mach.* Præpositio eadem notione qua apud Ovid. Epist. Her. XVI. 91. 'Læta domus nato per tempora longa recepto.' *Arntz.*

§ 7 *Insidiis*] Dum cum Crispino ivisset speculatum collem, qui mediastinus erat inter utriusque castra hostis, a Carthaginiensibus circumventus occidit; magnifice sepultus. *Mach.*

Ossa] Plutarchus. Corpus splendide ac magnifice ornatum cremavit Hannibal, postmodum reliquiis in argentea urna conditis coronam imponens auream, filio mitti curavit, quæ dum feruntur, intervenere Numidæ, qui, ut vas corriperent, portantes adorti sunt: parte alia dum obsistitur, vique pugna committitur, ossa disperguntur. Id cum audisset Hannibal, adstantibus dixisse fertur, 'Profecto nil fieri Deo licet invito;' et affectis pœna Numidis, amplius legendas, transmittendasque neglexit reliquias. Unum addam in umbilico hujus capitis. In fine vitæ Marcelli a Plutarcho conscriptæ pedibus quoque me in sententiam fateor ire eruditi Catellani Cottæ Mediolanensis, qui ad perdoctum condiscipulum nostrum Tristanum Calchum regium nunc auricularium in senatu Insubrio judicio desiderati Hermolai Barbari, atque viventis Parrhasii scribit, opusculum istud, quod commentamur, Cornelio Nepoti addici, ita scribentis: 'Plutarchus: hæc a Corn. Nepote, atque Val. Max. scripta traduntur.' [scilicet interceptas reliquias Marcelli.] *Mach.* De his vide quæ ex Plutarcho annotavimus in fragmentis Nepotianis. *Schott.* De more remittendorum ossium in patriam vide Herodian. IV. 1. Justin. XXV. 5. § 2. et Serv. ad Virgil. Æn. I. 623. *Arntz.*

CAP. XLVI. § 1 *Librorum Sibyllinorum*] De qua re lege Livium, Gellium, Macrob. Libros vetula quæ-

dam Deo plena Tarquinio Prisco vendidit, in quibus de Hannibale pellendo talis fuerat sententia: 'Romani, si unquam vomicam illam, quæ longe terrarum venit, pellere vultis a vobis, magnam Deum Matrem arcessendam puto.' *Mach.*

Mater] Alii *Matre*. Schottus. Ita Boend. et Leid. uterque minus concinne. *Arntz.*

Pessinunte] In præpositione hic sibi non constant libri. *E Pessinunte* expresserat Aldus eumque secuti, quomodo est in Leid. 1. et, ut videtur, Gramm. et Haun. *ex* Fran. Tertull. Apol. c. 15. 'Atyn illum Deum ex Pessinunte.' *A Pessinunte*, Boend. edit. Ven. et Mach. Quo modo Livius XXIX. 10. 'Mater Idæa a Pessinunte Romam advecta foret:' ita ex optimis Mss. prætulit magnus Gronovius, uti et apud eundem XXXIV. 3. 'Matrem Idæam a Pessinunte ex Phrygia venientem exceptura sunt.' Præpositionem vero ignorat Leid. 2. uti Val. Maximus VIII. 15. ex. 3. 'Apollinis monitu Pessinunte arcessitam Deam excipi voluit:' et Solinus Polyh. c. 1. p. 8. 'Arcessi sacra Deum Matris Pessinunte:' ita restituit Salmasius, cui adstipulantur excerpta codicis scripti. Livius XXXV. 10. 'Quia Matrem Idæam Pessinunte venientem in Urbem acciperet.' Perinde igitur in tanta varietate, quid eligas nobis media lectio placuit; si alicui aliter videatur, præferat id quod optimum judicet. *Arntz.*

In alto] *In alveo* libri scripti et Agrippin. et 'vado Tiberino extraxit,' inquit Sueton. in Tiberio c. 2. Mihi tamen miraculum augere videtur vox *alto*, i. e. profundo satis loco. Quid enim mirum si in vado steterit? Herodianus lib. I. in ostio Tiberis accidisse refert, ubi vadum fuisse quis credat? Adde adverso flumine id accidisse. *Schott.* Non memini 'altum' legere circa fluvios: si tamen alibi reperitur, belle et heic locum suum tuebitur: sin minus, rescribendum cum Mss. *in alveo stetit.* Palatina tamen exemplaria alterum exhibent. *Grut.* *Adversum Tiberim* Gramm. 'Altus' vero dicitur fluvius ab Ovid. Fast. II. 166. 'In medio gelidæ fons erat altus aquæ.' De ipso Tiberi idem Am. El. III. 6. 69. 'Ter molita fugam, ter ad altas restitit undas.' Tritissimum illud ejusdem: 'In caput alta suum labuntur ab æquore retro Flumina.' Adeoque hic *alto* esse posset 'alto loco;' ubi ad navigandum profundus satis esset fluvius. Vel per 'altum' hic intelligatur caput fluvii, ubi in mare exit, eo enim loco navem constitisse scribit Ovidius Fast. IV. 291. 'Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum Dividit.' *Arntzen.*

§ 2 *Claudia*] Ego 'Q. Claudiam' esse puto, cujus statua in vestibulo templi matris Deum posita, bis ea æde incendio consumpta, in sua basi flammis intacta stetit. Val. I. 8. 'Quinctam' etiam appellat Cicero pro M. Cœlio, et de Aruspicum responsis, et Lipsius noster libro de Vestalibus. *Schott.*

Virgo] Hæ enim præ ceteris debebant pudicitiæ et sanctitatis laude esse insignes, et ab omni delibatæ castitatis suspicione longissime remotæ. Elegantissimus quidem Broukhusius ad Propert. El. IV. 11. 52. Claudiam hanc ab omnibus 'matronam' appellari, adeoque non virginem, sed nuptam feminam fuisse existimat, ideoque Statii locum, qui eam 'virginem' dixerat, in aliam sententiam detorquet, quasi virgo etiam de nupta diceretur. Sed si hoc faciant Latini, tum fere ex subjecta materia intelligi potest, ita eam vocem esse exponendam; quod apud Papinium tamen longe aliter se habet. Sed fugerat virum in poëtis versatissimum; tum hic locus, tum alius Sidonii Apollinaris Carm. XXIV. 41. 'Qualis nec Phrygiæ dicata Vestæ,

Quæ contra satis Albulam tumentem Duxit virgineo ratem capillo.' Ad quem locum alia adfert Savaro. Quare etiam eam Vestalem sacerdotem, quam ἔδει παρθενεύεσθαι, *virginitatem servare decebat*, facit Herodian. I. 11. § 11. *Arntz.*

Incestus] Dicitur hoc vocabulum ab *in*, i. e. 'non casto,' literæ mutatione: vel *in* et *cesto*, 'baltheo Venereo.' *Mach.* Correxere emendatores tot fere modis, quot literatores illi veteres dici permisere; alii enim *incestu suspecta*, alii *incesti* secunda inflexione, alii *de incestu*. Schott. Malim *incestus suspecta*. Idem, *Not. Min.* *Incestu* Aldus et qui eum sequuntur: quod videtur malle Burmann. ad Vell. Paterc. II. 35. § 3. sed cum hoc non admittant scripti, malui *incesti* exprimere. Quomodo Livius II. 42. fin. 'Ut Appia virgo Vestalis damnata incesti pœnas dederit.' Epit. Liv. lib. XX. 'Tutia virgo Vestalis incesti damnata est.' Val. Max. IV. 2. ex. 2. 'Qui incesti crimine a tribus Lentulis accusatus.' Obseq. de Prod. cap. 97. 'Tres uno tempore virgines Vestales nobilissimæ cum aliquot equitibus Romanis incesti pœnas subierunt.' Oros. IV. 2. 'Virgo Vestalis convicta damnataque incesti:' et eodem lib. c. 5. 'Capparonia virgo Vestalis incesti rea.' V. 15. 'Virgines Vestales eadem Æmilia ad participationem incesti solicitatas:' et VI. 3. 'Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia virgine Vestali commisisse arguebatur.' Paullo post corrupte *diem* pro *Deam* Leid. 1. *Arntz.*

Ut si pudicam] Lactant. II. 8. 'Ut si se sanctam judicaret, suum cingulum sequeretur.' Alii legunt *et pudicam se sciret, sequeretur*. Schott. In mea ed. Lactantii quæ cura Thysii prodiit, nec alia jam est ad manus, II. 7. pro *sanctam* legitur *castam*; sed præferenda erit Schotti lectio, si Mss. innitatur, cum ignotiore significatione idem indicet, monente jam olim Servio ad Virg. Æn. XI. 158. Spanhem. ad Callim. Lavacro Pall. vs. 53. Broukh. ad Tibull. El. I. 5. 14. Duker. ad Flor. II. 6. § 40. Torren. ad Val. Max. VIII. 15. ex. 12. Ovidio Fast. IV. 296. ubi tamen *castos* præfert Heins. in quatuor codd. *sacros* esse monuit Burm. quomodo variatur apud Senec. Troad. vs. 698. 'Si te revisat conjugis sanctæ torus:' *sacræ* duo Mss. Traj. Posset et hæc vox corrupta esse apud Propert. Eleg. II. 7. 41. 'Penelope poterat bis denos salva per annos Vivere, tam multis fœmina digna procis:' siquidem putarem rectius *sancta* scribi, pudicitia posset *salva* dici, non autem ipsa mulier. Ex his igitur patet, falsum esse Clericum ad Epist. II. Sulpitii Severi c. 32. ubi hæc habentur: 'Præcede et in actu, quos in sanctitatis sanctificatione præcurris:' præstaret, inquit, *sanctimonialis* scribere. Sed non cogitavit vir doctiss. Sulpitium ab elegantia linguæ non esse omnino alienum. 'Sanctitas' hoc loco est castitas. Sed cum alter locus alterum trahit, sum in illis quæ ad Aurelium non spectant, longior quam par est. *Arntz.*

Simulacrum] Pleniores membranæ nostræ quas bona fide expressi, sensu et pleniore et veriore id requirente. Vulgati enim hactenus *Simulacrum matris Deum advexit*, (alii *adduxit*) *templum ædificavit Nasica, qui vir optimus judicabatur.* Supra vero cap. 44. ait matrem Deum, seu matrem Idæam ab Attalo Asiæ rege Romanis legatis traditam a Nasica hospitio acceptam et consecratam, responso ita monente. Vide Plinium XVIII. 3. Nec templum ædificasse Nasicam verum est, sed a Livio et Caio Claudio censoribus auspicatum, et a Junio Bruto dedicatum, teste Livio Annal. XXXVI. *Schott.* J. Grejonius ita cum Livio comparabat: 'Simulacrum Matris Deum adduxit, quod, dum templum ædificatur, a Nasica, qui vir optimus judicabatur, exceptum est, et in ædem Victoriæ latum,' libb. XXIX.

et XXXVI. *Idem*, Not. Min. Schottus in prima ed. expresserat *Simulacrum Matris Deum, dum templum ædificatur, Nasicæ, qui vir optimus judicabatur, quasi hospiti datum*. Non nego, et hanc mihi lectionem præ editis placere, si modo constaret, ab Aurelio esse. Sed tam magnæ varietates semper mihi glossem injiciunt suspicionem, cum non verisimile fiat, librarios talia studio omisisse, et in aliam sententiam detorsisse. Si cui ita videbitur, sequatur Schottum: dedi lectionem omnium codicum et editionum, nisi malis *Matris Deum domum adduxit*, ut ob similitudinem sequens vox sit absorpta. Ædificatorem templi Nasicam etiam facit Ovidius, si sana est scriptura Fast. IV. 347. ' Nasica accepit: templi tunc exstitit auctor: Augustus nunc est, ante Metellus erat:' alii legunt *non*, quod tamen minus apte; quare melius ipsam hanc lectionem videtur amplecti Schottus supra ad cap. XLIV. § 1. *Arntz.*

CAP. XLVII. § 1 *Porcius*] Porciorum certe familia rustica a ' porcis ' pascendis dicta. *Mach.* *Portius* vitiose scribunt aliquot edd. cum tribus Mss. Vide Bosium ad Nepot. Cat. init. Dausq. Orthogr. part. II. p. 246. et Kenchen. ad Frontin. I. 1. ex. 1. Deinde *Tusculano* est in Fran. *Arntzenius.*

A Valerio Flacco] Hic Catonem induxit, animavitque, ut rem Romanam attingeret; motus maxime Catonis vita ac morum modestia. *Mach.*

Solicitatus] *Ductus* scriptum habet unus codex perantiquus. Non male. *Schott.*

Tribunus militum] *Factus* adjicit vetus liber. *Schott.*

Quæstor] ' Ærarii ' subaudi; quia etiam erat criminum. *Mach.*

Fortissimus] Fortitudo est, qua ausus increpare Scipionem, quod prodigalitate continentiam corrumpi permitteret; cui Scipio, se quæstore nimium diligenti non egere respondit. *Mach.*

In prætura] Aliter in Mss. est, *Ex prætura Sardiniam subegit*, unde legendum ratiocinabar *olim obtinuit;* aut sic, *sortitus est*, aut *rexit:* vel *subegit* retinendum, et pro ' tenuit,' aut ' rexit ' interpretandum: vel potius *delegit* reponerem, ut affine magis, exigente id rei veritate: nam Hispaniam citeriorem provinciam, hoc est Celtiberiam, quam consul sortitus erat, pacasse, deque ea triumphum duxisse, refert Polybius, Appianus in Hispanicis, et Latini Romanæ Historiæ racematores. Sardiniam quidem provinciam sortitum Catonem prætorem Liv. lib. XXXII. et Plutarchus Catone commemorat: ' subegisse ' vero nemo, quod equidem meminerim. Judicium tamen amplio. Forte hinc error natus, quod sive Corn. Nepos, sive Æm. Probus ita hæc prior extulisset: ' Ex Sardinia Q. Ennium poëtam deduxerat, quod non minoris æstimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum :' quæ tamen non triumphasse Catonem de Sardis loquuntur, neque subegisse: nondum enim rebellasse eo tempore Sardos legi. *Schott.* Restat in Schotti omnibus Mss. *ex prætura;* ut videatur vox ultima mutanda in aliam, quæ innuat obtinuisse aut sortitum Sardiniam; non autem vi subegisse tanquam rebellem, quod nemo scripsit. Videantur notæ Schotti nostri. Nam Palat. alter habet *fuit: In Sicilia prætura Sardiniam subegit.* Grut. *Ex prætura* hic locum habere haud potest, cum eo tempore nondum provinciæ ' ex prætura ' darentur, sed tantum quatuor legerentur prætores, qui inter se sortirentur præturam Urbanam, Peregrinam, Siciliam et Sardiniam, ut patet ex Pomponio jurisconsulto l. 2. § 32. ff. de O. J. Epitoma Liv. lib. XX. et Solino in Polyhist. cap. 5. Postea demum,

cum inductæ sunt quæstiones perpetuæ, ex prætura in provincia missi sunt Romani magistratus. Neque etiam ferri potest *in Siciliæ prætura*, quod et habet Leid. 1. et facile ex Gruteri lectione effici potest, cum Sicilia et Sardinia eodem tempore factæ sint provinciæ, quæ a prætoribus regebantur, (ut patet ex locis modo allegatis) adeoque Sardinia non potuit subigi a prætore Siciliæ: sed quod vox *Siciliæ* interposita sit, ex superiori versu duxit originem, cujus corruptionis vestigia exstant in Boend. in quo erat *In Sardiniam prætura.* Hunc corrector errorem intelligens, et alio eum vitio cumulans *Siciliæ* fecerat, unde patet ex præcedentibus repetitam a librario fuisse, qui et ibi *in Siciliam* scripserat. Leid. 2. habet *Quæstor S. S. fortissimus fuit. In prætura Sardiniam, &c.* et ita Hann. nisi quod ille *fuit* simul omittat. Hæc lectio quamvis tersior sit, et, ut mihi quidem videtur, multo elegantior; (nam ex repetitione *prætor* et *prætura* facile aliquis duos magistratus efficeret, primumque ad jurisdictionem civilem, alterum provincialem referret, cum saltem semel prætor fuerit, et in ea prætura sorte obtinuerit Sardiniam Cato;) licet, inquam, hæc lectio tersior sit, non tamen tollit difficultatem, quæ oritur ex voce *subegit*. *Obtinuit, sortitus est, rexit* si scripsisset, vere scripsisset Aurelius: sed quis hoc dicet, cum tam multum differant ductus litterarum? Neque *subegit* per 'rexit' audeo exponere, cum Noster non philosophum, sed historicum agit, cujus verba capienda sunt de domita regione, non de vitiis animi et inprobis moribus, in quibus coërcendis asperiorem eum in hac prætura fuisse notat Livius XXXII. 27. *Delegit* autem scribere non potuit, cum sorte eam acceperit, teste Livio XXXII. 8. Quod autem vocem hanc delendam censeat elegantioris sexus decus [Vide Not. Delph.] adsentire nequeo; non enim intelligo, quomodo Gallicis auribus talis constructio placere potuerit, quæ certe apud Belgas, licet crassiori, quod illis objicitur, cœlo adsueti, vitio verteretur. Durius fortasse quis existimet, si vitium hoc ignorantiæ seu ineptiæ auctoris nostri tribuam, præsertim cum illud librariorum culpæ etiam adscribere maluerit Pighius Ann. tom. II. p. 251. Quare et conjecturam meam adscribere, quam perituræ chartæ parcere, satius duxi. Reponerem itaque ego *Sardiniam sorte egit.* 'Sorte' namque divisas fuisse provincias nemo ignorat. Qui dubitat, præter innumera loca conferre potest Liv. lib. IV. capp. 37. et 43. VI. 30. lib. VII. capp. 6. et 38. Senec. de Ira I. 16. fine: Spartian. Sev. capp. 2. et 4. Muncker. ad Lactant. Plac. Narr. Fab. II. p. 275. Schulting. ad ff. de Off. Proc. § 3. Val. Max. VI. 9. ex. 6. Quod idem de hac Catonis prætura testantur Livius et Plutarchus. *Egit* vero erit 'administravit,' 'rexit;' ut 'agere regnum,' de qua locutione confer Duker. ad Flor. I. 6. § 2. Liv. I. 32. 'Inter sacella et aras acturum esse regnum rati.' 'Potestatem agere' apud eundem Flor. I. 7. § 2. 'Imperium agere' Plinius Hist. Nat. VII. 28. Virgil. Æn. I. 574. 'Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur:' ubi Servius *regetur*. Unde 'agere aliquid' dicitur proconsul seu proprætor in provinciis pro 'curare:' l. 1. pr. ff. de Alien. Jud. mut. caussa. l. 1. § 1. ff. Ubi pupill. educ. et l. 1. § 10. ff. de oper. novi nunc. Si res igitur mei esset judicii, præferrem, partim Mss. partim adjutus ingenio, *Quæstor sub Scipione fortissimus fuit; in prætura, Sardiniam sorte egit.* Videant eruditiores. Si quis quid melius adferat, inter primos me reperiet felicioris ingenii æstimatores. *Arntz.*

Ennio] Poëta ingenio maximus, ar-

te carens: de quo ita Cicero in Archia: 'Quare suo jure ille noster Ennius sanctos appellat poëtas.' Ibi etiam: 'Charus fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam in sepulcro Scipionum is putatur esse constitutus.' *Mach.*

§ 2 *Celtiberos*] De illis etiam Lucanus: 'Profugique a gente vetusta Gallorum Celtæ nomen miscentis Hiberis.' *Mach.*

Fecerunt] Omnium urbium muros, quæ intra Bætim sunt amnem, a Catone uno die solo æquatos fuisse, Livius auctor est. *Mach.* *Putarent* a prima manu erat in Fran. ut Livius VI. 3. 'cum pro se quisque tenderent ad portas.' Apul. Metam. VIII. 214. 'Sua quisque brachia dissicant:' et X. 240. 'Varie quisque præsentium auctores insimulabant.' Dict. Cretensis II. 32. 'Cohortati suos quisque acie conflixere.' De hac constructione alia summus Gronov. ad Liv. V. 39. et VII. 19. Burm. ad Quinctil. Decl. XII. 5. ad Ovid. Met. I. 59. et V. 212. et Cort. ad Sall. Catil. cap. 7. § 1. Tamen nulla est necessitas ut quidquam mutes; ceteri enim codd. nihil variant, et hæc ipsa verba, quod et alibi observavimus, exstant apud Frontin. Strat. I. 1. ex. 1. 'Unaquæque urbium sibi soli credidit inperatum.' Neque offendere debet, quod sequens verbum in plurali legatur, nam sic eleganter et alii eos numeros variare solent. Apul. Metam. IV. 147. 'Sic unusquisque proximi periculi confinio territus suppetiatum decurrunt.' Livius VII. 33. 'Hoc spectaculo accensi dextra lævaque ante se quisque memorandum prælium ciet;' ubi tamen *cient* conjecit ὁ πάνυ Gronovius, cum recepta lectio facile locum suum tueatur. Hygini Poët. Astr. cap. 7. pag. 373. 'Ita sibi quisque appeteret, ut membra ejus discerperent:' ubi etiam *appeterent* omnino præferendum ducebat Munckerus. Idem Hyginus fab. CX. 'Vellent in patriam suam quisque reverti, et prædam quisque sibi duceret.' Vide omnino diligentissime more suo de tali variatione agentem Cortium ad Sallust. Catil. c. 23. § 6. *Arntz.*

§ 3 *M' Acilio Glabrione*] *Manius Acilius Glabrio* scribendum ex Capitolinis Tabulis, nam apud Appianum mendose legitur Ἀκίνιος pro Ἀκίλιος. *Schott.* Aliquot scripti *Attilio.* Venet. *Atilio.* Sed nihil hac varietate frequentius. Adi Bongars. ad Justin. XXXI. 6. § 4. Lindenb. ad Ammian. Marcell. XLV. 6. 24. Keuchen. ad Frontin. Strat. II. 4. ex. 4. et Duker. ad Flor. II. 8. § 10. *Arntz.*

Præsidium hostium depulit] Callidromi historiæ referunt. Cato missis militibus suis Firmianis, quibus præerat, speculatorias custodias regis propalavit, qui universum exercitum pavore fugaque consternavere, unde Antiocho lapide icto, excussisque dentibus, ac doloris acerbitate equum avertente, exercitus regius nulla ex parte impetum Romanorum sustinere potuit. *Mach.*

§ 4 *Flamininum*] Patriciæ gentis nomen, non *Flaminium*, ut vulgati. *Schott.* Certum est hunc hominem *Flamininum* fuisse appellatum. Vide Gron. et Schulting. ad Senec. Contr. XXV. init. Neque novum est has voces ita confundi a librariis; exempla dabimus infra ad cap. 51. *Arntz.*

Consularem] Quem liber unus *consulem* facit, non *consularem.* Hoc tamen verum. Nam apud Ciceronem Cato septem annis postquam Cos. fuisset, senatu illum ejecisse narrat. *Schott.* Nihil in nostris variatur. Tamen 'consulem' eum vocat Livius XXXII. 42. 'prætorem' Senec. Contr. XXV. p. 303. et alibi. Post male *e senatu* profert Leid. 1. cum addenda omnino non fuisset præpositio. Livius XLII. 10. 'Omnes quos senatu moverunt.' XXXIX. 42. Epitoma libb. XIV. XVIII. et XCVIII. Val. Maximus II. 7. ex. 5. et eodem libro cap. 9. sæ-

pius. *Arntz.*

Quod ille in Gallia] Placentiæ, inquit, apud Liv. Valerius Antias famosam mulierem fuisse. Porro Livius habet, ab Roma in Galliam perductum Philippum Pœnum, nobile scortum. *Schott.*

Ad cujusdam scorti spectaculum] De hoc auctores variant historiam: scortum autem de utroque sexu dicitur, quia, ut corium, subigatur: σκύτος *corium* Græce. *Mach.*

Scortum] Pro puero meritorio, ut Sueton. Vitellio c. 3. *Schott.*

Eductum] *Vectum* Gramm. et ed. Ven. *ejectum* quinque reliqui; in mea Agrippin. ed. *victum* legitur: sed receptam lectionem tuentur reliquæ edd. quæ sensum etiam efficit planum. Seneca Consol. ad Marciam cap. 20. prope init. 'Hæc e carcere educit, quos exire inperium inpotens vetuerat.' *Arntz.*

Jussisset] Livius 'sua manu hominem interfecisse,' non per lictorem; ut Valerius Antias et Plutarchus in Catone et in T. Quinctio Flaminino. *Schott.*

§ 5 *Basilica*] Regium ædificium, nam βασιλεὺς *rex* appellatur. Porcia vocitabatur, cujus adhuc vestigia exstant, si famæ credimus. *Mach.*

§ 6 *Repetentibus*] Sic legendum, non *petentibus*. Mach.

Restitit] Bene ait, quia usus oratione gravi scripta a Livio IV. libro belli Macedonici in principio æque respondente L. Valerio. *Mach.* Ineptius qui pro *restitit*, *restituit* restituerunt, præter ipsam historiæ veritatem. *Schott.* Quidam libri *Oppia lege petentibus restituit*. Historiæ namque sensus est, eum restitisse matronis, quæ cultum Oppia lege sibi ereptum repeterent, qua de re sup. 153. 15. *Sylb.*

§ 7 *Galbæ*] Unde dicti sunt, lege Sueton. in principio vitæ Galbæ Imperatoris late dicentem. *Mach.* Fuit hic Servius Sulpitius Galba, qui prætor Lusitanos diripuit; cujus gentis prænomen male in antiquis scriptoribus Cicerone, Livio, Suetonio, Nepote, aliis, in *Sergius* est commutatum; et in Tacito quoque, ut Justus Lipsius admonuit, qui propter ingenii doctrinæque præstantiam nemini est paullum modo humaniori incognitus, ut Varronis usurpem. Cum enim *Ser.* scriberetur, *Sergius* inde formarunt, quod est Catilinarum gentile nomen. Græci scriptores Σερούιος Γάλβας: tametsi in Plutarcho Σερουίλιος hic reperi inemendatè scriptum. *Schott.*

Octogenarius] Liv. XXXIX. et Plutarchus 'nonagenarium' perorasse scribunt: falso, nam 85. annos natus mortuus est, auctor Cicero libro de Claris Orat. et Plinius IX. 1. *Schott.*

Quadragies quater] Idem Plinius l. VII. de Catone affirmat. *Mach.* Et Solinus Polyh. c. 1. p. 1. medio. *Arntz.*

§ 8 *Carthaginem delendam censuit*] Africanas subinde ficus ostentans, quas de industria sub toga tulerat, inquiens, 'Fundum, ex quo hæc lecta poma, trium dierum navigatione ab urbe Romana distare: unde e republica mihi Carthago delenda videtur.' Licet Scipione Nasica contradicente, decretum est a senatu eam everti. *Mach.*

§ 9 *Post octoginta*] Aldinus cod. eumque sequuti reliqui *octuaginta*. Septuagenarii viri generant, inquit Aristotel. Animal. lib. VI. et in Politicis VII. 16. Cato tamen 'octogenarius' filium a Salonii clientis sui filia. Plin. VII. 13. et Solin. Plutarchus idcirco nuptias eum contraxisse ait οὐ καθ' ἡλικίαν. Et Massanissa post 'octogesimum sextum' annum filium, qui Methymnus appellatus sit. Valerius VIII. 14. *Schott.* *Octoginta* tamen ex editis etiam Gryphius. *Arntz.*

Imago hujus, funeris gratia] Aldinus cod. *imago cujus, &c.* Malo tamen *solius*, aut *unius*. Uni enim hoc ho-

neris gratia tributum, ut ejus e curia imago in funus produceretur, ut auctor est Val. Max. VIII. 16. Unde hunc locum ut mutilum instaurare Pighius tentavit *imago ejus funeris gratia e curia produci solet*. Cæterum de imaginibus, quæ comitabantur gentilitia funera, lege Plinium XXXV. 2. et C. Tacitum Annal. lib. III. extremo. Visum autem fuit non abs re fore Catonis dignitates, quas multas gessit, et ætatem per annos consulares diligenter a nobis digestam subjicere, ut facilius Plutarchus, Livius, Cicero, et Cornel. Nepos intelligantur. Nam Porciæ gentis stemma texuit egregie Agellius XIII. 18.

M. PORCIVS. M. F.
CATO. CENSORIVS.

DXXI. Natus M. Æmilio Lepido, M. Poblicio Malleolo Coss. Sic enim ipse apud Cicer. in libro de Senectute: 'Anno postquam primum consul fuerat Q. Fabius Maximus Verrucosus, qui Tarentum recepit, ego natus sum,' &c. Alii DXIX. anno natum putant L. Postumio Albino, Sp. Carvilio Maximo Coss. in iis Karolus Langius, legitque *anno post, consul primum fuerat, quam ego natus sum:* quæ et in veteribus se reperisse libris Ald. Manutius testatur.

DXXXIX. Annos natus XVII. primum stipendium meruit, et militavit ad Capuam sub eodem Fabio quartum consule. Corn. Nepos. XIX. alii numerant, ut altero a primo consulatu Fabii anno natus sit Cato.

DXLIV. Ætatis XXIV. ad Tarentum stipendia fecit, Fabio quinctum consule, ut ipse apud Cicer. de Senectute.

DXLV. Ætatis XXV. tribunus militum in Sicilia fuit M. Claudio Marcello V. T. Quinctio Crispino Coss. Cor. Nepos, vel Æmilius Probus in vita Catonis.

DXLVI. C. Claudii Neronis Cos. castra sequitur: strenuus habitus et laudatus in prælio Senensi, quo cecidit Asdrubal, exercitu Alpeis trajiciens, ut copias cum Hannibale fratre conjungeret. Corn. Nepos et Livius lib. XXVII.

DXLVIII. Quæstor P. Scipioni Africano, in Africa proconsuli, cum quo perpetuo dissensit, et augur, annos natus XXVIII. P. Cornel. Scipione Africano, P. Licinio Crasso Coss. Livius Annal. XXIX. et Nepos; Cicero vero in Bruto et Catone anno insequenti, Cethego et Tuditano Coss. Quem locum recta interpunctione et collocatione sanat And. Patricius in lib. II. M. Tullii de Rep. 'Fabio quartum Cos. adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, decimoque anno post ad Tarentum quæstor, quem magistratum gessi Coss. Tuditano et Cethego. Deinde ædilis, quadriennio post factus sum prætor, cum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciæ de donis et muneribus fuit.' Lambinus in Probum bis quæstorem fuisse existimat: non sequor, quem et in Ciceronis Catonem vide.

DLI. Quadriennio post ædilis plebis factus cum Caio Ælio, qui male in Nepotis fragmento 'C. Helvius' appellatur. Livius libro XXXII. et ipse apud Cicer. de Senectute. Agebat tum annum ætatis trigesimum primum.

DLV. Prætor quadriennio post Sardiniam provinciam obtinuit: Q. Ennium poëtam inde deduxit, a quo et post Græcas senex admodum literas didicit. Val. Max. VIII. 7. Plinius VII. 30. D. Hieron. Epist. ad Nepotianum. Liv. Annal. lib. XXXII. Plutarchus et Cornel. Nepos in ejus vita. Cicero in Catone.

DLVIII. Consul cum L. Valerio Flacco, quo auctore Romam e Sabinis commigrarat. Veget. II. 3. (ut

Modius quidem legit) et I. 8. Hic ejus abstinentia eluxit, et frugalitas. In hoc magistratu totam citeriorem Hispaniam, quæ rebellaverat, pacavit, bello ab Emporiis inchoato, adjuvante P. Manlio prætore. Matronis cultum repetentibus, Oppia lege ademptum, restitit. Plutarchus, Liv. Annal. l. XXXIII. Nepos, alii, Val. Max. lib. IX.

DLIX. Hoc anno pro consule ex eadem provincia de senatus sententia triumphavit. Fasti Capitolini, Appianus Ibericis, Frontinus, Florus, et Zonaras.

DLXII. Legatus (ut Cicero memoriæ vitio, tribunus militum) Manii Acilii Glabrionis consulis, occupatis Thermopylarum jugis præsidium hostium depulit. Cicero in Catone Majore, Livius lib. XXXVI. Appianus, Plutarchus, Justinus lib. XXXI. Festus in 'Ordinarium,' et Sosipater ex oratione dierum dictarum de consulatu suo: 'Item uti a Thermopylis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disjeci atque consedavi.' Idemque Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: 'M. Fulvio consuli legatus sum in Ætoliam: propterea quod ex Ætolia complures venerant, Ætolos pacem velle.' Festus in 'Oratores.' Auctor hic de Viris Illustribus.

DLXIX. Ætatis XLIX. censor gravissimus cum L. Valerio Flacco rursum. L. Quinctium Flamininum, Titi fratrem, senatu movit, et in ærarium redegit. Luxuriam hominum repressit, quæ incipiebat pullulare. In quo honore quod tam severe præfuisset, Censorius est appellatus. Livius lib. XXXIX. ab U. C. Plutarchus in Catone, Capitolini lapides, Val. Max. II. 9. et IV. 4. Corn. Nepos et Cicero in Bruto et Catone, Seneca Rhetor. Controvers. XXV.

DC. Octogenarius jam Servium Sulpitium Galbam, qui Lusitanos prætor diripuit, vehementi oratione accusavit. Livius lib. XXXIX. Plutarchus et auctor noster de Viris Illustribus. Val. Max. VIII. 7. non ut Livius l. XXXIX. et Plutarchus nonagenarius.

DCIV. Initio tertii belli Punici Karthaginem nova molientem delendam censet, certatque in ea sententia de reip. salute et commodo cum Scipione Nasica, qui servandam urbem censebat, ne otio in luxum juventus Romana dilaberetur. Pervicit tamen sententia Catonis. Livius, Florus, auctor hic de Viris Illustribus.

DCV. Hoc anno mortuum suspicor, octoginta quinque annos natum, Coss. P. Censorino et M. Manlio. Vell. Paterculus, Cicero de Claris Oratoribus, et Plin. Natur. Hist. XIV. 4. Plutarchus vero et Livius nonagenario majorem faciunt, sed falluntur: pace eorum dixerim. *Schott.*

CAP. XLVIII. § 1 *Copiis*] Exercitu: nam in singulari abundantiam et facultatem indicat; licet Sallustius dixerit profecto, 'Ex omni copia Catilinæ.' *Mach.*

Actumque] Ordo hic verborum, quem recepi, est ex omnibus scriptis et edit. *Mach.*

Si conjungere Hannibali copias potuisset] Reposui quod non solum in Mss. omnibus est, verum etiam antiq. Paris. et Colon. suadente et ratione, ne eadem vox inutiliter repetatur. *Schottus.* Simpliciter *jungere Hann.* Fran. verum antiquam scripturam reservarunt reliqui scripti *jungere se* vel *sese*, quomodo etiam edit. Ven. et Agripp. Sine dubio hisce mutationibus caussam dedit, quod ignorabant, recte etiam dici de duce *jungere se*, ut totus etiam exercitus simul intelligatur. Ita tamen Livius XXIII. 40. 'Ea occasio Hampsicoræ data Pœno se

jungendi.' l. XXVII. c. 5. 'In Italiam transgressus jungeret se Hannibali.' XXIX. 5. 'Lucretium se cum M. Livio juncturum.' et Vell. Paterc. II. 63. § 2. 'Ne se cum Antonio, hoste judicato, jungeret.' *Arntz.*

§ 2 *Relicta parte*] Cum Q. Catio legato. *Mach.*

Delectis] Sex millibus peditum, et mille equitibus. *Mach.* Sic hactenus editi, quos mihi videre contigit. Mss. *electis.* Scribe *dilectis* tertia vocali, ut docet Festus de Verb. Signific. l. IV. *Schott.* Scio quid de varia scriptura 'dilectus' et 'delectus' scribant eruditi, et inter alios tria illa patriæ nostræ lumina Burmannus ad Ovid. Met. X. 324. Drakenb. ad Silium VII. 43. et Duker. ad Flor. IV. 2. § 5. Utrumque recte dici existimo, certe substantivum 'dilectus' confirmat Festi auctoritas; adjectivum si sit, mallem *delectus* præferre. *Delectis* hic scripti et editi. Et hoc probatur Oudendorpio ad Frontin. l. I. c. 1. § 9. Ego *electis* apud solum Schottum reperi. *Arntz.*

Et Metaurum] Descendit in Adriaticum sinum, haud longe a Fanestri colonia. *Mach.* Mss. *Metaurumque fluvium:* Mediol. *Methaurum* scribit cum spiritu. Est autem flumen in Umbria non longe ob opido Sena, quod 'Senogalliam' Plinius Nat. Hist. III. 24. appellat. Est vero a Gallis Senonibus urbs condita, quos constat juxta Adriaticum mare sedes habuisse: auctor Polybius lib. II. Unde M. Tullius in Bruto hoc prælium 'Senense' vocat; 'Ludis,' inquit, 'juventutis, quos Salinator Senensi prælio voverat.' *Schottus.* De Metauro Heinsius ad Silium VII. 486. Adspirationem hic quoque addit Leid. 1. Dicitur autem utroque modo *Metaurus* et *Metaurum.* Horat. Od. IV. 4. 38. 'Testis Metaurum flumen:' quod male negabat, et *Metaurus* restituebat ad Pomp. Melam II. 4. 77. Pintianus. Simile utriusque terminationis exemplum vidimus in 'Saguntus' et 'Saguntum' c. 42. § 2. *Arntzenius.*

Hasdrubalem] Qui, ut patre Hamilcare, et Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit, redditaque est clades Cannensis per caput Hasdrubalis. Petrarcha: *Claudio Nerone che el capo de Hasdrubale presento al fratello aspero et feroce si che de doglia gli fece voltar le spalle.* Causa ruinæ Hasdrubalis fuere legati cum literis a fratre ad Hannibalem missi, qui incertis itineribus Tarentum delati et capti, ad Claudium Neronem perducti fuere, unde consul, admonito senatu, nocturno profectus tempore et diurno, quantis maximis potuit itineribus, tacite ad Senam Galliam, ubi castra M. Livii erant, properavit: qui silentio egressi, a suis quisque ordinis hominibus ad tentoria adducti cum summa omnium lætitia hospitaliter excipiuntur. *Mach.*

§ 3 *Venerat*] Pro *venerat* in antiquis scriptis *iverat*, melius. *Schott.* Quos scriptos hic innuat Schottus, equidem nescio, et perinde est, cum hoc certum sit eos peccare, et errorem hunc abesse ab omnibus nostris, et scriptis et editis, qui omnes *venerat.* Sola ed. Schotti; et qui ejus vestigiis tam firmiter inhæserunt, ut religionem duxissent, ipsa etiam peccata non admittere. Scio 'ire' recte tribui exercitui iter facienti, nec minus tamen his proprium verbum 'venire.' Sed si accuratius hæc verba inspiciamus, facile apparebit diversa notione esse adhibenda. 'It' enim agmen, si ad locum aliquem contendit; 'venire' tum dicitur, si ex illo loco verso itinere rursus ad priorem redit, adeoque hæc vox adhibenda est respectu præteriti temporis. Exemplis res fiet clarior. Cæsar Bell. Gall. I. 6. § 3. 'Vel vi coacturos, si per suos fines eos ire paterentur.' et cap. 10. § 3. 'Cum his quinque legionibus ire contendit.' v. 18. § 5. 'Eo inpetu mili-

tes ierunt.' VII. 62. § 8. 'Cum prœlium commissum audissent, subsidio suis ierunt.' Livius XXII. 5. 'Demigrarent omnes regionis ejus, qua iturus Hannibal esset.' XXIII. 43. 'Profectus cum cetero exercitu ire Nolam pergit.' Epitom. Liviana lib. XXV. 'Anno octavo quam in Hispaniam iverant.' Ipse iterum Livius XXVI. 5. 'Secuti tamen tam raptim euntem tres et triginta elephanti.' XXVIII. 1. 'Bina castra circa viam, qua irent, esse.' XXVIII. 29. 'Miserum et indignum exsilium, ut iret ad oppugnandam patriam, inpulit.' Frontinus Strat. III. 22. 'Multi, cum ab hoste discedunt, si per silvas ituri sunt.' Hæc omnia loca agunt de tali profectione ad aliquem locum, ubi antea non fuerant. Jam usus verbi 'venire,' quem diximus, patet ex Livio l. XXVII. 50. 'Nero ea nocte, quæ secuta est pugnam, citatiore, quam inde venerat, agmine, ad hostem pervenit.' l. XXV. c. 38. 'Postquam rem omissam a sociis vidit, Thronium, unde venerat, repetit.' XL. 58. 'Cetera multitudo retro, qua venerat, Transdanubianam regionem repetiit.' et XLI. 10. 'Nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit.' Justinus lib. XXXII. 3. § 7. 'Inde per eadem vestigia, qua venerant, antiquam patriam repetivere.' Et eadem diligentia hæc verba distinguit Livius, cum ea conjungit XXXV. 28. 'Utrum pergere, qua cœpissent ire via, an ea, qua venissent, repetere melius esset.' et l. XXXVIII. c. 2. 'Euntibus extemplo apparuere Athamanes:' mox paucis interjectis, 'Eadem, qua venerat, via referre coëgit signa.' Ex hisce eadem locutio mihi suspecta est apud eundem Livium XXXVII. 7. 'Hæc referens eadem, qua ierat, celeritate Thaumacis occurrit consuli.' Utique malim *venerat*. Sed de hac re melius judicabit Drakenb. a cujus manu meliorem videre Livium jam diu ardentissimis votis expetit eruditior orbis. *Arntz.*

Caput Hasdrubalis] Exemplum hujus ferociæ et animi aliquo modo insultantis hostibus apud Homerum de Ajace Oilei F. caput Imbrii abscissum conjiciente in mediam aciem Trojanorum, quod forte cecidit ante pedes Hectoris. Iliad. I. Pet. Victorius Variarum Lectionum XXVII. 22. *Mach.*

§ 4 *Confessus*] Post *confessus* delevimus cum Mss. verbum substantivum *est.* Arntz.

§ 5 *Lucius*] Appellatur in Consularibus Fastis 'M. Livius Salinator II.' consul cum C. Claudio Nerone. Tametsi vero Neronis opera et industria victoria parta erat; quia in provincia Salinatoris, illi triumphum a senatu decretum libens volensque reliquit. M. igitur Livium quadrigis Urbem invectum milites sequebantur; Claudius equo sine militibus ingrediebatur. T. Livius lib. XXVII. Val. Max. V. 1. Horatius quoque Od. IV. 4. ut poëtarum suavitas hæc temperet: 'Quid debeas o Roma Neronibus, Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal Devictus, et pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris.' Sequitur ad extremum: 'Nil Claudiæ non perficiunt manus, Quas et benigno nomine Jupiter Defendit, et curæ fugaces Expediunt per acuta belli.' *Schott.*

Triumphans] Triumphus quasi *τρίαμβος*: exercitus carmine iambico sequebatur, cantans vero lingua Sabina fortem indicat. *Mach.*

Ovans] Equo albo insidens, myrteaque corona insignitus, cæsis ovibus; nam triumphante aliquo tauri mactabantur: inde vocabulum, licet alii a voce, ovationem dictam aiunt, de quibus alias. *Mach.*

CAP. XLIX. § 1 *Ex virtutibus cognominatus*] *Agnominatus* alii. Mss. ex virtute Africanus dictus. Primus vero a devicta provincia nomen retulit. *Schottus.* *Nominatus* quinque codices, edit. Ven. et Agripp. *Arntz.*

Creditur] Mss. *creditus*: Jovis autem filium 'creditum' fuisse auctor Plin. xvi. 43. Livius lib. xxvi. Val. Max. i. 2. vide et Agellium vii. 1. *Schottus*. *Creditus* manu exarati et edd. omnes: scilicet sæpe verbum substantivum omittitur: ita e Mss. cap. præc. § 4. inf. c. 58. § 1. 'duci in carcerem non passus:' et eod. cap. § 2. 'Collega ejus Claudius reus factus,' ita illis locis habent libri exarati. Celsus Vita Cæs. pag. 214. 'Quæ tunc casu in terram subducta exureretur:' ubi male emendatores addunt *erat*. Conf. Perizon. Epist. ad Heins. t. iv. Syll. Burm. p. 771. fin. *Arntz*.

Serpens] Vide Bernecc. ad Justinum lib. xi. § 3. *Arntz*.

Draco] Sacrorum peculiariter a δέρκομαι, id est, *aspicio*, quia visus est acuti. *Machan*. De draconibus istis innoxiis, qui nec fugiunt homines, nec vulnere lædunt, diximus nimium multa Suspicion. i. 18. ubi adsertores veniebamus veritati historiæ Suetonianæ, ubi inquiebat Tiberii capite 72. 'Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumptum a formicis invenisset, monitus est, ut vim multitudinis caveret.' *Grut*.

§ 2 *Euntem*] *Euntem* Paris. Mss. *nocte eunte latraverunt*. Varronem etiam 'allatro' cum dandi casu conjunxisse scio. Et Plautus etiam Pœnulo accusandi casu, 'Etiam me meæ allatrant canes.' *Schott*. Hac eadem in historia Gellius Noct. Att. vii. 1. 'Neque latrarent eum, neque incurrerent.' Statius Silv. ii. 1. 184. 'Illum nec terno latrabit Cerberus ore.' Conferatur qui hunc etiam ex Mss. locum recte constituit, Nicol. Heinsius ad Ovid. Tr. ii. 489. et in Ibide vs. 14. Barthius ad Statium Theb. 551. Bentl. ad Hor. Sat. ii. 1. 85. et Burman. ad Petron. Sat. c. 104. *Arntz*.

Canes] Qui ei nimirum templo custodes, uti non uno exemplo ostendi in Suspicionibus. *Gruter*. Cicero pro Roscio Amer. c. 20. 'Canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerunt.' Livius v. 47. et Hemsterh. ad Luciani Timona p. 98. *Arntz*.

Latraverunt] Quasi in belluis ratio aliqua divinitus infusa sit, vel providentia divina: omne enim bonum datum descendens a Patre luminum, licet verum bonum ethnici illi ignorarent. *Mach*.

In cella Jovis] *In sella* Haun. *in cellam* Leid. 1. *Arntz*.

Accepisset] *Acciperet* Mss. melius. *Schottus*. *Accepisset* vero tuentur scripti et editi ante Schott. omnes. *Arntz*.

§ 4 *Patrem*] Vide superius in Hannibale. *Mach*.

§ 5 *Clade Cannensi*] Ὕστερον πρότερον. Sic concinnanda videntur: *Clade Cannensi reliquias incolumes per m. h. c. Can. perduxit. Nobilissimos juvenes, &c.* Schott. Sed hæc transpositio necessaria non est, nam ablativus hic absolutus per 'post' est exponendus; vide Broukhus. ad Tibull. i. 1. 86. et Sanct. Min. iv. 6. In Epitome Liviana l. xxii. ideo est 'post quam cladem.' *Arntz*.

Sua auctoritate compescuit] Immo, Livio teste, stricto super capita deliberantium ferro, juravit pro hoste habiturum eum, qui in verba sua non jurasset; effecitque uti omnes minime relictum iri a se Italiam jurejurando adstringerentur. *Mach*.

§ 6 *Reliquias*] *Reliquos* Mss. non *reliquias*, ut juvenes ἀπὸ κοινοῦ intelligas. *Schott*. *Reliquos* solus Haun. et male, cum 'juvenes' ex præcedentibus non sint repetendi; nam novam hic incipit sententiam. Sed 'reliquiæ' pars illa exercitus dicuntur, quæ post cladem superest. Frontin. Strat. ii. 9. ex. 1. 'Victis prælio Teutonis reliquias eorum circumsedens:' et c. 10. ex. 2. 'Qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præ-

fuit.' IV. 7. ex. 39. de hac eadem clade: 'Ut pars magna reliquiarum nobilissimis auctoribus deserendæ Italiæ iniret consilium.' Just. XLII. 4. § 5. 'Ad persequendas Romani belli reliquias.' Capitol. in Anton. c. 22. 'Petiit ut belli reliquias non contemneret:' et quæ nos sup. cap. 23. § 9. *Arntz.*

§ 7 *Viginti quatuor annorum*] Primoribus talem provinciam aspernantibus, ipse prosiliens ingenti voce professus est libenter iturum. *Mach.*

Prætor] Pro consule in castris: namque prætor imperator dicitur. *Mach.*

Carthaginem] *Novam* amplius veteres libri, ut ab Africana distinguatur. Illa Σπαρταγένη est Appiano Alexandrino, qui eam turpi errore cum Sagunto confundit. Vide geographos. *Schottus.* Ex nostris omnibus, qua scriptis qua editis, *novam*, quod in textum receperat Schott., rejecimus, neque enim aliquis aliam Carthaginem in Hispania quæreret. *Arntz.*

Qua die venit] Compertum habens stagnum maris alluens Carthaginem æstu maritimo decrescere, et vado transiri posse, unde ad murum facilius esset accessus; itaque captata occasione in urbem per eam partem minime suspectam ascenderunt Romani, duobus militibus corona murali donatis. Igitur opidani, ac auxiliares re inopinata consternati mœnia deseruere. *Mach.*

§ 8 *Virginem pulcherrimam*] Quam custodiri fecit, et Lucio principi Celtiberorum desponsatam, eo accito, integram inviolatamque restituit. *Machan.*

Ac sponso] Bene habet lectio: fit tamen nescio quomodo, ut non calamo solum sed et typis scripti codices antiqui constanter legant *Patrique ejus sponsor astitit.* 'Sponsi' et Plutarchus et Livius meminere, hic 'Albucium,' ille 'Luceium:' ut et Frontin. II. 11. Celtiberorum principem nominat Valerius Maximus 'Indibilem' IV. 3. *Schottus.* Cum plerisque aliis facit d'Orvilianus codex, *sponsor adstitit.* Et hanc scripturam ex Leid. protulit quoque in nupera ejus auctoris editione Oudend. ad Frontin. II. 11. § 5. Ex usu eo vocis 'vetare,' quem diximus, exponendus est divus Paullus Ep. I. ad Timoth. c. IV. vs. 3. Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων· *vetantium nubere, abstinere cibis:* ubi in ultimo membro vox contrariæ notionis subintelligenda est. Ego quidem malim scribere *Patrique ejus ac sponso restitui;* ut *jussit*, quod in nullis Mss. invenitur, abjiciatur. Tralatitium enim est, veteres sæpe verbum contrariæ significationis omittere. Phædrus fab. IV. 17. 31. 'Non veto dimitti, verum cruciari fame:' ubi Comment. Burman. et ad Quinctil. Decl. X. 16. Grævius ad Heins. Epistola in Syll. Burm. tom. IV. pag. 704. Drak. ad Sil. XII. 64. Davisius ad Cicer. de Nat. Deor. I. 17. et tandem Cort. ad Sallust. Jug. c. 14. exc. 2. Cum tamen in ceteris edd. recepta lectio inveniatur, eam loco movere nolui, præsertim cum hæ duæ voces 'veto' et 'jubeo' ab aliis quoque ita junguntur. Cæsar Bell. Civ. I. 41. § 4. 'Vallo muniri vetuit, quod emineri et procul videri necesse erat; sed a fronte contra hostem pedum XV. fossam fieri jussit.' Hyginus fab. VIII. 'Vetuit eos Mercurius, et simul jussit Lycum concedere regnum Apollini:' et Lamprid. Alex. Sev. c. 26. 'Usuras accipere primo vetuit, nisi aliquid muneris caussa acciperent, postea tamen jussit,' &c. *Arntz.*

§ 9 *Expulit*] Captis etiamnum Hasdrubalis castris, eoque fugiente paucis cum militibus. *Mach.*

§ 10 *Maurorum*] Masæsulorum rex fuit Syphax, tenuit tamen Mauritaniam, eam quæ nova dicta est, a Mulucha ad Ampsagum: cum vetus a freto ad Mulucham protenderetur, quæ Bocchi imperio paruit, cujus in

Druso mentio. *Schott.* Confer Drakenb. ad Sil. XVI. 171. *Arntz.*

Conjunxit] Nam quum Hasdrubal Gisgonis filius et Scipio ad eum hospitaliter venisset pro re publica sua petitum, prætulit amicitiam Romanorum Punicæ. *Mach.*

§ 11 *Masinissam*] Hic nepote ipsius adolescente in Hispania jure belli capto, liberaliter ad regem gratis cum donis misso ab ipso Scipione, usque ad extremum senium amicitiam cum populo Romano servavit. *Mach.* *Masinissa* scriptura vulgata. In Sallustii Mss. varie pingi observavi, alii *Massinissam*, alii *Masinisam*, quidam *Maxinissam:* quod *x* tantundem valeat. Scribo *Massanisa.* Schottus. *Masinissam*, *Maxinissam* vel *Massinissam* scripti : *Masinissam* etiam Agripp. et optimæ edd. quod secuti sumus. Vide post alios multos Cort. ad Sall. Jug. cap. 5. § 4. *In societate* tres codd. *Arntz.*

§ 12 *Victor domum regressus*] Datus est ei senatus extra Urbem in æde Bellonæ; inde ingressus cum Licinio Crasso consul creatus est. *Mach.*

Classem] *Classem* dedimus ex scriptis : vide ad cap. 40. *Arntz.*

§ 13 *Hasdrubalis*] *Hannibalis* et *Syphacis* quidam codd. quod ideo immutarunt quidam, quod anno IↃXLVI. Hasdrubalem fratrem Hannibalis capite truncatum vidissent. At hic alius Hasdrubal, qui filiam Syphaci uxorem dederat, qua caussa hic Scipionis amicitiæ nuntium remisit. *Schott.*

Castra] Noctu utriusque castris injecto igni, quæ, altera e lignis, altera ex harundinibus confecta erant, Syphaxque captus a Caio Lælio, et Massanisa ad eum perducitur. *Machan.*

Perrupit] Quidam codd. *prorupit*, alii *prærupit:* utraque castra uno die Scipio incendit et delevit : cæsa flammisque absumpta ad XL. millia hominum : capti supra sex millia. *Schottus.*

§ 14 *Superavit*] Apud Zamam urbem, apud quam victores Romani hostium elephantes equites in fugam verterunt : deinde acrius inferentes pedem totam aciem in fugam verterunt. Cæsa e Carthaginiensibus quatuor millia feruntur. *Mach.*

§ 15 *Leges inposuit*] Jussis cremari quingentis navibus, utque centum talenta arbitratu Scipionis tunc solverent : et ut in annos sexaginta millia talentorum argenti æquis pensionibus solverent : et multa alia : pacis autem formulam lib. x. secundi belli Punici curiose apud Livium perleges. *Mach.*

§ 16 *Bello Antiochi*] Quod scilicet cum Antiocho gerebatur. Videtur quidem hasce locutiones 'bello Philippi,' 'bello Latinorum,' &c. damnare Davis. ad Cicer. de Nat. Deor. II. 11. ubi pro *bello Latinorum* legendum conjicit *bello Latino:* dura emendatio, præsertim cum usus veterum talem medelam non requirat. Cæsar Bell. Gall. I. 30. § 1. 'Bello Helvetiorum confecto.' III. 16. § 1. 'Quo prælio bellum Venetorum confectum est.' V. 55. § 2. 'Se bis expertos dicerent Ariovisti bello.' Livius XXXIV. 31. 'Nuper Philippi bello renovata.' Vell. Paterc. II. 17. § 2. 'Qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces.' Just. XIII. 5. § 9. 'In ejusdem Alexandri bellum inpelleret.' Adde Liv. XXVIII. 7. l. XXXVII. capp. 49. 53. et 54. XLII. 45. Justin. I. 7. § 10. XXVII. 1. § 3. et XXVIII. 1. § 4. Sallust. Fragm. Hist. III. pag. 966. Front. Strateg. II. 4. ex. 2. et cap. 5. ex. 34. Cæsar Bell. Gall. I. 40. § 13. et cap. 44. § 17. VI. 29. § 4. *Arntz.*

Legatus fratri] Cum senatus magis inclinaret, ut alteri consuli Caio Lælio negotium Antiochi daret, Publius Africanus surgens et in fratre suo summam virtutem esse, summum-

que consilium, neque se ei legatum defuturum affirmavit. *Mach.*

Filium gratis accepit captum] Ab hostibus: patri infirmo misit, animum ejus solicitum, et corpus ægrum magnopere recreavit. *Mach.*

A Petilio] Plutarchus, duo Quinti Petilii tribuni plebis, Porcii Catonis ut quidam suspicantur opera concitati, diem Africano dixere, insimulantes pecuniæ a rege Antiocho acceptæ, et non in publicum redactæ. *Mach.* Singulari numero tamen omnes scripti et vetustæ edd. *Arntzenius.*

Actæo] Locus mendosus: vidit id ante nos Lycosthenes, ne quem sua laude fraudemus. Corrige *A Petilliis ac Nævio.* Scidæ n. membraneæ nihil hic nos adjuverunt, corruptæ, et ipsæ legentes *A Petilio Atcio.* Parisinus *a Petilio Alteio.* Vascosanus *A Petilio Teo.* Livius vero Annal. lib. XXXVIII. et Agell. IV. 18. Attic. Lucubrationum ex Valerio Antiate bis accusatum fuisse referunt. Plutarchus item in Catone et Apophthegmatis Πετιλλίους numero multitudinis vocat, et duos fuisse, auctor in Syriaca Appianus. O iniquam sortem bene de R. P. merentium! quam et expectare et experiri solent, qui scriptis in vulgus editis prodesse student quam plurimis, dum quisque de aliorum laboribus temere pronuntiat, vellicat, pro nihilo ducit, ipse silentio inscientiam suam caute tegens. Præstet alioqui majora: aut si id non potest, aliorum conatus cur ingrate traducit? Mirum profecto, ut ad rem redeam, et Porcium Catonem gravissimum alioqui censorem, Scipione Africano tam infestum fuisse: quibus narrandis a Livio diversus abit Corn. Nepos in Vita Catonis, quod libri secundi de Viris Illustribus fragmentum reliquum est. Cæterum, ne quem offendat, *Petilliis* liquida geminata scripsi ex consuetudine Græca, Appiani in Syriaca, Plutarchi in Catone et Apophthegmatis. *Schott.*

Quasi bonum factum] In Mss. compendio scriptum erat *quam*, quod forte valet 'quoniam:' alter codex *quare*. Ego vero illud abjudico, tanquam glossarioo, ab iis adjectum, qui hanc formulam hactenus ignorarunt, et *quare* repono ex Valerii Probi Notis Q. B. F. i. e. 'quare bonum factum:' probaturque T. Livii lib. XXXVIII. verbis et Valer. Max. III. 7. Est autem bene precantis in judiciis usurpari et edictis fere boni ominis causa proponi solita. Sueton. in Cæsare, c. 80. 'Peregrinis in senatum adlectis, libellus propositus est: Bonum factum, ne quis senatori novo curiam monstrare velit.' In Vitellio c. 14. 'Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem calendarum diem usquam esset:' ubi *fatum* quidam legunt, quod de Genethliacis et Chaldæis sermo sit: non probo. Plautus quoque Pœnulo: 'Bonum factum est, edicta ut servetis mea.' Et, 'Bonum hercle factum, pro se quisque ut meminerit.' Eodem pertinet illud Tertulliani, 'O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum!' Vide Isidorum Etymol. I. 22. Fuit qui legendum putaret *Bonum faustum*, ut 'purus putus,' 'utor fruor,' 'velit nolit,' 'factis dictis,' 'terra mari,' similiaque infinita sine copula efferimus. Est enim formula bene precandi et auspicandi aliquid, 'Quod felix, seu bonum, faustumque sit reipublicæ,' &c. Sueton. in Octaviano c. 58. et in Nerone c. 37. 'Quod bene vertat,' &c. Nihil tamen demuto. *Schott.* Eadem plane habet Brisson. de Form. III. 274. adde Schottum Obs. III. 40. Eorum emendationem valde laudo, sed contra scriptos codd. non sum ausus in contextum recipere. *Arntz.*

Eamus] Concio universa relictis solis magistratibus eum per omnia templa consequuta est. *Mach.*

§ 17 *Concessit*] Liternum. Ruri

enim a strepitu vulgi vivere maluit. Sic Plutarchus et Strabo. Livius vero lib. XXXVIII. Romæ mortuum ait. At lib. XLV. Literni domum ejus fuisse. *Schott*. Mire variatur in morte Scipionis. Vide Liv. XXXVIII. 53. lib. XXXIX. capp. 52. 55. et 56. et XLV. 38. Oros. IV. 5. *Arntz*.

§ 18 *Moriens*] Elogium testamenti fuit vetantis, ne in patriam ingratam ossa referrentur, de quo Seneca de Benef. V. 17. et Val. Max. V. 3. *Schott*.

Cap. L. § 1 *Salinator*] Dictus quia auxit vectigal salis, cum prius sextante venderetur. Id fecit, quia a populo condemnatus erat. *Machan*. Salinatoris cognomen illi datum, quod censor vectigal novum ex annona salaria populo Romano imposuerit. Livius XXIX. 37. Salinas primum instituisse, et populo salis modia sex millia in congiario dedisse Ancum Martium, auctor Plinius XXXI. 7. et supra cap. 5. Post exactis regibus, vectigal illud sublatum. Livius ab U. C. lib. II. Sed Salinator in censura iterum imposuit, ut dixi. *Schott*.

Illyriis] Dicti sunt, auctore Appiano, ab Illyrio filio Polyphemi, quos nunc Sclavonos vocant. *Mach*. *Illyricis*, non *Illyriis* quidam, ut in Mss. fere *Philippii campi* pro *Philippicis*, ut infra in M. Bruto admonui. *Schott*.

Deinde ex] In Mss. erat *tamen*, unde *tandem* scribendum vidi, quod error ille ex compendiis literarum sit natus. *Schott*. Non video quid moverit virum doctissimum hic *tandem* reponere, quod certe corrumpit sensum, et *deinde* omnes Mss. et edd. Pro *ex* vero unus et alter *ut* vel *et*. Arntz.

Peculatus] Publicæ pecuniæ subreptæ, nam id peculari et depeculari signant; inde depeculatores. *Mach*.

Reus] Fabio teste, de cujus *re* agitur, dicitur. *Mach*.

Tribubus] De quibus superius in Romulo. *Mach*.

§ 2 *Injunxit*] Sincera lectio Mss. *junxit*: 'injungere' enim aliud significat. Exemplum, me Hercle, memorabile, quod utinam imitarentur nostri principes in R. P. administranda, ut privata odia publicis utilitatibus remittant, uti lib. I. Annal. Tacitus ait. Vide Plutarchum in Politicis de his præcipientem. Simile de P. Popillio apud Justin. lib. XXXV. quem C. Popillium vocat Livius. *Schottus*. Et Gron. ad Tacit. Ann. I. 10. Porro *conjunxit* Leid. 1. Reliqui quinque *junxit*, ut et Agripp. Ven. et Mach. quam lectionem merito prætulit Schottus. Livius XXIII. 33. 'Fœdus cum eo atque amicitiam junxit legibus his.' Justin. IX. 4. § 5. 'Qui pacem cum his amicitiamque jungerent:' et XLII. 4. § 6. 'Et propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico junctam.' Epit. Livii lib. XXVIII. et ipse XXX. 13. Gronov. ad eundem XXXV. 12. *Arntz*.

Et de victo Hasdrubale] *Victo* addidi auctoritate librorum veterum: alii *et victo Hasdrubale*. Schott. Et ego auctoritate Mss. omnium et edd. iterum rejeci, nec sententia requirit, cum utique facile intelligatur, eum non triumphasse de victore Hasdrubale. *Arntz*.

Triumphavit] Vide in capite Hasdrubalis. *Arntz*.

§ 3 *Ærarias fecit*] Condemnavit, ut denarios solverent. *Mach*.

Stipendio privavit] Livium libro nono secundi belli Punici apte hanc materiam scribentem percurre. *Mach*. *Stipendiis privavit* libri veteres. Suetonius in Tiberio initio refert universas tribus levitatis notatas in censura Livii. *Schott*.

Eo crimine] Monet Dukerus videri fuisse in Boend. cod. *omine*, sed mutatum in *crimine*; quid si legendum foret *nomine*? Neque enim recordor, alibi legere aliquem crimine esse ac-

cusatum, vel ob crimen condemnatum a censoribus, qui tantum levi ignominia seu nota aliquem poterant afficere. *Eo nomine* erit pro 'eam ob caussam.' Cæsar Bell. Civ. III. 21. § 4. 'Eo nomine erat damnatus.' Livii Epit. lib. XLVII. 'A provinciis avaritiæ nomine accusati.' Val. Max. VIII. 4. ex. 1. 'Eo nomine tortus a domino:' et IX. 15. § 1. 'Quo nomine jussu patris necatus in carcere.' Confer VIII. 1. damn. 8. et abs. 13. VI. 2. ex. 11. Emmen. ad Virgil. Æn. I. 8. et Manut. ad Cicer. ad Fam. Ep. II. 1. Nost. inf. cap. 53. *Arntz.*

CAP. LI. § 1 *Flaminii*] Omnibus fere locis, ubi *Flamininum*, cognomen familiæ Quinctiæ patriciorum, legi oportebat, occurrit *Flaminium*, nomen plebeium; vid. Bosius ad Nepot. Hann. c. 12. § 1. Comm. ad Eutrop. IV. 2. Duker. ad Flor. II. 7. § 10. et Torren. ad Val. Max. V. 2. ex. 6. et de eodem errore etiam confer Viviani epistolam ad Lipsium CCCCXXX. Syll. Burm. tom. I. 460. Sed cum omnibus illis locis in Mss. fere reperiatur *Flaminii*, non adeo in librarios injurius sum, ut semper illis tribuam, quod ipsi scriptores peccare potuerunt: et hoc loco sum secutus consensum Mss. et inpressorum: atque ita scripsisse ipsum Victorem, patet, quia eum *Flaminii* faciat filium: si enim *Flamininus* scripsisset, non in eum errorem incidere potuisset, ut eum *Flaminii* filium diceret. Atque ita subscripsi judicio Pighii Ann. tom. II. p. 249. et Bongarsii ad Justin. XXX. 3. § 6. *Arntz.*

Caropis] Reliqua, solers lector, in vita Titi Flaminini evolvere poteris. *Mach.* Varie scribitur in antiquis libris. *Charopæ* Mss. prima inflexione, alii *Charopes* et *Carope;* Gryphius *Charopis* cum spiritu. Assentior Vascosano, qui *Caropi* excudit secunda declinatione. Plutarchus enim sic, nisi me fallit memoria, appellat. Nec mirum in peregrinis ita variatum, cum in domesticis et Romanis nominibus ita libri pugnent. *Schott.* *Charopæ* dedimus ex omnibus scriptis, edit. Agripp. Ven. et Mach. Χάροπα tertia flectione eum appellat Plut. Flam. p. 370. F. *Charopum.* Livius XXXII. 11. Terminationem quamvis non admodum morer, malim tamen adspirationem retinere, cum ita ceteri. Vide Suidam in Χάροψ. Similiter inter reges Atheniensium 'Charops' memoratur, de quo Scaliger ad Eusebii Chron. ad ann. MCCLXIV. 'Charops' Trojanus apud Ovid. Met. XIII. 260. Et inter Græcos occurrit Nireus 'Charopi' filius Homer. Il. B. in Catal. vs. 179. Hygin. fab. XCVII. et Munck. ad eund. fab. CCLXX. 'Charopinus' apud Herodot. V. 99. et Martial. V. 51. Hac igitur in parte secutus sum Aldum ceterosque. *Arntzenius.*

Prælio fudit] Ante annos triginta sexto die regem Philippum prælio fudit. Plutarchus scribit, siquidem Philippus, cum teneret cacumina phalange, undique missilium atque sagittarum ictibus Romanos petebat; accedunt inter pastores quidam indigenæ, qui per quosdam neglectos ab hostibus anfractus exercitum sese ducturos et tertio demum die in summis constituere montibus pollicentur, fidei vero cognitionem, infirmationemque præstitere. *Mach.*

§ 2 *Demetrium*] Plutarchus: verum Titus eum, regno Macedoniæ restituto, a Græcia jussit abstinere, mille talentis tributi nomine, et præter decem naves, universa classe mulctatum: alterum ex liberis ejus Demetrium pro obside susceptum, Romam misit. *Mach.*

Multatum] *Mulctatum* codices paullo vetustiores. Tu scribe *mulcatum:* quæ vox, ut pleræque raræ et elegantes, a bonis libris hactenus exsulat: reponatur et in integrum restituatur, in Terentio, Cicerone, Livio, Nepote, cæterisque ab aliis reposita.

Schott. [Vide Not. Delph.] Immo, si *mulctatum* legeretur, ego substituerem *multatum*. Etenim (quamvis fortasse non injuria proprium sibi vindicet de venustate judicium femineum genus) non video, cur *venustius* possit esse illud, quod usui et omnium auctoritati adversetur. Videantur quæ ipsa monet Anna in notis ad Terent. Eun. IV. 8. 4. et in Adelph. I. 2. 11. Lipsius ad Tacit. Ann. I. 32. Tollius ad Auson. Idyll. VI. 90. Burman. ad Phædr. fab. I. 3. 9. 'Mulcare' igitur est, qui privato consilio aliquem male tractat; 'multare,' si a magistratibus pœna inponatur. Cicero de Orat. I. 43. 'Fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur.' Nepos Milt. c. 7. § 6. 'Capitis absolutus, pecunia multatus est:' in Cimon. c. 1. § 1. et Pelop. c. 1. § 3. Curtius IV. 1. § 37. 'Insulas præsidio occupat, pecunia multat.' l. 27. ff. de Cond. et Dem. 'Heredes magna pecunia multare.' Minus bene 'mulcata morte' apud Virgil. XI. 839. edidit Heinsius: 'Prospexit tristi mulcatam morte Camillam.' Nec debuerat hoc exemplum sequi Emmen. *Multata* nos in duobus Mss. invenimus et recepit Masvicius. Latine enim dicitur 'multare morte,' non *mulcare*. Cicer. Tusc. Quæst. I. 22. Orat. in Catil. I. 11. et II. 2. Florus I. 26. § 7. Val. Max. VI. 4. ext. 2. Apul. Met. III. 140. 'Ne morte multata Fotide:' apud Nostrum *pecuniarum mulcta* erat in Agripp. *Arntz.*

§ 3 *Nabide Lacedæmonio*] Contra quem legimus perniciosissimum flagitiosissimumque Lacedæmoniorum tyrannum Quintum longe pulcerrimum atque justissimum bellum inchoasse: Græcos ad extremum sua spe fefellit, quod, cum eum capturus existimaretur, haud voluit. *Mach.*

§ 4 *Liberos*] Hoc fuit, dum Isthmia agerentur, et frequens hominum conventus adesset: jusso per tubæ sonum silentio præco ita proclamavit: Senatus populusque Romanus, ac Titus Quinctius imperator et proconsul, rege Philippo ac Macedonibus debellatis, Græcos sine custodiis, liberos, immunes, suo jure viventes fore permittunt. *Mach.* [Vid. Var. Lectt.] Bis, Græciæ reddidit libertatem, sive duobus locis Flamininus, ludis Isthmiis, et Nemeæ, qui genitivus loci est. Val. Max. IV. 8. Livius libb. XXXIII. et XXXIV. Annal. Argis exhibitos 'ludos' ait. Plutarchus in Flaminino in Isthmiis. Quatuor vero Græciæ certamina a Pindaro, Archia poëta, aliisque decantata, quæ illi ἀγῶνας vocant, Isthmia, Pythia, Nemea, Olympia. *Schott.* Porro *pronunciavit* male in *nunciavit* mutat Leid. 2. et Haun. nec melius alii *prænunciavit*. Propria enim illa vox de iis rebus, quæ in publico concilio et conventibus populi voce præconis indicantur. Cicero ad Fam. Ep. V. 4. 'Verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui cum ceteris coronas inposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint.' Livius XXIII. 32. 'Processit, et tuba silentio facto, ita pronunciat.' Val. Max. IV. 8. ex. 5. 'Iterata deinde pronunciatione præconis.' Florus II. 7. § 15. Livius IV. 59. lib. XLV. capp. 29. et 30. Eodem modo hæc vox erat corrupta apud Liv. XLV. 40. ubi adeundus Gronovius. *Arntz.*

Nemeæ] Vid. Duker. ad Flor. II. 7. § 14. *Arntz.*

Cap. LII. § 1 *Marcus*] Prænomen in vulgatis corruptum; *Quinctus* enim appellabatur. Tantum sibi audaces illi emendatores permiserunt. Quinctius Nobilior filius ejus dictus; auctor Cicero in Bruto. *Schott.* *Quintus* tamen Mss. quinque, et omnes fere editt. *Arntz.*

Nobilior] Cognomine. *Mach.*

Consul] *Consul Hispanos superavit*; ita emendandum Sigonio videbatur, in Mediol. perantiquo codice *consul*

afuit. In Mss. quoque longe aliud scriptum erat: partim *Consul Ettanos, Vritonosque:* partim *Surnitanosque:* alius *Suritanosque*. Parisin. vero et Mediolan. *Orethanosque* et mox *introivit*. Colon. *Octanosque*. Monstra verborum, ex quibus veram lectionem, ni fallor, elicio: *Vettonas, Oretanosque superavit*. Nam de Vettonibus diserte T. Livius lib. xxxv. scriptum reliquit a Fulvio Nobiliore fusos fuisse apud Carpetanos. Ex *Ettanos*, quod in Mss. erat, *Vettonas* exsculpo; *Oretanos* retineo: quamvis nulla de his apud Liv. mentio quod verisimile; quia non longe a Carpetanis abessent, cum illis dimicatum. Suntque geographis omnibus et historicis noti Oretani. Vulgata lectio *Consul Ætolos Ambraciotasque superavit*, quomodo proximo versu legendum monuerunt libri calamo exarati *Consul Ætolos qui, &c.* pro quo tamen Paris. et Colon. *Conatheos* habebant, corrupta voce ex *Con. Achæos*. Et aliquanto post *Romanis adfuerant:* lege ex Mss. ut proxime in Manlio Vulsone. Phrasis auctori nostro familiaris. Prætura autem in A. U. C. IↃLXII. cadit, consulatus IↃLXIV. legendus Orosius IV. 20. *Schott*. Corrupti hic erant omnes Mss. quorum tamen varietatem, si quid alii melius conjiciant, adscribam: *Consul Ætolos Oretanosque* (ita Gramm. et Fran. *Orchanos* Haun. *Orethinos* Leid. 1. *Conretanos* Leid. 2. delet vero vocem hanc Boend.) *superavit, unde ovans urbem introiit*, (*introivit* Boend. et Fran.) *Conatheas* (ita Leid. 2. *Canatheas* Leid. 1. *Conateos* Gramm. Fran. et ed. Agripp. *Conaceos* Boend. *Corinthios* Haun.) *qui bello, &c.* Antiquæ edd. hic exhibent *Consul Ætolos Ambraciotasque superavit, unde urbem introiit*. (*introivit* Mach. et Agripp.) *Consul Achæos, qui bello*. In Schotti vero ed. et illis Variorum, *Prætor Hispanos superavit, unde ovans urbem introiit. Consul Ætolos Ambraciotasque, qui*. Ex hisce optime veram lectionem conjecerit, qui minime a Mss. recesserit. Pighius Ann. tom. II. p. 284. hæc ita refingit: *Prætor Vectores Oretanosque superavit, unde ovans urbem introiit. Consul Ætolos qui bello Macedonico interfuerant, post ad Antiochum defecerant*. Proxime ad Mss. me editurum credidi, si scriberem secutus vestigia antiquæ lectionis, *Consul Oretanos superavit, unde ovans urbem introiit. Consul Ætolos, qui*. De Oretanis vide Liv. xxxv. 7. lib. xxxvi. capp. 21. et 29. de Ætolis autem Florum II. 9. &c. Offendet certe repetitio vocis *consul*, sed tamen ita omnes Mss. et editt. sine ulla varietate; quare puto, hic minus accuratum esse Nostrum, qui *consul* posuerit pro 'prætore' seu 'proprætore;' vide Duker. ad Flor. II. 14. § 5. cap. 16. § 3. cap. 29. § 5. et IV. 12. § 38. *Arntz*.

Ovans] Id est, minori triumpho, de quo superius vide. *Mach.*

§ 2 *Interfuerant*] Hic quoque contra omnes edd. et Mss. *Romanis adfuerant* ediderat Schottus, cum recte utique dicatur 'interesse bello,' pro bellum simul gerere. Justin. xv. 2. § 16. 'Bellumque communibus viribus instruunt; cui cum Cassander interesse non posset.' Curtius IV. 5. § 9. 'Bello quod supererat interfuturus.' Val. Max. IV. 3. ex. 12. 'Cum bellis civilibus interesset:' et I. 7. ex. 1. ut in Mss. esse testantur viri docti, 'Proximo bello non interesset.' *Arntz*.

Ambraciam] Plinius l. III. 'Maximeque nobilitatus Ambracius sinus aucibus spatiosum æquor accipiens et in sinu oppidum Ambraci.' *Mach.*

Tamen signis] Vulgati *tamen*, Mss. *tum* præferunt. Agrippinense exemplar *Tm.* unde *tantum* scribo: ex nostis rursum natum mendum. *Schottus*. Est a Schotti conjectura; cum invenisset in exemplari Agrippin. *tm.* Vulgati prius *tamen signis*. Mss. ejus

et Palatinus unus, *tum signis;* quod malim. *Gruterus.* Ex emendatione Schotti hic habebamus *tantum*, et sic erat in cod. Haun. solenni librariorum errore ex compendiis scribentium Duker. ad Flor. I. 18. § 15. et III. 5. § 25. Burman. ad Ovid. Epist. Her. IX. 119. et Comm. ad Val. Max. V. 9. § 4. Malui ego recipere *tamen*, quamvis enim in deditionem receperat, tamen graviores iis conditiones inposuit, ut etiam signa tabulasque debuerint tradere. Illa enim publice de victis gentibus circumferri et in triumpho ostentari solebant. Eutrop. IV. 14. 'Antequam signa ænea et pictæ tabulæ, et alia urbis clarissimæ ornamenta, prælata sunt.' Livius XXV. 4. 'Ornamenta urbis signa tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam devexit.' XXVII. 16. 'Signa tabulæque prope, ut Syracusarum ornamenta æquaverint:' et Epit. lib. LII. fin. 'Signa ærea marmoreaque et tabulas pictas in triumpho tulit.' Livius XXVI. 34. 'Signa, statuas æneas, quæ capta de hostibus dicerentur.' Flor. II. 12. § 13. 'Primus dies signa tabulasque.' Confer Cort. ad Sall. Catil. c. 11. § 6. *Arntz.*

Tabulis] Picturis. *Mach.*

§ 3 *Quinctius Ennius*] Ennii prænomen in Mss. afuit: in Parisino et Coloniensi *Quinctus Ennius* diserte. Cæterum *Q. Ennius*, poëta ille insignis, nascente lingua Latina, post Livium Andronicum fuit, cujus scripta intercidisse dolent omnes. Cicero Tusculana prima principio: 'Cato objecit probrum Marco Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset. Duxerat autem consul in Ætoliam, ut scimus, Ennium.' Quæ tamen pugnant cum iis, quæ de Porcio Catone dixit auctor noster cap. 47. Idem pro Archia poëta: 'Jam vero ille, qui cum Ætolis Ennio comite bellavit Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.' Et in Bruto: 'Dicunt etiam Qu. Nobiliorem M. filium jam patrio instituto deditum fuisse studio literarum: qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Ætolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniam deduxisset.' Plinius Nat. Histor. XXXV. 'Zeuxis fecit figulina opera, quæ sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior transferret.' Hæc ideo copiosius, ut *Ætolos* leg. ex antiquis scidis confirmem, non *Achæos*. Schott. *Marcus* Fran. et Boend. non agnoscit uterque Leid. et Haun. *Quintus* Gram. edit. Agripp. et Ven. ceteræ *Marcus*. Adde Eumenii Pan. pro Rest. Schol. c. 7. § 3. *Arntz.*

CAP. LIII. § 1 *A fratre*] Qui dixit se iturum legatum, si fratri suo provinciam Græciam decrevissent. *Machan.* Afuit a Mss. aliquot. *Schott.* Not. Min.

Apud Sipylum montem] In Asia. Libro VII. belli Macedonici circa medium eam pugnam Livius non minus eleganter, quam aperte declarat. Sipylus notus est fabula illius decantatæ Niobes, ut hemistichium poëtæ elegiographi indicat: 'Lacrymas defluit a Sipylo.' *Mach.* Pugna facta circa Sipylum montem ad Magnesiam Asiæ urbem. Livius, Eutropius, alii. *Schott.* Veteres adspirare mediam syllabam hujus vocis monuit etiam Ciofan. ad Ovid. Met. VI. 149. et 231. *Arntz.*

Arcus] Mss. *artus* dicunt hebetatos, non *arcus*. Schott.

Asiaticus dictus] Mss. plenius legunt, *Hic cum Boiorum gente conflixit, in quo prælio XX. hostium millia interemit* (alius *interfecit* habet). Sed vereor ne ad Scipionem Nasicam sic referendum, qui cum Boiis pugnavit, Eadem autem ad verbum legas apud Oros. IV. 20. *Schott.* Admisi versum istum, suadentibus duobus Mss. Schotti: ut enim forte minus heic spectet, et referendus magis sit ad Scipionem Nasicam, cui cum Boiis istis negotium: quid tum? non insolens est

scriptori isti, quæ duorum fuerunt, attribuere uni: abest tamen periodus isthæc Palatinis codicibus. *Grut.* Sed nihil tale est in Nostris, quare glossema esse existimo, ex Orosio aliove, unde ille sua habeat, scriptore, huc translatum. *Arntz.*

§ 2 *Reus pecuniæ interceptæ*] Petiliis accusantibus; vel, ut alii censent, Marco Nævio: qui Africano quoque fratri institerat. Livii verba hæc sunt: 'Scipio cum contenderet omnem, quam accepisset, pecuniam in ærario esse, nec se quidquam publici habere; in vincula duci cœptus est.' *Mach.*

Gracchus pater tribunus plebei licet inimicus ejus] Eximie: memorabile profecto, 'Tib. Sempronium Gracchum' patrem 'Gracchorum,' in caussa publica privatas inimicitias deposuisse: alienum enim a reipublicæ dignitate videri aiebat imperatorem populi Romani triumphatorem in carcerem duci, in quem hostium duces victos conjecisset. Testis auctor noster c. LVII. et Liv. XXXVIII. Annali extremo. Agellius VII. 21. et Val. IV. 1. Tametsi hic pro *Lucio* non *Publio Scipione*, Tib. Gracchum intercessisse nobiscum sentiat, ut et Val. Antias; ille vero cum Livio scribat pro *Publico Africano* non pro *Lucio Asiatico*, cum quo tamen inimicitiæ intercedebant, hæc gessisse: vel Pub. Corn. Africanum pro fratre L. Asiatico rogasse tribunos, verbaque fecisse: intercedente tandem Tib. Sempronio, cui tamen cum Publio Scipione inimicitiæ erant. Livius hoc sensu: Pro P. Scipione et frater Asiaticus prædes postulatus se in judicio sistit, excusat: tandem tribunis appellatis intercedit Gracchus, licet inimicus Publii gravis ob plerasque in republica dissensiones esset: juravitque in amicitiam ejus. *Schott.* [Vide Lectt. Var.] Inimicitiæ tamen inter eos fuerunt, ut patet ex Livio XXXVIII. 52. nec tamen exinde statim sequitur, harum meminisse debere brevioris compendii epitomatorem. *Arntz.*

Intercessit] Livius ab hoc Africani quoque filiam uxorem ductam narrat: quod ad Asiaticum, hæc ad verbum refert: 'Tiberius Gracchus ita decrevit: quominus ex bonis Lucii Scipionis, quod judicatum sit, redigatur, se non intercedere prætori, Lucium Scipionem, qui regem opulentissimum orbis terrarum devicerit, imperium populi Romani prorogaverit in ultimos terrarum fines, non passurum eum, qui tot plurimos duces hostium in triumphum ductos incluserit, in carcere et vinculis esse, mittique eum jubere.' *Mach.*

M. Cato censor] Livius lib. XLVII. Scipionem a Catone allatrari solitum refert, et ex illo Fabius VIII. 6. *Schottus.*

Equum ademit] Non mirum, quia mirifico (alioqui gravissimus vir) livore in omnes Scipiones exardebat. *Mach.*

CAP. LIV. § 1 *Specie*] V. L. *in specie:* alii *in spem.* Ex compendiis nata varietas. *Schottus.* Species enim hic notat prætextum vel caussam, quam huic bello prætenderet. Justinus IV. 3. § 5. 'Ut sub specie ferendi Catiniensibus auxilii tentarent Siciliæ imperium.' XXVII. 3. § 5. 'Sub specie sororiæ ultionis Asiæ inhiabat.' Sulp. Severus Hist. Sacr. I. 34. § 6. 'Sub specie honoris objectare eum periculis statuit.' Sed non novum est, has voces a librariis per scribendi compendium esse confusas. Exempla habebis apud Freinshem. ad Curtium X. 8. § 21. et in Variis Lect. ad IX. 1. § 10. summum Gronov. ad Livium XXII. 24. Davis. ad Cæsarem Bell. Gall. VIII. 49. § 1. Duker. ad Flor. I. 18. § 15. Torren. ad Val. Max. VIII. 2. ex. 1. et Cort. ad Porcii Latronis Decl. c. 8. *Arntz.*

Lysimachiæ] A Lysimacho rege dicta, qui eam condi jussit. *Mach.*

Conditam] Mss. fere *quondam* legunt. *Schott.* Not. Min. Tamen omnes scripti et editi plerique *quondam.* Arntz.

Græciam] Accitus est ab Ætolis contra Romanos dimicantibus, maxime ad Græciam liberandam, Thoante eorum duce id decernente. *Mach.*

In Eubœa luxuria elanguit] Nimirum verba id Liviana significant: 'Rex a Chalcide Demetriadem profectus amore captus virginis Chalcidensis omissa omnium rerum cura in conviviis et vinum sequentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis quam ex satietate eorum in somno traduxit.' *Mach.*

§ 2 *Attilii*] De quo, et Thermopylis superius abunde lege in Catone. *Mach.* Mss. *Acinii*, proxime veritatem et Capitolinas Tabulas, quæ 'Manium Acilium Glabrionem' nuncupant, ut in Censorio diximus. *Schott.* *Attilii* uterque Leid. et Boend. et edd. *Actilii* Gramm. Vide tamen Daker. ad Flor. II. 8. § 10. *Arntz.*

Excitatus] Scripta lectio. Potest etiam *exercitus* participium esse pro 'vexatus.' Illud tamen malo. *Schott.* Not. Min. Sic optimi Mss. Schotti, neque abeunt Palatini, quam quod ii *excitus.* Prius impressi *exercitus:* minus recte: neque opus refingere id in *exercitu Thermopylarum;* nam illud *excitatus* respicit illud prius, 'In Eubœa luxuria elanguit;' tanquam nimirum ex deside somno Antiochum excitaverit Acilius. *Gruter.* Nescio cur hæc scriptura viros doctos potuerit turbare, cum sine dubio *excitatus*, si a Mss. foret, posset ferri. Hæc vox enim de eo dicitur, qui socordia quasi somno oppressus, interveniente aliqua re ad alacritatem et studium bene merendi erigitur. Livius I. 48. 'Trepido nuntio excitatus, extemplo a vestibulo curiæ magna voce, quid hoc, inquit.' Valer. Max. II. 9. ex. 9. 'Rumore enim ejus excitati omnibus viribus incubuerunt.' Confer Burm. ad Vell. Paterc. I. 8. § 1. Præfero tamen *excitus*, quod est in quatuor codd. in duobus sc. Fran. et Boend. *exercitus*, quomodo reliquæ etiam edd. si ab Agripp. et Ven. discesseris, qui *excitus* tuentur, quam vocem etiam sibi commodiorem videri monuerat in Variis Lectionibus Grammius. Ita Justin. II. 4. § 22. 'Qua re effectum est, ut paucæ repentino tumultu excitæ arma caperent.' *Arntz.*

§ 3 *Navali prælio*] Non inficete Boend. *navali bello; τὸ prælio* potest esse expositio vocis 'belli;' quia bellum sæpe pro prælio ponitur, quod fugit indoctos librarios. Justin. V. 4. § 2. 'Prælio commisso victoria penes Athenienses fuit. Eo bello major pars exercitus cæsi.' Veget. de Re Mil. III. 14. 'Prima autem et secunda acies totum sustinet bellum.' Frontin. I. 11. ex. 2. 'Præclara victoria commisso statim bello peracta est.' Dict. Cretensis II. 4. 'De sepeliendis qui bello ceciderant.' et c. 41. 'Ancipiti fortuna bellum ad occasum solis producunt.' Dares Phrygius de Exc. Trojæ cap. 24. 'Hector ut audivit tumultum in bello.' Adde Bernecc. ad Justin. IX. 4. § 4. Varr. Lect. ad Curtium III. 10. § 3. Duo Mss. apud Val. Max. I. 7. § 1. 'Proximo bello interesset:' reliqui *prælio:* quomodo apud Sallust. variatur teste Cortio ad Catil. c. 9. § 4. et Jugurt. c. 63. § 3. A Græcis transumta significatio, apud quos πόλεμος hac significatione frequentissimum, præsertim apud Homerum Il. Γ. vs. 133. Il. M. vs. 123. et passim. Ælianus Varr. Hist. III. 9. Raphelius in Epist. I. ad Corinth. c. XIV. vs. 8. et ad Apocal. Joannis c. XII. § 7. *Arntz.*

A L. Æmilio Regillo] De quo Lucius Florus: 'Æmilius Regillus adversus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Mionnessum Rhodiis adjuvantibus, et idem navalem duxit triumphum.' *Mach.*

Scipionis Africani] De Antiocho, qui Scipioni Africano minori dona miserat, Cicero pro Dejotaro, ubi tamen *Attalum* pro *Antiocho* μνημονικῷ ἁμαρτήματι nominat. *Schott.* Ita Ursin. ad Cicer. pro Dejot. cap. 7. *Arntz.*

Quasi] Deest in Mss. et certe a glossa est. *Schott.* Not. Min. Invitis et omnibus scriptis et edd. hic ejecta fuerat vox *quasi*, quæ hic nihil minus quam glossam sapit, nisi totam paragraphum ejiceres. Livius certe tuetur II. 12. 'Tum Mucius, quasi remunerans meritum, Quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos.' *Arntz.*

§ 5 *Ultra Taurum montem*] Idem Florus scribit, 'Victo deinde Antiocho a Lucio Cornelio Scipione, adjuvante Eumene rege Attali Pergameni filio, pax data ea conditione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet.' *Mack.*

A sodalibus] Sodales proprie in rebus levioribus et fere in conviviis et compotationibus. Quidam inde deducunt, quasi 'simul edales,' vel quod 'sederent simul' in mensa, vel una essent, vel quod e 'suo datis' vesci solerent. Cicero in Catone Majore: 'Epulabar modice cum sodalibus.' Catullus: 'Mei sodales quærunt in trivio vocationes.' Græce σύσσιτοι dicuntur. Caius l. ultim. D. de Collegiis illicitis: hinc Syssitia erant apud Lacedæmonios a Lycurgo instituta, hoc est, comissationes et socialia convivia, teste Plutarcho, et Strabone lib. x. *Schott.*

Pulsaverat] Quod Offutius JCtus ait 'pulsare' esse sine dolore, 'verberare' cum dolore, claudicat. *Schottus.*

Occisus est] Strabo lib. XVI. interfectum a barbaris cum templum Beli spoliare conaretur: D. Hieronymus in XI. Danielis, cum adversus Elimæos pugnaret cum omni exercitu deletum ait. Aliter Justinus lib. XXXII. adhibito exercitu nocte templum Didymæi Jovis aggressum, concursu insulanorum cum omni militia interfectum. *Schott.*

CAP. LV. § 1 *Vulso*] Mss. et Romana marmora; non *Volso.* Iidem tamen libri 'Caium Manilium Vulsonem' vocant. *Schott.*

Consul] Addunt Mss. *Schott.* Not. Min. In nullis tamen nostris apparet. *Arntz.*

Ordinandam] Leid. 2. *ornandum.* 'Ornare' milites, exercitum, classem, quid fit sciunt omnes. Cicero pro Lege Manil. c. 8. et in Verrem v. 17. Livius XXI. 50. Tacitus Hist. III. 63. Justinus v. 6. § 1. Gellius v. 2. Manut. ad Cicer. ad Famil. Epist. x. 23. Heins. et Burm. ad Ovid. Epist. Her. IX. 103. Duker. ad Flor. I. 16. § 7. et Vorstius et Torren. ad Val. Max. IV. 3. ex. 4. et v. 1. ex. ext. 3. 'Ornari' igitur provincia dicitur tum, si Romæ omnia ea præparantur, quæ ad gerendum bellum et administrationem provinciæ censentur necessaria. Livius XL. 36. 'Qui suas ornari provincias, priusquam de prætoris exercitu quæreretur, æquum censebant:' et Sueton. in Cæsare c. 18. 'Neque more neque jure, antequam provinciæ ornarentur, profectus est.' Confer Sigon. de Jure Prov. II. 1. Verum aliud quid notat 'ordinare provinciam.' Illud enim de ornatu pertinebat ad senatum; 'ordinare' autem de ipso duce dicitur, qui rebus gerendis præest, vel qui mittitur ad res inspiciendas, seu constituendam regiminis formam. Florus II. 16. § 3. 'Igitur Metello ordinanti tum maxime Macedoniam mandata est ultio.' IV. 2. § 22. 'Pulso fugatoque Pompeio maluit prius ordinare provincias.' Vell. Paterc. II. 92. § 2. 'Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar:' et lib. eodem c. 94. § 4. 'Missus cum exercitu ad visendas ordinandasque, quæ sub Oriente sunt, provincias.'

Livius XL. 39. et Gronov. ad Justin. XL. 39. Sed hæ voces passim solent a librariis confundi. Adi Gruter. ad Cicer. ad Quint. Fratr. II. 3. Bosium ad Nepotem Attico c. 18. § 1. et Commentatores ad Val. Max. IX. 1. ex. ext. 2. *Arntz.*

Provinciam] Universam Asiam. *Mach.*

Cupiditate triumphi] Mss. libri *cupidine triumphandi* præferunt. *Schott.* Etiam Mss. Palatini: nihilo pejus. *Grut.* Quare ita nostris Mss. faventibus edidimus, quibus accedit edit. Mach. et Ovid. Met. VI. 50. 'Stolidæque cupidine palmæ In sua fata ruit.' Sallust. Jug. c. 19. § 1. 'Alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine.' Livius XXI. 10. 'Juvenem flagrantem cupidine regni.' Dict. Cretensis de Bell. Troj. III. 15. 'An bellandi cupidine auxiliatum:' et IV. 4. 'An cupidine decipiendarum rerum, quas secum advexerant.' Vell. Paterc. II. 33. § 1. 'Bello pene invictus pecuniæ expellebatur cupidine.' Sulpit. Severus Hist. Sacræ II. 17. § 5. 'Adfectantes summum sacerdotium libidine, avaritia, et dominandi cupidine.' Infra Epit. c. XLI. § 22. 'Constans vero venandi cupidine, dum per silvas saltusque erraret.' Vide Wasse ad Sallust. Jug. c. 6. p. 240. Porro *triumphandi* recipiunt tres codd. quod perinde est. *Arntz.*

Pisidis] Ii consentientibus cunctis cosmographis prope Pamphylios ac Lycios existunt. *Mach. Pisidiis* Leid. 1. et Boend. *Persicis* Hann. corruptus uterque. Mela I. 2. 'Cappadoces, Gallogræci, Lycaones, Phryges, Pisidæ.' Cicero de Divin. I. 15. 'A Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur.' Plinius Hist. Nat. V. 27. et Strabo Geogr. XII. 854. &c. *Arntz.*

Gallogræcis] Qui duce Brenno in Græciam se effuderant, auctore Trogo Pompeio lib. XXIII. ut et nomine ipso patet. *Mach.*

§ 2 *His facile victis*] Lucius Florus XXXVIII. Epitome ita scribit: 'Cneus Manlius consul collega ejus Gallogræcos, Tholistoboios, Tectosagos et Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum minime parerent, vicit.' *Machan.*

Orgiagontis] Vetus lectio excusorum librorum *Oriaguntis.* Plutarchus aliique *Origontem,* T. Livius *Orisgontem* nominat; vidi qui *Ortiagontis.* Uxor apud Plutarch. de Claris Mulieribus 'Chiomera' appellatur, de qua Valerius VI. 1. *Schott.*

Centurioni] Plutarcho raptor 'tribunus militum' est, non 'centurio.' *Schott.*

Adulterum] In vulgatis *adulterum centurionem.* Centurio ἀπὸ κοινοῦ repetitur. In Mss. omnibus afuit. *Schottus.* Delevimus igitur addicentibus Mss. edit. Agripp. et Ven. *Arntz.*

Interficiendum tradidit] Livius ac Florus inquiunt ipsammet centurionem occidisse. *Mach.*

CAP. LVI. § 1 *Paullus*] Duplici liquida scribo monente Scauro veteri grammatico. *Schott.*

Æmilius] In ea familia primus a suavitate sermonis dictus, quam Græce αἱμυλίαν vocant, a Pythagoræ filio nomen habente, alii ab Ascanii filio Æmilio dicunt. *Mach.*

Liguribus] Qui ei naves, et opida reddiderunt, ipse autem dirutis mœnibus omnes naves præter tres et quinquaginta eis reliquit. *Mach.*

Triumphavit] Sicuti de Illyriis primo consulatu pater hujus triumphavit. De hoc sic Vell. Paterculus libro posteriori: 'Qui prætor et consul triumphaverat:' forte mendum, pro *qui priore consulatu triumphaverat.* Schott. Sic et conjecere ante Schottum alii, rectius tamen receptam tuentur Pighius Ann. tom. II. p. 387. et Lipsius ad Vell. I. 9. § 3. Quare hoc loco

legendum esse *ex primo consulatu* conjicit Oudend. ad Frontin. III. 17. § 2. *Arntz.*

§ 3 *Persen*] Regem Macedoniæ, qui et Perseus dicitur, quem constat pugnantem exercitum deseruisse, ut Herculi Deo sacra facturum, qui ignava sacra ab ignavis non recipit. Tandem ad templum confugit, M. Octavio Æmilii legato insequente, pactus cum Oroande Cretensi lembum habente, ut asportaretur. Cui cum aurum tradidisset, et argentum; et Perseus ad litus pervenisset: Oroandes arte Cretica fretus, pecuniam quidem suscepit, ipsum vero Perseum cum liberis, conjuge ac necessariis noctu ad mare certa hora venire jussit, ac anticipata navigatione reliquit, unde per Anthonem proditorem filiis Romanis traditis coactus est a Romanis se tradere; ut avis captis ejus pullis se victum flevit: per Octavium ad Æmilium ductus est, (ut per dominum Lignici Maurus ad regem) qui utpote viro ex alto dignitatis gradu prolapso assurrexit, et obviam cum amicis processit; ad illius casum illacrymatus est: Perseus vero, Plutarcho scribente, turpiter in terram procubuit, et genua Æmilii amplectens, voces emisit degeneres, quas non tulit imperator Romanus, nec audire preces sustinuit, sed tristi vultu illum intuens: 'Quid fortunam, inquit, crimine liberas,' et reliqua. *Mach.* *Persen* melius scribes quam *Perseum*, et sic omnes scripti et editt. nisi quod Fran. *Presem.* Confer Gronov. ad Gell. Noct. Att. VII. 8. p. 379. Heins. ad Velleium I. 9. § 4. Græviam ad Justin. XXXIII. 2. § 10. Duker. ad Flor. II. 12. § 2. et Torren. ad Val. Max. I. 5. ex. 3. *Arntz.*

Quem] Relativum abest in Mss. *Schott.* In Plantiniana ed. induxerat hoc relativum Schottus, sed agnoscunt antiquiores edd. et Mss. *Arntz.*

§ 4 *Duos filios amisit*] Horum alter quinque diebus ante triumphum mortuus est, alter tertia die post triumphum decessit. *Mach.*

Esset calamitate] Msc. unus eximie *sua calamitate erat depulsum.* Tale dictum Camilli. Val. Max. I. 6. et de Paullo Æmilio ibidem. *Schott.* Et Seneca Consol. ad Marc. c. 13. *Arntz.*

Decisum] Alii *depulsum.* Averruncare Deus mala dicitur. *Schott.* Not. Min. *Decisum:* ita et duo Palatini nostri, videturque melius, quam id quod alii laudant e membranis suis, *Grut.* 'Decidi' dicitur caussa vel quæstio, quæ pactione, transactione vel judicis sententia ad finem perducitur. Cicero pro Roscio Amer. cap. 39. 'Ut cum Chrysogono transigeret atque decideret:' et de Harusp. Resp. cap. 20. 'Recenti adventu suo cum propinquis suis decidit.' Martial. Epigr. IX. 4. 'Decidat tecum qua pater ipse Deum.' Symmachus Epist. VI. 11. 'Pretium scripseram cum venditore decisum.' Apud JCtos frequentissimum. Vide Noodt de Pactis capp. 8. et 27. Gronov. ad Senec. Controv. II. fine, et Burmann. ad Quinctil. Decl. XII. 12. et 23. *Arntz.*

§ 5 *Ludis Circensibus*] In quibus equi currebant ad missus, de quibus alias diximus affatim. *Mach.*

§ 6 *Licentiam*] Sic vulgati paullum modo vetustiores; quæ lectio cum Colinæum offendisset, in *abstinentiam* mutavit. Nos *continentiam* in calamo exaratis reperimus, quare nihil caussæ visum est, cur non eos potius quam vulgatos sequeremur. Est enim continentia virtus, qua quis ab alienis temperat: nihil quærit, cupit, appetit amplius. Hanc in duce plurimum commendat Cicero in Maniliana, et Offic. lib. II. 'Laudat,' inquit, 'Africanum Panætius, quod fuerit abstinens.' Post non longe: 'Nulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui R. P. præsunt, quam abstinentia et

continentia.' Sic alibi sæpius. Corn. Nepos in vita Attici: 'Non intemperanter concupiscere, quod a pluribus videas, continentis debet duci; et potius diligentia quam prælio parare, non mediocris est industriæ.' Continentia certe et abstinentia in eodem fere usurpantur re a Cicerone et Val. Max. qui I. 3. titulum habet 'De continentia et abstinentia:' et Valla Elegant. IV. 41. 'Continentiam' pro ea virtute, quæ libidinem avaritiamque coërcet, Cicero usurpat Epist. ad Q. fratrem lib. I. 'Quid est,' inquit, 'negotii continere eos quibus præsis, si te ipse contineas?' Nam paullo post, 'Tu tum pecuniarum voluptati, tum omnium rerum cupiditati resistes, ut facies.' In Manliana vero pro ea, quæ avaritiæ inimica esset: 'Neque enim potest exercitum continere is imp. qui seipsum non continet.' Mox de 'temperantia,' quæ voluptates reprimit, agit. Alias continentia generalius est, et abstinentiam comprehendit. Temperantia ab alienis; continentia a libidine et voluptate abstinet. Plutarchus autem Æmilium pecuniarum minime studiosum fuisse diserte scribit, et hæreditatis parum habuisse. Si quis tamen licentiam prodigalitatem significare exemplis doceat, facile patiar ita legi: sed cur addit *paupertatem?* an pauper prodigus esse possit, qui nihil quod det habet? Incontinentes et oculos et manus habuerunt, qui continentiam hic, quam aut non intelligebant, aut non servabant, contaminarunt, subjeceruntque licenter nimis licentiam. Facessant corruptores illi. Memini ego, J. Olivario viro disertissimo hanc meam emendationem vehementer probatam, cujus vel singulare judicium atque doctrina instar omnium erat futurum. *Schott.* Continentia quidem ea est virtus imperatorum et magistratuum, qua se opibus publicis ditare nolunt, nec aliorum possessiones ad se trahere, sed res civium sociorumque sancte tractant. Justin. XVIII. 2. § 8. 'Huic continentiæ Romanorum simile exemplum iisdem ferme temporibus fuit:' et XLIV. 2. § 8. 'Cujus ea virtus continentiaque fuit.' Frontinus Strateg. IV. 3. ex. 12. 'Universi quoque exercitus notabilis sæpe fuit continentia.' Et recte Schottus exponit per eam virtutem, quæ libidinem avaritiamque coërcet, quibus vitiis eam opponit Lactantius Div. Inst. V. 2. 'Ut continentiæ magister non magis avaritia, quam libidinibus arderet.' Adeo ut hæc vox sensui quidem recte satisfaciat, præsertim cum hujus Paulli abstinentia quoque laudetur in Epitoma Livii lib. XLVI. Verum ego id mihi non sumo, ut contra Mss. codd. et antiquas omnes edd. (princeps enim id mutavit Schottus in Plantiniana) talia audeam intrudere. Potius errorem hunc auctoris puto, qui existimabat, quamvis falso, intemperantem vitam egisse Paullum, nec inmodicis sumtibus modum statuisse. Nec aliter Pighius, quamvis dubius, an non potius hoc vitium librariis esset tribuendum, Ann. II. 412. Licentiam igitur ei tribuit, qui liberius atque luxuriosius vivebat, qui omnia quæ libebant, licita putabat. Cicero in Verr. III. 1. 'Nunquam ipsimet nobis præcideremus istam licentiam libertatemque vivendi.' et II. 22. 'Luxuriæ licentiam pollicetur.' Rogabit hoc loco Schottus: 'Cur igitur addit *paupertatem?* an *pauper* prodigus esse possit?' respondeo, sine dubio posse; pauper enim, non, ut multi prave putant, egenum notat, sed eum, qui mediocri est fortuna; qui ea possidet, quibus facile vitam sustentare, et quiete potest vivere. Confer Passer. et Broukh. ad Tibull. El. I. 1. 3. Eo itaque modo hæc lectio ferri potest, sed tamen multo prius præferam *continentiam*, si ita voluerint Mss. *Arntzen.*

Dos] Ut soluto matrimonio dos redderetur jam heroicis temporibus obtinuit, de quibus Feithius Ant. Hom. II. 13. Quod postea ad Romanos transiisse constat ex Cicer. ad Fam. Epist. VI. 18. et Capitol. in Anton. Philos. c. 19. Apud JCtos nemo hac de re dubitat. Vide Noodt et ceteros ad tit. ff. 'Soluto matrimonio dos quemadmodum repetatur.' *Arntz.*

CAP. LVII. § 1 *Tiberius*] Prænomen est, non *Titus*, auctoribus libris antiquis et Capitolinis Fastis. Natus error quod *Ti.* compendio scriberetur. *Schott.*

Duci in carcerem] Post, ante *passus* cum plerisque codd. et editt. delevimus verbum substantivum *est:* de quo sup. ad cap. 49. § 1. et Burman. Præfat. ad Valer. Flacc. pag. 7. *Arntz.*

§ 2 *Prætor Galliam domuit, consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam: tantumque captivorum*] Ita vulgati omnes quos quidem videre contigit, nec variant Mss. Repugnat historiæ veritas: Ordinem perturbatum sic restituere ex Livio tentabam, nescio an feliciter: *Prætor* (DLXXIII.) *Hispaniam obtinuit, et altero* (DXC.) *consulatu Sardiniam, quam* (DLXXVI.) *primum consul domuerat: tantumque* (DLXXVII.) *captivorum adduxerat,* et cetera. Mss. iidem addebant *tantumque numerum captivorum adduxerat,* et cetera. Vel pro *Gallia* affini voce *Gallæciam obtinuit* quis substituat, quod in *Galliam* depravatum. Lege et Sebast. Corradum in Brutum Ciceronis et Appianum in Ibericis, Orosium IV. 20. *Schott.* Præstat auctorem notare ἀνιστορησίας cum Sigonio, quam ei invitis omnibus Mss. facere medicinam; non admittunt eam loci tam desperati: oleum tantum et opera perditur. *Grut.* Consule Pighium Ann. tom. II. p. 354. *Arntz.*

Tantumque] Mss. addebant *numerum.* Schott. Sed hoc non opus est. Capitol. in Maximinis c. 13. 'Tantum captivorum adduxi, ut vix sola Romana sufficiant.' Quid *sola* hic? an igitur relictis sedibus captivis habitationes suas concederent cives Romani, an per *sola* intelligit agrum Romanorum publicum? non crediderim. Malim *fora,* in quibus scilicet sub corona vendebantur. *Arntz.*

Sardi venales] Plutarcho in Problematibus et in libello Proverbiorum exponitur, uti si dicamus 'copiam esse rerum vilium, ac nihil valentium.' *Mach.* Vide Plut. in Problematibus et in vita Romuli: et Erasmi Chiliades Adagiorum. Libet autem ex Sex. Pompeii de Verb. Signific. lib. XVII. adscribere locum antehac mutilum: nunc a Jos. Scaligero, Julii filio, summo ingenio integrum factum: 'Sardi venales, hoc est, alius alio nequior. Ex hoc natum proverbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt a vicanis prætextatis, auctio Veientium fieri solet, in qua novissimus is, qui omnium deterrimus, producitur a præcone in medium senex, cum toga prætexta, bullaque aurea: quo cultu reges soliti sunt esse Etruscorum, qui Sardi appellantur, quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia. Tyrrhenus enim inde profectus cum magna manu eorum occupavit eam partem Italiæ quæ nunc vocatur Etruria. At Sinnius Capito ait T. Gracchum consulem, collegam P. Valerii Faltonis, Sardiniam Corsicamque subegisse: nec prædæ quidquam aliud, quam mancipia captum, quorum vilissima multitudo fuerit.' Huc Cicero allusit epistola ad Fabium Gallum Epistolar. ad Fam. lib. VII. 'Habes Sardos venales alium alio nequiorem.' Quo modo fere 'Syros venales' explicat Cæsar apud Ciceronem de Oratore lib. II. Verum fallitur Capito, qui Faltonem Sempronii nostri collegam facit: hi enim anno U. IOXV. Coss. fuere, quorum et Tacitus

Histor. lib. III. meminit. Lubricus error, hinc forte natus, quod eo anno ab illo Graccho Sardi sint debellati, teste Zonara. Sed demus alienis erratis veniam, ut nostris impetremus. *Schott.* Et magnus Gronovius de Pec. Vet. IV. 10. *Arntz.*

§ 3 *Censor*] Idem Cicero de Oratore lib. I. refert. Livius vero lib. XLIII. extremo, quod 'in recensendis equitibus tristis admodum et aspera eorum censura fuisset, multisque equum ademissent, equestrem ordinem offendisse, P. Rutilium tribunum pl. patronum caussæ suæ nactos.' *Schott.*

Qui occuparent] *Occuparent* repone ex veteribus libris; nisi *quod* legere mavis. *Schott.*

Quatuor] Tribus urbanæ erant Suburana, Palatina, Collina, Exquilina. *Mach.*

Urbanas] In quas transferri ignominia esset desidiæ. *Mach.* Inspice Sigon. de Jur. Civ. Rom. II. 14. et Pighium Ann. tom. II. p. 374. *Arntzen.*

Populo] *Popillio* repono. Nam 'M. Popillius' ex Livio lib. XLIII. et Val. Max. VI. 5. etsi in Stephani Pighii ed. hodie *Rutilius* legatur. De quo Tacitus Annal. l. III. et in Oratorum Dialogo. De re autem sic M. Tullius de Rep. lib. VI. apud Agell. VI. 17. 'Quod quidem eo fuit majus, quia cum in causa pari collegæ essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.' *Schott.* Sed unanimi consensu omnes *a populo;* et *Rutilius* editur apud Liv. XLIII. 16. et Val. Max. VI. 5. ex. 3. ubi confer Torrenium. *Arntz.*

Collega ejus Claudius] Appianus primo belli civilis: nec non Appius Claudius Tyberii socer consona totius populi voce declaratur. *Mach.*

Cum eum duæ classes condemnassent] Mediolan. *cum Claudium condemnassent ἀπὸ κοινοῦ. Schott.* Ita edidimus ex Mss. omnibus et priscis edd. dederat Schottus *factus est: et cum.* In ed. vero Pitisci haud dubie incuria librariorum exsulabat particula *et.* Vide Gronov. ad Melam l. I. procem. In sequentibus truncavit auctorem Leid. 1. cum deleat *in exsilium.* Val. Maximus III. 8. ex. 4. 'In exsilium quam in legem ejus ire maluit.' *Arntzenius.*

§ 4 *Geniali e toro*] Ubi fit generatio. *Mach.* Ante *cum* part. *et* neglexerat Schottus, aliter ac Mss. et edd. *Arntz.*

Repsissent] Libri veteres *serpsissent* legunt. *Schott.* Not. Min. Ita solus Leid. 2. et ed. Mach. Sed vide quæ ad c. XXII. § 2. notavimus supra. *Arntz.*

Marem interfici] Paullo post jussit; subsequuta morte, relictisque XII. liberis superstitibus. *Mach.*

Cap. LVIII. § 1 *Æmilianus*] Dictus, quia ipse Paulli Æmilii fuit filius: e quatuor n. liberis duo in adoptionem dati: duo autem retenti a Scipione Africano filio majoris Africani, qui ob imbecillitatem gignere non potuit. *Mach.*

Scipione Africano] Non patre, sed filio valetudinario: nam Africanus major huic avus fuit ex adoptione filii. Hic enim apud Cic. in somnio, ait, sibi Africanum avum magis ex imagine, quam ex ipso notum fuisse. Vide L. Ann. Flor. II. 15. *Schottus. Scipione Africani filio* etiam d'Orvillius, quod non vitupero. Ita enim neque erravit auctor, uti putabat Simsonius in Chron. ad ann. M.DCVIII. neque necesse est, ut expositione ei succurratur, quod tentavit, neque infeliciter, clarissimus illius chronologi editor Wesselingius. *Arntz.*

§ 2 *In Hispania*] Alii accusandi casu *Hispaniam*, non recte. Vide Appian. in Ibericis, Eutrop. l. IV. aliosque. *Schott.* Vide ad c. 6. § 9. et vir. doct. ad Curtium I. 5. § 10. *Arntz.*

Apud Interocatiam oppidum] [Vide Not. Delph.] Et Ampelius Lib. Memor. c. 22. *Arntz.*

§ 3 *Hostilis civitatis*] *Hostiles* antiqui libri edunt. *Schott.*

Adscendit] Mss. alter aperte *escendit;* quomodo Cornelius Fronto grammaticus in litera E Latine dici ex Sallustii Jugurthina docuit. Unde antiquos admodum aut ex antiquissimis descriptos colligo codices nostros. *Schott.* Exemplum unum Schotti *escendit:* forma antiqua. *Grut.* Pariter apud Cæsar. Bell. Gall. VII. 28. § 2. restituit Gronov. ad Liv. II. 27. et Davis. 'Iis, qui primum murum escendissent:' et sic passim *escendere* pro *adscendere* e Mss. prætulere eruditi. Gebhardus Crepund. III. 23. et ad Cicer. Tusc. Disp. V. 9. Grævius ad Cicer. de Off. III. 20. Taubman. ad Plauti Trin. IV. 2. 100. Gron. ad Senec. Herc. Furent. vs. 21. Perizon. ad Val. Maximum I. 1. ex. 10. Snakenb. ad Curtium III. 8. § 22. Cortius ad Sallust. Catil. c. 55. § 3. et Jug. c. 25. § 5. Burm. ad Ovid. Met. XI. 394. et Bentleius ad Terentii Andr. II. 2. 19. Sed Noster non adeo est antiquitatis studiosus, et aliter volunt scripti cum omnibus edd. quare talia non semper cuivis auctori sunt inculcanda, præsertim cum 'adscendere' hoc modo recte dici nemo negaverit: Virgil. IX. 507. 'Quærunt pars aditum, et scalis adscendere muros.' Et eod. lib. vs. 37. 'Ferte citi ferrum, date tela, adscendite muros.' Sic cod. oblongus apud Pierium et Excerpta Vossiana, quamvis et eo loco *escendite* maluisse Heinsium ex eo colligo, quod pluribus de hac voce se acturum eo loco promittat ad Val. Flaccum I. 206. quæ tamen notæ iniqua conditione perierunt. Et sic certe putabatur, cum hæc scriberem. Postea hæ notæ salutari fato in manus pervenerunt summi Burmanni, cui non satis est eruditum orbem suis tantum sibi devinxisse meritis, neque etiam alius erat dignior, qui et has Heinsii reliquias ab internecione miserrima servaret. *Arntz.*

M' Manilio] Fuit autem L. Marcii Censorini collega, anno DCIV. *M' Manilius.* Sic enim Fasti Capitolini, Cicero de Republ. lib. VI. et ad Attic. lib. XII. et Appianus nominant. *Schott.* Quinque scripti et antiq. edd. *Tito Manlio:* Haun. *Tito Mallio.* Primus Aldus eumque secuti Gryph. et alii edidere *Tito Manilio.* Sed tales aberrationes et faciles et frequentissimæ sunt. Sigonius ad Livii Epist. XC. Gronov. ad Plinium Hist. Nat. XXII. 6. Comment. ad Florum I. 11. § 1. Oudend. ad Obseq. de Prod. c. 102. et nos sup. ad c. 16. § 1. *Arntzen.*

Cohortes] Acies: nam aliud *cortes* significat; pullorum enim sunt. *Machan.*

Obsidionali] Gellius scribit solitam dari talem coronam gramineam his qui *obsessum* locum primi ascendebant: nam ea in desertis locis nascitur. *Mach.* *Aurea:* vox hæc ope veterum codicum accrevit. De coronis vide supra in Decio et Agell. quinto. *Schott.* Illud *aurea* non legitur in antiquitus editis: sed exstat tamen in Palatinis, ut etiam in tribus Mss. Schotti nostri. *Grut.* Et in omnibus nostris, edit. Agripp. et Veneta. *Arntz.*

§ 5 *Ante annos*] Florus Epitomes Livii capite quadragesimo nono; 'Cato vir promptioris ad vituperandum linguæ in senatu sic prosequutus est, ut diceret, reliquos, qui in Africa militarant, umbris militare, Scipionem vigore; et Po. Ro. eo favore illum complexus est, ut communiter eum tribus consulem scriberent, cum hoc per ætatem minime liceret.' *Mach.* Ætatis trigesimo sexto anno, M. Velleio Paterculo auctore. *Schott.* Not. Min.

Correcta prius disciplina] Per Pom-

pcium, quæ per Mancinum corrupta erat: omnia enim deliciarum instrumenta rejecit; duo millia scortorum e castris ejecit; militem omni die in opere habuit. *Mach.* Alii *Correpta.* Schott. Ridicule quidam librarii *correpta;* quasi 'corrigere' non esset vox hac in re propria. Cicero ad Fam. Epist. x. 15. 'Quod exercitus Lepidi eam partem, quæ corrupta est et ab rep. alienata, et corrigere et coërcere præsentia mei exercitus possem.' Sueton. Vespas. c. 4. § 11. 'Correcta statim castrorum disciplina:' et c. 8. § 7. 'Ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret.' Plinius Paneg. c. 6. § 2. 'Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres.' Quinctil. Decl. iii. 15. 'Delicta militum coërcebit? Tribuni corpus et peccatum corriget?' Vulcat. Gallic. in Avidio Cassio cap. 6. 'Ergo correcta disciplina res optime gessit.' Capitolinus in Maxim. cap. 8. 'Cum videretur disciplinam velle regere militarem, cujus exemplo civilia etiam corrigere voluit.' Frontinus Strat. iv. 1. ex. 1. 'Corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit:' ubi alia Kuchenius. Eutrop. iv. 27. 'Exercitum ingenti severitate et moderatione correctum.' Noster cap. seq. § 1. 'Exercitum Popilii acceptum prius corrigere decrevit.' Eadem est varietas apud Cort. ad Sallust. Jug. c. 94. § 7. *Arntz.*

Numantinus] Ovidius, 'Ille Numantina victor ab urbe redit.' *Mach.* Mss. uno consensu *Panætio philosopho;* non male. Utroque enim familiariter usum non difficile mihi esset ex Ciceronis Lucullo et de Rep. lib. vi. et Plutarchi non solum Vitis, sed et Ethicis scriptis, ac Suida ac Velleio libb. i. et ii. extr. comprobare. Sic ille Offic. lib. i. 'Panætius auditorem Africanum, et familiarem suum solitum ait dicere, ut equos propter crebras,' &c. Post: 'In C. Lælio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione ambitio major.' Horat. Sat. ii. 1. 'Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Læli.' Ausonius Paullino: 'Nos documenta magis felicia, qualia magnus Scipio, longævique dedit sapientia Læli.' Usus et Polybio familiariter historicorum Græcorum principe: Suidas et Velleius lib. i. *Schott.* [Vide Lectt. Var.] Adeo ut videatur rescribendum *Hinc Numantinus. Panætio philosopho plurimum usus.* Alludit huic scripturæ alter Palatinus, in quo *Hinc Numantinus, et eo plurimum, &c.* Certe *Lælius* heic intrusus est ab iis, qui non meminerant de Panætio unquam locutum Plinium, sæpius vero meminisse Lælii: hancque lectionem alioquin propugnat sequens versus; 'ad reges adeundos missus, duos secum præter eum servos duxit.' Consulatur Velleius i. 13. *Grut.* De Panætio inspiciatur Menagius ad Diogenem Laërtium Segm. vii. 41. Alia non addo, scribentem enim et nonnulla de hoc loco meditantem interrumpit et valde conturbat tristissimus nuncius de morte carissimi fratris Arnoldi Arntzenii, de cujus mihi ingenio atque industria multa promittebam. Commendationem jam primæ ætatis adquisiverat elegantissima dissertatione de 'Lamina aurea Pontificis Maximi.' Et plura ei debuisset eruditior orbis, nisi immatura morte præreptus spem nostram destituisset. 'Ille jacet gelido præceptus funere, quondam Qui mihi deliciæ, qui mihi frater erat. Quid raptum flemus juvenem, qui Numine tutus Maluit æthereas lætus adire domus? Ut vivat, moritur; matrem fratresque reliquit, Quo celebret placidum per pia secla Deum.' Non ægre feret hunc excursum ingenuus lector, qui intelligit, quid debita fraternis manibus pietas, quid litterarum amor queat efficere apud eos, quorum studia ab humanitate sibi vindicant nomen. *Arntz.*

§ 7 *Duos servos*] Quinque refert Athenæus lib. VI. Δειπνοσοφ. his verbis: *Σώφρονες δὲ ἦσαν καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι. Σκιπίων γοῦν ὁ Ἀφρικανὸς ἐπίκλην, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τοῦ συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσιν, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας, ὡς ἱστορεῖ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος.* Plura de his Joh. Alex. Brassicanus Adagione 'Sannione relicto.' Cæterum de simili Romanorum veterum continentia, Cicero in Maniliana, pro Flacco, et Verrina lib. VI. Val. Max. IV. 3. et nos alibi ex M. Porcio Catone et Plinio majore lib. VII. *Schott.*

Superbus] *Superbe* malo. *Schottus.* Duo codd. Fran. et Hauu. *superbum*, ut ad Gracchum referatur; male: neque melius quod Schottus mavult, *superbe*. Quorsum enim tum referas voces *ob res gestas?* Sed *superbus* hoc loco est is, qui propter res præclare gestas se super alios extollit. Lucanus II. 508. 'Captivum traxere ducem, civisque superbi Constitit ante pedes.' Conferantur quæ supra notavimus largiori manu ad capp. 8. et 18. de Vir. Ill. *Arntz.*

Cæsum] Non *occisum* habent scripti libri. Idem Cicero Offic. lib. II. 'Ti. Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probabantur bonis, et mortui nomen obtinent jure cæsorum:' ubi codices nostri Mss. *numerum obtinent*. Schott. Veterem etiam formulam defendunt Mss. quæ originem suam debet jam legibus XII. Tabb. Ita ex his Macrobius Sat. I. 4. *Sei im occisit, joure caisus esto*. l. 4. Cod. ad leg. Corn. de Siear. 'Jure cæsum videri.' Alia Savaro ad Sidon. Apoll. III. 12. p. 210. Brissonius de Form. lib. V. p. 483. *Arntz.*

Quos] Codices nostri Mss. legunt, *et quos ego ἐμφατικῶς*. *Schott.* Vide Pierium ad Virgil. Æneid. III. 252. Broukb. ad Tibull. El. I. 4. 29. Drakenb. ad Silium II. 340. et X. 440. Burman. ad Ovid. Epist. Her. III. 47. et Cort. ad Sall. Catil. cap. 52. § 24. *Arntz.*

Sub corona vendidi] Cæsar Bell. Gall. lib. III. 'Omni senatu necato, reliquos sub corona vendidit.' Utitur et Livius lib. XXXI. Tacitus Annal. lib. XIII. Florus IV. 22. Vidend. A. Gell. Noct. Att. VII. 4. *Schott.* De tali venditione servorum sub corona vide Liv. II. 17. IV. 34. XXXIV. 16. XXXV. 36. XXXVIII. 29. et lib. XLI. cap. 11. Curtium IX. 8. § 15. Orosium lib. IV. capp. 7. et 18. V. 3. et ex recentioribus longo ordine. *Arntz.*

§ 9 *Censor*] Exprimam lectionem scriptam, ut liberum suum cuique sit judicium, et censura integra: *Censore Nummio collega seniore. Nummio* vero perpetuo scribit per N. forte ex soni affinitate. *Schott.*

§ 10 *Suscepta caussa*] Appianus ait, ipsum maxime legi Agrariæ restitisse ne ferretur, ubi hæc subdit: 'animadvertentes hi, qui Scipioni adversabantur, palam eum criminari cœperunt, quasi Gracchi legem omnino soluturum.' Ne cuncta transcribam, 'Vicit, ac de illo triumphavit.' *Machan.*

Livor in ore] Corrupte *levior more*. Nam ideo solebant Romani tales, qui fœda tabe seu morte perierant, operto funere efferre, ne distorta defuncti facies posset videri. Quinctil. Decl. XII. 13. 'Cum maxime inferimus in tumulos ossa insepulta, ducimus opertas exequias.' Egit hac de re Bœclerus ad Vell. Paterc. II. 4. § 6. et Vignoli de Columna Antonini Pii c. 8. p. 128. Ceterum post *elatus*, *est* delevimus cum Mss. et priscis edd. *Arntz.*

§ 11 *Argenti, duas et semilibram auri*] Mss. hic variant: *XXXII. libras, et semis libram auri:* alii *XXXII. libras et selibram auri*, in quibus hæ voces, *argenti duas*, superfluunt. Plinius tamen 'librarum argenti' me-

minit Nat. Hist. XXXIII. 2. *Schottus.* *XXII.* quatuor codd. *Arntz.*

Semilibram] *Ut triginta duas libras argenti, duas et semilibram auri reliquerit,* omnes omnino Palatini; Schotti enim codd. non agnoscunt *argenti duas.* Grut. *Semilibram* quinque Mss. et olim editi. *Argenti duas* exhibent etiam omnes. *Arntz.*

CAP. LIX. § 1 *Aulus Hostilius*] 'Caii' prænomen fecimus, tametsi libri quidam 'Aulum' appellent, et Plinius XXXV. 4. 'Lucium.' In Mediol. erat *Tullus* prænomen regis Romani III. sed facessant somnia. *Schottus.* *Hostilius* hic in vulgatis libris *Aulus* prænomine dicitur, apud Plinium *Lucius.* Præterea pro *consul* vulgati libri habent *prætor Pompeii.* Schotti lectio consentit cum Sigonio 198. 50. et 199. 5. *Sylb.* Prænomen quidem huic Mancino fuit Caius quod præter memoratos auctores confirmant Cicero de Orat. lib. I. capp. 40. et 56. de Off. lib. III. cap. 30. de Harusp. Resp. cap. 20. Plutarchus in Gracch. p. 826. Eutropius IV. 17. et reliqui, sed veritati contrariantur omnes scripti Fran. et Gramm. cum ceteris edd. *Aulus.* Potius dixerim ipsius auctoris esse errorem, qui duos Mancinos confuderit, cum utique etiam Auli Hostilii Mancini fuerint, ut apud Pighium Ann. tom. II. p. 369. Et quam facilis his in rebus sit lapsus patet ex nota Schotti, qui confundit *Lucium,* de quo Plinius agit, et hunc *Caium* Mancinos, qui certe diversi fuerunt, de quo consule eundem Pighium Ann. tom. II. pag. 462. *Arntz.*

Prætor] *Prætor* quod in vulgatis est, afuit in Mss. nos *consul* reposuimus ex Val. Max. I. 7. Floro abbreviatore, Orosio V. 7. Obsequente, cæterisque, qui 'consulem' diserte nominant. Fuit autem consul anno DCXVI. prætor vero DLXXIII. Quare nescio quo illud extremo hoc capite pertineat: 'præturam postea consecutus est.' *Schott.* Palatinus uterque stat a vulgatis olim, habetque *prætor adversum Numantinos:* an dicemus auctorem casca significatione usum voce *prætoris,* et intellexisse 'consulem?' *Grut.* Simile quid vidimus supra ad c. 52. § 1. Et sic 'prætor' non raro ponitur pro 'consule' seu 'proconsule' summoque belli duce. Adi Comment. ad Vell. Paterc. II. 4. § 1. et Duker. ad Flor. II. 20. § 4. *Arntz.*

Vetantibus avibus] De hac historia ita L. Florus Epit. lib. IV. refert: 'Caio Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt.' *Mach.*

Nescio qua voce] Florus Epit. lib. IV. 'Conscendenti in navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri, Mane Mancine. Auspicia tristia fuisse probatum est. Victus enim a Numantinis et castris exutus est:' idem Valerius Maximus asserit. *Mach.* Vox quam se ignorare fingit, dæmonis ludibrium est, 'Mane, Mancine.' *Schott.*

Pompeii] *Popilii* lego parva facta immutatione. Vulgati *Pompeii* proclivi errore, vel *Pompilii.* Dictus autem 'M. Popilius Lænas.' Appianus et Orosius V. 4. *Schott.* *Pompeii* tamen omnes Mss. et priscæ edd. qualem varietatem apud Oros. V. 4. notat etiam Fabricius. Sed tamen error potuit esse auctoris, cum et Pompeium paullo ante infame fœdus cum Numantinis pepigisse scribat Orosius loco laudato, et statim post Pompeium, Mancinum collocat Eutropius IV. 17. 'Q. Pompeius deinde consul a Numantinis superatus, pacem ignobilem fecit. Post cum C. Hostilius Mancinus Cos.' &c. et sic Florus II. 18. ubi Duker. et Vell. II. 90. § 2. Adeoque Victor omisit, ut ceteri, quos adtuli, Popilium, qui medius fuit inter Pompeium et Mancinum. Popilius enim successor fuit Pompeii, Mancinus autem Popilii: sic

recte Appianus de Bell. Hisp. pag. 510. edit. Tollii. *Arntz.*

Inde solitudinem petit] Mss. *et solitudinem petiit.* Schottus. Quo modo scripti et edd. apud me, qui etiam *petiit* habent. *Arntz.*

§ 2 *Nuptu*] Vox *puellæ* abest in Mss. et *nuptum* nonnemo legit. Et hæc aliter distinguunt Mss. *Eo die Numantinis forte sollenni; nuptum filias locabant.* Schott. Palatini *Nuptui.* Schotti Mss. lectio melior videtur hactenus recepta. *Grut.* *Nuptui* quatuor codd. *Solenniis nuptiis* Haun. sed *nuptu* hic erit ablativus, a quo pendet *solenni;* quæ vox neque jungenda erat τῷ *forte* neque *nuptu* pro *nuptui* exponendum. Confer Gronov. ad Gellium Noct. Att. II. 24. et de phrasi 'dare' seu 'locare nuptui' Comment. ad Valer. Max. IV. 4. ex. 9. *Arntz.*

Speciosam] In Fran. *sponsam* est. Ovidius Art. lib. III. 421. 'Se quoque det populo mulier speciosa videndam.' Horat. Epist. I. 16. 45. 'Introrsus turpem, speciosum pelle decora.' *Appetentibus* mox Leid. 2. et Haun. Porro hæc ita facta sunt ex more veterum, apud quos antea debebant gloriosum aliquod facinus perpetrare, quam virginem domum possent ducere; exempla sunt in Sacris Litteris, de quibus Dougtæus in Anal. Sacr. part. I. exc. 80. et Sulp. Severus Hist. Sacr. I. 34. § 7. Ex aliis Ovidius Epist. Her. XVI. 261. 'Di facerent, magni pretium certaminis esses, Teque suo victor posset habere sinu.' Et Apollod. Bibl. I. 9. § 15. *Arntz.*

§ 4 *Quatuor millibus*] Palatini, ut et aliæ edd. *quatuor millibus suorum.* Neque video cur abjici debeat. *Gruter.* Neque ego, nisi si offendat repetitio vocis, quæ mox præcesserat. Sed nemini tale quid in auctore nostro mirum videri debet. Quare cum Grutero, Mss. et nonnullis edd. reduximus fugientem vocem. *Arntz.*

Viginti millia] 'Triginta millia' Epitoma Livii lib. LV. numerat. In compendiis, quæ singulis literis notantur, litera decussatim scripta, vel illic omissa, vel hic addita. *Schottus,* Not. Min.

Ceciderunt] Non minus bene Haun. et Leid. 2. *occiderunt;* cujus locutionis exempla pluscula adtulimus jam sup. ad cap. 23. § 7. Livius XXIII. 37. 'Supra duo millia hominum occidit:' et XXVII. 30. 'Mille admodum hostium utraque pugna occidit.' Cæsar Bell. Gall. lib. I. cap. ult. 'Magnum ex his numerum occiderunt.' Sed cum reliqui codd. nihil varient, neque edd. receptam lectionem servare tutissimum credidi. *Arntz.*

§ 5 *Quæstore suo*] Mss. amplius. *Schott.* Not. Min.

Quo per senatum inprobato] Pacem cum Numantinis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. *Machan.*

Deditus nec receptus] Mss. aliter, *redditus nec repetitus a genero in castra ductus.* Sed recte legitur: tantum illud de auspicato in Urbem deducto alibi collocandum videtur ex Orosio lib. V. capp. 4. et 5. Plautus Epidico, 'Virtute atque auspicio Epidici cum præda in castra redeo.' *Schott.* *A genero* etiam Leid. 1. *Augurio a genero,* Fran. forte ex illo more librariorum, quod variantes lectiones bis ponant: *deditus, a genero receptus, augurio* Haun. Inspice præterea Pigh. Ann. tom. II. p. 504. Neque mutanda est formula illa, 'deditus nec receptus,' quæ voces sunt hac in re propriæ. Cicero de Orat. I. 40. 'Pater Patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent:' et de Orat. l. II. c. 32. 'Quotiescunque is, quem Pater Patratus dediderit, receptus non erit.' Idem in Topicis cap. 8. 'Mancini caussa defendi potest postliminio rediisse: deditum non esse, quoniam non sit receptus.' Livii Epit. l. LVI.

'Quum hujus rei auctor fuisset, deditus Numantinis, non est receptus.' Vell. Paterc. II. 1. § 5. 'Per feciales nudus, ac post tergum religatis manibus dederetur hostibus, quem illi recipere se negaverunt.' l. 17. ff. de Legat. 'Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere, quem hostes si non recepissent.' *Arntz.*

Præturam postea consequutus est] Anne consularis prætor fit? Nimirum probri caussa ordine motus, ut eum recuperaret, præturam alteram gerebat, ut ab integro honorum gradus faceret sublato probro, uti apud Sallust. Catilin. Cornelius Lentulus Sura, et Cic. Catilin. III. de secunda prætura. Simile in Livio exemplum extremo l. x. de Papirio Cursore. Vide notas nostras ad Metellum Pium et L. IV. D. de Captivis et Postliminio reversis, et I. fin. D. de Legationibus, et Cic. in Topicis. *Schott.* Vide omnino quæ adtulit Valesius ad Amm. Marcellinum XIV. 11. prope finem, et Cort. ad Sall. Catilin. c. 17. *Arntz.*

CAP. LX. § 1 *Mummius*] Monui ante in Mss. fere omnibus *Nummius* per *N.* scribi, forte ex soni in liquidis cognatione. Vide Suidam. Ex Mss. τὸ *consul* accrevit. *Schott.*

Devicta] Melius est in iisdem quam *deleta.* Neque enim 'delevit.' *Schottus.* Vulg. *deleta Achaia.* Synecdochice pro deletis Achaiæ copiis, seu profligato Achaiæ bello. Sed rectius fortasse *domita Achaia,* ut paullo post. *Sylb.*

Achaia] Est Græciæ pars ab Achæis dicta. De Achaico bello ita Florus: 'Diæus Achaici motus primus auctor ab Achæis dux creatus ad Isthmon Mummio consule, victus est: qui Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex senatus consulto diruit. Mummius ipse abstinentissimum virum egit: nec quidquam ex his opibus ornamentisque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit.' *Mach.*

§ 2 *Heracleam*] Ab 'Hercule' nomen sortita est: de qua vide Diod. Siculum. *Machan.* *Præter apud Her.* Hann. Confer Comm. ad Florum II. 16. § 3. *Arntz.*

Lucopetra] Alba petra exponitur: ut λευκόφαιον *album pannum* dicimus. *Mach.* Erroris hoc loco scriptorem nostrum arguit Pighius Ann. tom. II. p. 457. cum *Leucopetra* promontorium sit Brutiorum in Italia, et hæc pugna facta sit sub ipsis Isthmi faucibus; confundit hæc Anna. [Vide Not. Delph.] Porro reposui cum duobus codd. Boend. et Leid. 1. *ad Leucopetram,* cum ceteri *apud.* Virg. Æn. I. 24. 'Prima quod ad Trojam pro charis gesserat Argis.' Cornelius Nepos in Hann. c. 4. 'Tertio idem Scipio cum collega Ti. Longo ad Trebiam adversus eum venit.' Sic ibi est in vet. edit. Ampelius Libr. Mem. cap. 28. 'Scipionem ad Ticinum superavit.' Lucanus Phars. VII. 254. 'Mihi quam Rubiconis ad undas Promissam memini.' Plura reperies apud Heins. ad Ovid. Fast. IV. 310. Grævium ad Justin. XVII. 11. § 1. Burmann. ad Quinctilian. Inst. II. 16. p. 188. Drakenb. ad Silium XIII. 606. Commentatores ad Val. Maximum III. 7. ex. ext. 5. et Cort. ad Sallust. Jug. cap. 20. § 1. Nec aliter infra in uno cod. Epitome cap. 40. § 8. 'Maximinus ad Tarsum morte simplici periit.' Recte tamen *apud* hoc sensu et multo frequentius adhibetur, quæ caussa est, cur facilius corruptelæ præbeat suspicionem. *Arntz.*

Diæo] Sic scribendum. Pausanias enim in Achaicis, Διαῖος ὁ Κριτολάου διάδοχος: tametsi libri antiqui varient, in quibus est *Dineo,* pro *Diæo, a* in *n* migrante. Unde Parisinus fecerat *Clineo,* quod *c* et *l* in *d* sæpe commutetur: et contra. Vulgati ineptissime *Dioneo.* Schott. *Dinao, Clinæo, Drumeo, Dioneo, Cancio,* est in Mss. et edd. sed vide Sigon. ad

Liv. Epit. lib. LII. Fabric. ad Oros. v. 3. et Pighium Ann. tom. II. p. 457. *Arntz.*

Eamque incendit] Unde conflatis et currentibus per vias liquefactis metallis nobilis illa mistura auro carior effecta: e qua candelabra, et alia vasaria fiebant, Plinio testante. *Machan.*

Ipse veneno interiit] Sic emendo, partim ab ingenio, partim ex librorum vestigiis odoratus veram scripturam: nam illud *excepto* afuit. Corrector quidam, vel corruptor potius ex *veneno* fecit *nemo;* et, quod necessarium videbatur, adjecit *excepto:* ut breviter dicam, excepto cerebro, cætera sanus. J. Grejonius professor Parisinus conjecerat *accepto ipse veneno interiit.* Nec displicet. *Schottus.* Mox *intulit* ex Leid. altero recipit Oudend. ad Frontin. Strateg. IV. 3. § 15. cui accedit manus secunda in Gramm. codice, ceteri antiquum servant, ut et d'Orvil. supra c. 33. 'Juravitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam convertisse.' *Consulit* habet prima manus in Fran. quod in margine mutatum in *contulit.* Arntz.

Cap. LXI. § 1 *Pseudophilippum*] Id est, *falsum Philippum*, qui se jactabat Macedoniæ regem; nam ψευδὴς, ψευδῆ, ψευδὸν, idem est quod *falsus, falsa, falsum.* Mach.

Andriscus] Mss. *Andariscus*, vel *Andricus.* Nihil muto. *Schott.*

Achæos] Ab 'Achæo,' qui invitus cædem patrans in oram Lacedæmoniam profugus se recepit, et ejus loci accolas Achæos vocari constituit. Strabo libro VIII. auctor est. *Mach.*

Triumphandos] Patiendi significatione, ut Prudentius Christianus Pindarus in 'Αμαρτιγενείᾳ: 'Quanto ferrata satellite ductor Bella gerit: quanta victos ditione triumphat?' *Schott.* Et idem ad Senecæ Suasor. VII. p. edit. Gron. 560. *Arntz.*

§ 3 *Tertio post duas repulsas*] Superat *tertio* ex Mss. nisi forte alius a secundo numerus est in sciolorum arithmetica: credo supra adscriptam vocem *post;* ut fit, seriem orationis invasisse, et vi locum tenuisse. *Schott.* Eadem vox abest in nostris omnibus. *Arntz.*

Arbactos] Restitue *Arevacos:* quod opidum hodie una litera mutata *Arevalo* nomen retinuit meminitque Plinius IV. 20. *Schott.* Tamen receptam tuentur vel scripti vel editi, nisi quod nonnulli ex illis *Arbacos* sine adspiratione, quomodo 'Arbace' civitas est Celtiberiæ apud Stephanum de Urb. hac voce. *Arntz.*

§ 4 *Contrebiam*] Pro *Cantabriæ*, *Contrebiam* Colinæus, quam lectionem retineo. Sic enim L. Ann. Florus, Vell. Paterculus, et Frontinus opidum appellant. Val. Maximus plerumque 'Trebiam.' Male itaque operæ *Contebriam* per oscitantiam evulgarant, ut in thesauro geographico diligens Ortelius noster in dictione 'Centobria' notarat, qua etiam Val. utitur v. 1. *Schott.*

§ 5 *Proprio*] *Propero* Mss. Valerius II. 2. Nihil demuto. *Schottus.* Sic etiam Palatini, non *propero*, quod in aliis; sed male; vult enim similem fuisse Tiberio Imperatori, quem ait Suetonius c. 18. 'sui arbitrii, et contentum se uno,' ante cladem Varianam: quem morem examinavimus in Livianis Dissertationibus: ubi voluimus, imperatorium esse, quid fieri debeat, tractare quidem cum multis; quid vero facturus sit, cum paucissimis ac fidelissimis, vel potius cum nullo, nisi ipso se. *Gruter.* *Proprio* omnes nostri scripti et editi, de cujus lectionis veritate nemo debet dubitare. *Arntz.*

Exurerem] Msc. *exuerem.* Nihil demuto. *Schottus,* Not. Min. Et sic aliquot etiam exemplaria, sed error est librarii. Frontinus, qui tamen hoc Metello Pio tribuit, I. 1. ex. 12. 'Tunicam meam, si id eloqui posset,

inquit, comburerem:' ubi eodem modo ac Schottus hunc locum emendat Keuchenius; admiratur interim talia a Schotto intacta esse, et eandem in Keuchenio negligentiam, si mitiori voce uti liceat, carpit Oudend. ad l. l. *Arntz.*

§ 6 *Quatuor filiorum pater*] Plinius VII. 44. 'Nam præter honores amplissimos cognomen Macedoniæ. A quatuor filiis illatus est rogo, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno censore.' *Mach.*

Latus est] *Elatus* repono: 'efferri' enim funera dicuntur, quod vel pueris notum. *Schott.* Verum est, solere hac in re compositum 'efferri' plerumque adhiberi, ut apud Liv. XXVIII. 28. Melam II. 2. Juven. Sat. I. 72. 'Per famam et populum nigros efferre maritos.' Quinctil. Decl. IV. 22. Decl. VI. 1. et 11. Capitol. in Anton. Phil. c. 13. Spartian. Severo c. 14. Nost. sup. c. 58. et alios, sed tamen non debemus omnium aliorum scriptorum loca ad hanc formulam detorquere, præsertim si aliud jubeant omnes Mss. et edd. nec ipse linguæ genius simplicem vocem respuat. Hac eadem namque in historia Val. Maximus VII. 1. ex. 1. 'Filii et generi humeris suis per urbem latum rogo inposuerunt.' Ovid. Art. III. 20. 'Proque sui est uxor funere lata viri.' Cicero Orat. Phil. in Anton. II. 41. 'Iste operta lectica latus est per oppidum ut mortuus.' Iterum Ovid. Amor. El. II. 14. 39. 'Ipsa perit, ferturque toro resoluta capillos.' Art. I. 587. 'Interea sive illa toro resupina feretur.' Met. XIII. 695. 'Pulcrisque per Urbem Funeribus ferri, celebrique in parte cremari.' Et Trist. El. I. 3. 89. 'Egredior, sive illud erat sine funere ferri.' Deinde *ad sepulturam* haud dubio properantis calami vitio hic citat Cuperus Obs. I. 7. sed recte exponit; de qua etiam significatione vocis 'sepulcri' pro *rogo*, et nos pauca adtulimus sup. c. XXXV. § 11. *Summo tempore* pro *supremo* est in Boend. *Arntz.*

Tres consulares] Ita reposui ex Mss. tribus, Parisino, et Mediolanensi. Vulgati *consules* faciunt, male: quod vel unus Paterculi locus volumine priore, qui hunc valde illustrat, docebit: 'Quatuor filios sustulit: omnes adultæ ætatis vidit: omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii: unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare, quam mori.' D. quoque Augustinus de Civit. Dei II. 23. tametsi quinque filios attribuat, *consulares* omneis fuisse ait, non *consules:* bini enim quotannis, nec plures simul consulatum inibant. Plutarchus de Fortuna Romanorum senem ait Cæcilium Metellum Macedonicum elatum a quatuor filiis *consularibus*, qui fuerunt:

I. Q. Cæcilius Metellus Balearicus, consularis, triumphalis et censorius.

II. L. Cæcilius Metellus Delmaticus, consularis et triumphalis.

III. M. Cæcilius Metellus consularis.

IV. C. Cæcilius Metellus Caprarius, prætorius.

Nisi quod quidam M. Cæcilio consule mortuum putent, alii sequenti anno. Sunt qui plures liberos numerant. Valerius lib. VII. septem illi tribuit: viros quatuor, feminas treis. Plinius Natur. Hist. VII. 13. sex liberos reliquisse tradit, undecim vero nepotes, nurus, &c. et cap. 44. 'Quatuor filiis elatus rogo, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno censorio.' Quo loco, *uno prætorio* legendum ex Val. Max. Magna est igitur inter Metelli liberos dissensio. Quod autem L. Cæcilium Metellum Delmaticum supra

agnominavi, doceor ab hujus ævi eruditis Diadematum potius cognominandum videri, Turnebo in jocos Ciceronis, Lambino ad Æm. Probum, Steph. Pighio in Val. Max. l. VII. c. 1. Fulvio Ursino in orationem Ciceronis ad Quirites post reditum. Idque auctoritate Plutarchi in Coriolano, ubi hoc ipsum Xylander observavit, itaque Plinium emendat lib. VII. idem Turnebus. *Schott.*

CAP. LXII. § 1 *Quinctus Cæcilius*] Nomen in Mss. reperi Q. *Fabius Cæcilius Metellus.* Schott.

Numidicus] Quia Jugurtham duobus prœliis fudit; vide Sallust. in Jugurthino. *Mach.*

Qui consul] Hæc lectio a libris antiquis est. *Schott.* In quinque Mss. et ceteris priscis edd. est *qui de Jugurtha rege triumphavit.* Solus tamen Francq. ita, ut cum Schotto edi jussimus, nisi quod ille *qui* tueatur. *Arntz.*

Censor] De censura ejus Cicero pro Sextio: 'Q. Metellus censor florentem hominem in populari ratione L. Saturninum censor notavit, et insititium Gracchum, contra vim multitudinis incitatæ, censu prohibuit.' Sic Valerius libro nono. Vulgati quidam *in censu* hic legunt, auferendi casu. *Schott.*

Quinctium] Hunc a Val. Maximo L. Equitium Firmo Piceno oriundum l. IX. capp. 7. et 15. de seditionibus, rursus lib. III. cap. 8. de constantia: a Cicerone in oratione pro Sextio supr. § 4. 'insititium Gracchum:' ab Ann. Floro C. prænominari video l. III. c. 16. ut sit *C. Quinctius Gracchus.* Schott. Pighius Ann. tom. III. p. 161. legebat *Equitium. Quintum* quinque Mss. Haun. vero et editi nihil variant. *Arntz.*

§ 2 *Legem Appuleiam*] Pro *per vim* reponit Leid. l. *proinde;* frustra. Cicero Orat. pro Sextio cap. 16. 'Cum unus in legem per vim latam jurare noluerat.' Livii Epit. l. LXIX. 'Cum legem agrariam per vim tulisset.' *Arntz.*

In exsilium actus] Appianus: 'Metellus, quum censuram gereret, Glauciam virum senatorium, et Appuleium Saturninum, qui tribunatum ceperat, ob vitæ turpitudinem dignitate summovere conatus est, adversante collega repulsus: jurare autem non solum jusjurandum renuit, sed, ut prius juraverat, constanti animo et intrepido perstitit.' Inibi scribit: 'Consules per præconem adnuntiare jubentes, Metello igni et aqua tectoque ab omnibus interdicendum esse; conquerentibus autem maxime de his civibus, et Metellum continue armis circumseptum præmittentibus, Metellus eos complexus, et electionem plurimum commendans dixit, haud æquum sibi videri ejus caussa aliquod discrimen inferri patriæ: his dictis, civitate egressus est.' Florus quoque: 'Saturninus Metello Numidico, quod in legem Agrariam minime jurasset, diem dixit: qui a bonis civibus defensus, in voluntarium exsilium abiit.' *Mach.*

Smyrnam] Asiæ urbem, Homeri patriam. Id versus probat: 'Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Cos, Argos, Athenæ, Certant de Homero.' *Mach.* Hæc inter cætera auctoris hujus ἁμαρτήματα numeranda. Rhodum enim in voluntarium exsilium secessit. Epitoma Livii lib. LXIX. et Plutarchus. Deceptus fortasse nominis affinitate, quod P. Rutilius, non Q. Cæcilius Smyrnæ exsulavit. Cicero pro Cor. Balbo et in Bruto. *Schott.* Pighius ad Val. Max. IV. 1. ex. 13. *Arntz.*

§ 3 *Claudia*] *Calidia* legendum: siquidem Q. Calidius tribunus plebis legem hanc, qua in civitatem Numidicus restitueretur, tulit. Val. V. 7. de Gratitudine, Cicero pro Plancio: et Claudii patricii, quamquam non omnes. Observatum hoc postea comperi a Sebastiano Corrado in Brutum

Ciceronis, ut sua illi laus reddatur, et a Martiali Rogerio in Lælium Ciceronis. *Schott.* [Vide Lectt. Var.] Immo et cod. d'Orvilii, qui, *Callidia.* Nec tantum peccatum est, quod consonantem geminaverit. Hoc enim in multis vocibus accidit, ubi *l* vel duplicatum dederunt librarii, vel simplici fuerunt usi. Confer Cannegieterum ad Avian. fab. 10. vs. 9. *Arntzenius.*

Rogatione] 'Lege;' namque erat promulganda; et rogabatur populus, an in civitatem eum accipere vellet: inde nomen rogationi inditum. *Machan.*

Non prius eas legere dignatus est, quam spectaculum finiretur] Ita et de Rustico scribit Plutarchus fine libri περὶ πολυπραγμοσύνης, cum adesset ipsi Plutarcho declamanti, et miles Rustico epistolam a Cæsare missam traderet, et intermittere vellet Plutarchus orationem, eique concedere spatium legendi literas; renuit ille, neque ante epistolam solvit, quam Plutarchus perorasset. *Grut.*

§ 4 *Metellæ sororis suæ virum*] Sic legendum videri admonuerat me J. Olivarius vir doctissimus, quod Metellarum sororum Numidici filios Lucullos, Servilios, et Scipiones fuisse constet. Cicero Orationibus post Reditum, pro Domo, pro Sextio, et Plutarchus Lucullo. Nec enim verisimile est sororis maritum Metellum appellatum, nisi incestas nuptias fuisse putemus. Sed sororum Metelli mentio in eadem oratione Ciceronis pro Sextio. Ex Ciceronis Actione in Verrem lib. VI. lege *L. Lucullum sororis suæ.* Fuit quum scribendum putarem *Metellum sororis suæ filium:* at *ex sorore nepotem* dixisset. Is autem esset P. Cornelius Scipio, qui in Fastis dicitur Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio; erat enim a Pio, Numidici filio, adoptatus. Itaque hanc lectionem tuerer, nisi tempora refragarentur. Venio tamen in eam sententiam, ut rescribendum ita existimem: *Metellus L. Lucullum sororis suæ (Cæciliæ) virum.* L. enim Lucullum, patrem illius Luculli, qui cum Mithridate bellum gessit, sororis Metelli Numidici virum fuisse et furti condemnatum auctor Plutarchus in Lucullo, ut vidit idem Corradus in Brutum. Vulgarem tamen in auctore nostro lectionem retinere Pighius videtur Valerii sui auctoritate I. 6. ubi *Cæciliam Metelli uxorem* accipit, ut in via Appia vetus spectatur inscriptio alterius Cæciliæ hoc modo:

CAECILIAE
Q. CRETICAE. F.
METELLAE. CRASSI.

Schott. *Metellum* tamen omnes vel scripti vel editi, nisi quod solus Leid. 1. *Metellum sororis suæ filium.* Leid. vero 2. videtur præferre illam, quæ nunc vulgo circumfertur lectio, *Metellæ sor. suæ virum*, cum nulla varietatis fiat mentio. Vulgatum veritati repugnat, nec verosimile est hunc errorem ipsum auctorem potuisse admittere in eo capite ubi de ipso Metello agat. Cicer. in Verr. IV. 66. et 'Metellæ virum' laudat, locutionemque eam exemplis confirmat Savaro ad Sidon. Apoll. Carm. 20. *Arntz.*

Suum judicium et leges] Sic vulgati libri veteres, *judicium contra leges.* Parisinus, quomodo excudendum curavi, quæ lectio non longe a libris antiquis recedit, et vetus est, nam Raphaël Volaterranus, qui hunc libellum pæne in opere suo transcripsit, ita fere legit libro XVII. *Schott.*

Detractarat] Ego sic existimo, facilius librarios *detractare*, quod ignotius erat, corrupisse, quam *detrectare.* Hac ratione Ovid. Trist. II. 337. 'Et tamen ausus eram, sed detractare videbar.' Corn. Nepos Arist. c. 1. § 1. 'Namque obtractarunt inter se:' ita est in cod. Ms. Leid. Val. Maximus V. 4. ex. 1. 'Verecundia detractandi ministerii:' sic aliquot scriptos

codd. habere testatur diligentissimus Torrenius. Seneca Thyeste vs. 693. 'Stat ipse ad aras: ipse devotus neci Contractat.' In Phœniss. vs. 222. 'Nefandus, incestificus, execrabilis Attracto.' Et Her. Œtæo vs. 1307. 'Vel, si piget, manusque detractat nefas:' hoc modo tribus illis locis inveni in exemplari scripto. Curtius III. 8. § 11. 'Sed non amplius ipsum esse passurum detractare certamen:' et VIII. 11. § 8. 'Secutus est nullo detractante munus.' Vide illis locis variantes lectiones, quas textui suæ editionis subjecit doctissimus Snakenburgius. Quinctil. Decl. VIII. 19. 'Dum deliberas, dum unumquemque detractas:' ita esse in aliis monuit cl. Burmann. et ipse postea in cod. scripto inveni. Lactantius de Mort. Pers. c. 10. 'In eos, si detractassent, verberibus animadverti:' ubi Bauldri, Wasse et Cortius ad Sallust. cap. 53. fine et Burmann. ad Ovid. Met. v. 246. *Arntz.*

CAP. LXIII. § 1 *Pius*] Appianus inquit: 'Publius Furius tribunus plebis non liberto, sed libertino patre genitus, audaciter admodum et constanter illis resistebat; ut neque Metelli filii precibus in conspectu populi suppliciter eum deprecantis, et ad pedes ejus provoluti, lacrymisque flecti potuerit; qua ex caussa puer idem ab hujusmodi prospectu Pius subinde cognominatus est.' *Mach.*

Adsidue] Mallem hoc loco *adsiduis*, ut ad 'lacrymas precesque' referatur; quomodo 'adsiduus' talibus substantivis recte jungitur. Cicero pro Cluentio c. 6. 'Augebatur ejus molestia quotidianis querimoniis, et adsiduo fletu sororis.' Ovid. Met. II. 486. 'Adsiduoque suos gemitu testata dolores.' Et ex Pont. Epist. III. 4. 45. 'Adde, quod adsiduam domini meditata querelam.' Propert. El. II. 14. 1. 'Adsiduæ multis odium pepe-rere querelæ.' Plinius Epist. II. 15. 'Habent hunc finem adsiduæ querelæ.' Seneca de Clem. I. 16. 'Quod adsiduis plagis pueros conpescet.' Seneca Hippol. vs. 381. 'Lacrymæ cadunt per ora, et adsiduo genæ Rore irrigantur.' Quinctil. Decl. v. 22. 'Brevi te geniti mei liberabunt, adsiduis planctibus everberata vitalia.' et Decl. VI. 6. 'Cum adsiduos planctus, et irrequietas diceret lacrymas.' Appul. Metam. II. 126. 'Voce contenta quidem, sed adsiduis singultibus inpedita.' Sedulius Presbyter Carm. IV. p. m. 189. 'Vocibus adsiduis precibusque extorsit anhelis.' Vel ita exponi posset; 'adsidue lacrymando' ab exsilio revocare conatus fuit, et tandem, ut revocaretur, effecit. Eum enim sensum vox 'revocavit' hic sibi vindicat. Ausonii Paneg. c. 16. § 2. 'Neque enim justius Metellus cognomento Pius, patre revocato.' Hoc sensu 'restituit' dixit Vell. Paterc. II. 15. § 5. 'Pietate sua, auctoritate senatus, consensu reip. restituit patrem.' Contra 'damnare' dicitur accusator, qui damnationis exsistit caussa. Scholiastes vetus Juvenalis ad sat. I. vs. 33. 'Qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit.' Velleius II. 47. § 4. 'Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas.' Sueton. Vitell. c. 2. § 4. 'Pisonem inimicum et interfectorem ejus accusavit condemnavitque:' et Noster inf. c. LXXXI. § 3. Ceterum voces *ab exsilio* ejiciunt quinque codd. ed. Agripp. et Ven. et possent abesse cum vel ex subjecta materia et capite præcedenti pateat hoc loco agi de exsilio. Cicer. pro Domo c. 57. 'Vosque qui maxime me repetistis atque revocastis.' Plinius Hist. VII. 30. 'In exsilium egere, rerum conditorem revocavere.' Sueton. Claud. c. 7. 'Potentia revocatæ restitutæque matris usque eo floruit.' Integre tamen in Calig. c. 28. 'Re-

vocatum quendam a veteri exsilio.' *Arntz.*

Prætor] Imperator. In bello idem prætorium, et porta prætoria. *Mach.*

Bello sociali] Alias Italico, quia Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Maruzini, Lucani, Samnites, initio belli a Picentibus moto, hi omnes (inquam) defecerunt, et arma sociarunt; nam hi omnes legatos ad Romanos misere, apud eos conquerentes, quod omnia ad præcipitatum illorum meditati, haud digni eorum republica habiti essent. Quibus senatus acerbe respondit; si eorum, quæ egissent, illos pœniteret, legatos ad se mitterent; sin minus, mittere desisterent: illi desperatis rebus, ad bellandum se præparant, quibus exercitus ex urbibus in commune affuere. *Mach.*

Q. Popedium] Audi Appianum ita scribentem: 'Cæcilius Metellus successor illi substitutus, ad bellum cum venisset, in Iapygas descendit, eosque bello devicit: et Popedius alter ex ducibus, qui in bello defecerant, interim occubuit: reliqui per partes ad Cæcilium venere: et hæc quidem per Italiam Sociali in bello gesta sunt.' *Mach.* *Q. Popedium* in veteribus libris est. Silio *Popedius* dicitur, Vell. l. II. et Floro Liv. Ep. l. LXXVI. In Mediolan. et Gryphio erat *Q. Pompedium,* quomodo et Strabo libro quincto Geog. scribit Πομπέδιος· apud Diod. Siculum lib. XXXVII. Πομπαίδιος cum diphthongo, *Pompædius,* apud Plutarch. in Apophth. Πομπίου Σίλωνος. In Mario Ποπλίου Σίλωνος, corrupte utrobique. Atque non ignoro Græcos nomina Romanorum sæpe corrupisse scribendo, quod hodieque in barbaris vocibus fieri ab exteris solet. Romanos autem barbaros a Græcis appellatos etiam in vulgus notum est. In editis diu hoc mendum insedit, ut *Q. Pompeium* scribant: sed ferri non potest. Errori ansam præbuit, quantum conjicio, quod eo bello Marsico, Italico, seu sociali Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeii Magni, consul cum C. Porcio Catone feliciter depugnarit. *Schott.*

§ 2 *Consul*] Non *consul*, sed *pro consule*, anno postquam fuerat consul quarto, DCLXXVII. *Schott.* Immo 'consul' vel 'prætor' sæpe idem est qui 'proconsul' vel 'proprætor' qui harum vocum usus sæpe in errorem abduxit viros etiam eruditissimos. Cornel. Nepos in Caton. cap. I. § 3. 'Quæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano, consuli:' non debuerat ibi rescribere Bosius, *proconsuli.* Valerius Maximus V. 8. ex. 4. 'Romani equites pulsi, deserto consule Catulo, urbem pavidi repeterent:' ubi contra Mss. *procons.* non edendum fuerat. Florus II. 6. § 43. 'Sed parte exercitus sub Appio consule relicta:' et II. 7. § 12. 'Et illi quidem consul pacem dedit.' Neque hanc significationem cogitavit vir solidæ eruditionis Schultingius ad ff. tit. de Jurisd. th. 35. cum in Actis Pionii pro *consulis,* legeret *proconsulis.* Iterum Corn. Nepos Hann. cap. 4. 'Centenium prætorem cum delecta manu saltus occupantem.' Et illic *proprætorem* in textu reponere non debuerat Bosius et Hoogstr. Cic. Act. in Verr. V. 9. 'Quæret, quamobrem fasces prætoribus præferantur, cur secures datæ.' Atqui prætores urbani non habebant secures, sed hi quidem, qui proprætores mittebantur in provincias. Adde Sigon. ad Liv. XXVIII. 38. et virum variæ doctrinæ atque elegantissimæ lectionis, inter reliqua urbis nostræ decora non ultimo loco nominandum, Noodtium Probab. I. 6. *Arntz.*

Herculeios fratres] Ut puto, vim fortitudinemque referentes, atque nomen. *Mach.* Vide Duk. ad Flor. III. 22. § 6. *Arntz.*

Sertorium] De quo inferius in Pompeio plura. *Mach.*

Præturæ] Vox *præturæ* suspecta, cum prætoria ætas fuerit quadragesimus annus. Nam sacerdotia admodum adolescentibus committebantur: quod vel ex Julio Cæsare clarum est apud Sueton. cap. 13. Sed eodem plane modo loquitur de Cæsare Sallust. Catilinario: 'Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema ætate maximis honoribus usus, ab adolescentulo Cæsare victus discesserat.' Atqui tum ædilitate functus, præturam petebat Cæsar: Suetonius cap. 13. et noster Pius biennio post factus est consul: cum Scævulæ interfecto Pontifex Maximus anno DCLXXI. Pius successerit, idemque DCLXXIII. cum Sulla consulatum gessit. Sic apud Corn. Nepotem Marcus Brutus, quo tempore Cæsarem prætor, hoc est, quadragenarius interfecit, non semel adolescens vocatur, in vita Attici. Illud autem, quod sequitur *consularibus viris*, magis etiam suspectam vocem *præturæ* reddit, nisi dicamus a consularibus præturam iterum ambiri solere, quod ex historia Mancini probabile videri possit, qui consularis iterum prætor factus est, de quo supra cap. 59. Alteri id accidisse non memini: prætorios vero, iterum prætores fieri interdum solere scio, quod de Mario Gratidiano memoriæ proditum est ab Asconio Pediano in orationem Ciceronis in Toga Candida. Exstat lex Genutia an. CCCCXI. lata, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, &c. apud Liv. lib. VII. Certe locus iste diu nos torsit, miratusque sum præturam post consulatum peti; conabarque facere *consularibus filiis*: quemadmodum 'patricios' dicimus, qui patribus, id est, senatoribus nati erant, non solum, qui patrem ciere possent essentque ingenui. Sed ipse mihi non satisfacio: libri scripti nihil opis tulerunt: lector consideret. *Schott.* Vox *præturæ* falsa est: quomodo enim heic consistat, cum sequatur *consularibus viris prælatus est?* visitur tamen in omnibus Mss. et quidem cunctis perscriptum literis: quod si admittimus, primum admittamus necesse est, ad præturam admissos esse adolescentes, deinde consulares iterum de gradu suo descendisse, uti ambirent præturam; quod de Mancino supra c. 59. Noster hic pronuntiare visus: verum consulatur amicus noster Schottus: nam ego festino, neque aliud succurrit, quam id quod supra posui. *Grut.* Recte hoc loco observat Schottus, sacerdotia adolescentibus etiam fuisse commissa. Id patet ex Seneca de Ira I. 9. 'Sacerdotium tibi petenti, præteritis conpluribus, quorum parentes mecum militaverant, dedi.' Sunt verba Augusti Cinnam increpantis, quem eodem capite vocarat 'adolescentem nobilem;' et certe illi etiam adolescentes fuerunt, quorum patres ipsi Augusto in bellis civilibus adfuerant. Cicero ad Famil. Epist. II. 7. 'De sacerdotio tuo quantam adhibuerim curam:' et tum paucis interpositis, 'A senatore nobilissimo et adolescente gratissimo.' Vell. Paterc. II. 59. § 3. 'Pontificatusque sacerdotio puerum honoravit.' Livius XXVII. 8. 'Ob adolescentiam negligentem luxuriosamque C. Flaccus flamen captus erat.' XXXIII. 42. 'Q. Fabius Maximus augur mortuus est admodum adolescens, priusquam ullum magistratum caperet:' quod tamen rarius olim accidisse constat ex eodem lib. XXIX. cap. ult. 'Augur Tiberius Sempronius Gracchus admodum adolescens, quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat.' Adde Cortium ad Sallust. Catil. cap. 49. § 2. Sed majores difficultates viris eruditis excitavit vox *præturæ*, quæ tamen etiam in omnibus nostris et edd. exstat. Quidam eam vocem omittunt, quod durum est, vel reponunt *consularibus filiis;* quæ lectio, ut de ratione hujus locutionis nihil

dicamus, verosimilis non est, nam ipse Pius filius erat viri consularis, et quid mirum tum, illum etiam adolescentibus præferri talibus, qui patrem habebant consularem? Ipse etiam tentabam hoc modo: *In petitione pontificatus prætoriis et consularibus;* Ut ex compendiis vocis *præt.* natum sit vitium: sed invitis exemplaribus, et sine necessitate. Nam quod virum eruditissimum offendat addi *consularibus*, et ab his præturam ambiri non solere, nisi quod hoc factum sit in solo Mancino, memoria ei inponit, cum consulares, præsertim qui senatu moti erant, iterum deberent præturam petere. Vell. Paterc. II. 34. § 4. 'Lentulus consularis et prætor iterum:' ubi consulendus Schegkius. Adeoque hoc offendere non debet, aeque etiam illud, quod urguet Gruterus, ad præturam non admissos fuisse 'adolescentes.' Sed hic Metellus vocatur adolescens respectu seniorum, qui jam consulatum gesserant. Et sic 'adolescens' in tali oppositione de ætate etiam provectiori adhiberi multis exemplis illustravit Cortius ad Sallust. Cat. c. 38. § 1. Quare patet consularem petere et adolescentem hoc sensu gerere potuisse præturam. Tandem quid hic intelligendum sit per 'petitionem' vide de hoc loco dissentientes Jac. Gutherium de Jure Pont. I. 9. et Bosium de Pontif. Max. Romæ veteris cap. 3. Quos tu expende, lector, ne nimii simus. *Arntz.*

CAP. LXIV. § 1 *Gracchus*] Per aspirationem scripsi semper, Flavii Sosipatri auctoritatem sequutus et Græcam consuetudinem, tametsi *Graccus* in antiquis sit, vel a 'gerendo,' ut Varro, vel a 'gracilitate,' ut Sosipater derivant, itaque scribit Scaurus. *Schott.*

Nepos] Ratione avi, patrui, avunculique dicitur, a quo omnis posterior: ut illud Virgilianum, 'Carpent tua poma nepotes.' Nec minus ganeonem signat a 'nepa' voracissimo animali. Manil. mathematicus: 'Ardentemque nepam:' inde 'nepotiæ,' et Suetonius 'nepotinis sumptibus,' in Nerone. *Mach.*

Probavit] Plutarchus inquit: 'Missus igitur ad hostes, in hybernis, partim suadendo, partim recipiendo, fœdus firmavit, ac per eum modum viginti millia Romanorum absque auxiliariis, et aliis, qui extra ordinem sequuti erant, servavit.' *Mach.* Inepte codd. quidam *putavit:* legendum *probavit*, ut in Hostilio Mancino videre licet. Gracchanæ seditionis caussam vide apud Plutarch. Liv. Vell. lib. II. Appian. et Oros. v. 8. Cicero de Aruspicum Responsis: 'Tiberio Graccho invidia Numantini fœderis, cui feriendo quæstor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, et in eo fœdere improbando senatui severitas dolori et timori fuit, istaque res illum a gravitate Patrum desciscere coëgit.' *Schott.*

§ 2 *Effugit*] Nam ingressus urbem Numantinam, utpote amicus, liberali convivio exceptus, memoria paterna, qui pacem cum Numantinis servaverat, eamque semper apud populum recte justeque defenderat. *Mach.*

Tribunus plebis] [Vide Lectt. Var.] Suspectam fortasse habuerunt vocem ex nota distinctione JCtorum inter leges et plebiscita, cum hæc plebeio, illæ senatorio magistratu rogante constituantur. Sed tales distinctiones non esse perpetuas, et legem pro plebiscito dici patet ex Cicer. Bruto c. 27. 'L. Piso tribunus plebis legem de pecuniis repetundis tulit:' et post Reditum in Sen. c. 5. 'Quo inspectante ac sedente legem tribunus plebis tulit.' Lucan. IV. 690. 'Lege tribunitia solio depellere avorum Curio tentarat.' Vell. Paterc. II. 18. § 5. et 6. 'P. Sulpitius tribunus pl. legem ad populum tulit:' et c. 31. § 2. 'Post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit.' Noster inf. c. 65.

'Tribunus plebis agrarias et frumentarias leges tulit.' Et in ipso jure passim hæc vox latiori significatione adhibetur. *Arntz.*

Plus mille] Corrupte haud dubie. Corrige *plus quingenta.* Suspicor hinc natum mendum, quod notis numeros signarent antiquitus librarii, cujus hodie vestigia exstant in IↃ. et CIↃ. *Quingenta* enim omnes habent. Appianus lib. Emphyl. I. μηδένα τῶν πεντακοσίων πλέθρων πλέον ἔχειν. Sic et Plutarchus in Gracchis. Florus tamen abbreviator Livii Epit. lib. LVIII. 'decem' habet dumtaxat; et Siculus Flaccus in libro de Conditione Agrorum 'ducenta' male. Manavit error rursus e corruptis numerorum notis. *Schott.* Attamen omnes unanimi consensu *mille* retinent, ut ipsius auctoris possit esse error. Vide de dissensu in numero horum jugerum apud Sigon. ad Livii Epit. lib. LVIII. et Pigh. Ann. tom. III. p. 5. *Arntz.*

§ 4 *Intercedente*] 'Impediente;' namque multitudine rogantium victus intercessit: de Octavio Appianus: 'Octavius,' inquit, 'quamprimum tribunatu ejectus clanculum effugit.' *Mach.* Melius alii, *intercedenti,* dandi casu. Cicero de Legibus: 'Tib. Gracchum nihil aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegæ abrogavit.' *Schottus.* Quos alios hic innuat Schottus ego quidem ignoro, sed hoc certum est mihi, melius hic non esse dandi casu. Non minus enim eleganter ablativus absolutus ponitur, ubi dativus requirebatur. Juvenal. Sat. I. 70. 'Miscet viro sitiente rubetam.' Vide quæ eo loco adduxit Britannicus. Sallust. Jug. c. 63. § 1. 'Mario per hostias Dis supplicante magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat:' sic ex suis codd. receperat Cortius, aliorumque scriptorum testimoniis munivit. Junge Comment. ad Just. II. 3. § 16. et Duker. ad Flor. IV. 12. § 28. Infra Epit. c. 12. § 5. 'Dicente Nerva, Quid nunc faceret, si Domitiano supervixisset, Nobiscum, inquit Mauricus, cœnaret:' ubi fortasse plura. Ideoque hoc loco nihil temere fuerat mutandum, præsertim invitis editt. et scriptis. *Arntz.*

Abrogavit] Sic libri antiqui. Unus scribit *abdicavit.* Falso: nam insequenti anno tribunus plebis refici voluit Gracchus. *Schott.*

§ 5 *Ut ea familia, quæ de Attali hæreditate*] Vide infra c. 80. *familia* enim I. C. illis veteribus usitata vox, ut et in XII. Ulpianus enim tit. de Verb. Signif. duplicem facit, rerum et personarum. Rerum, ut in legum XII. Tabulis. Significat enim bona et hæreditates defuncti. Verba attuli:

PATERFAMILIAS. SI. INTESTATVS MORITVR. CVI. SVVS. HAERES NEC. ESCIT. ADGNATVS. PROXIMVS. FAMILIAM. HABETO. SI. ADGNATVS. NEC. ESCIT. GENTILES FAMILIAM. ERCISCVNTO.

Unde Caius l. I. D. Familiæ Erciscundæ, actionem familiæ erciscundæ proficisci ait a XII. Suet. Tranq. in Nerone c. 4. 'familiam' ea significatione usurpat, additque 'pecuniam' explicandi caussa. Suspicor igitur *familiæ* potius, quam *pecuniæ* voce usum in lege roganda Gracchum eloquentissimum, et verborum studiosissimum, qui a Cornelia matre eductus cum fratre liberaliter, eloquentiam cum lacte nutricis imbiberat. Cicero in Bruto et Oratore. Quinctil. lib. I. Hic autem sensus est: Legem promulgavit, ut iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali fuisset, divideretur. Hæredem autem reliquerat populum Romanum Attalus Pergami rex, Eumeni filius, paullo ante mortuus. Plutarchus in Gracchis βασιλικὰ χρήματα appellat, quæ hic *familia* est. *Schott.*

Ex Attali hæreditate erat] Plutar-

chum lege hæc scribentem: 'Posthæc Attali Philopatris defuncti testamento a Pergamenis Romam transmisso, quo populus Romanus hæres scriptus fuerat, statim Tiberius ad populum tulit, ut regia pecunia civibus Romanis, quibus agri dabantur, pro cultura assignaretur.' *Mach.*

Ageretur] Sic 'caput agi' dicimus eleganter. Cicero in Lælio: 'Minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sunt, in quibus eorum aut caput agitur aut fama:' quam etiam lectionem confirmat Agellius I. 3. vulgati *de capite* substituerunt. Terent. Heautont. 'Non nunc pecunia agitur:' quomodo et in Phorm. legendum videtur Actu IV. Cicero pro Cæcina: 'Agitur jus civitatis, bona, fortunæ omnium civium.' Cato Origin. lib. VII. 'Multa me dehortata sunt huc venire, anni, ætas, vox, vires, senectus: verum cum tantum rempublicam agi arbitrarer.' *Schott.* Verum in hisce exemplis 'agi' idem est, quod periclitari, ut 'agitur caput,' pro ejus vita in discrimen adducitur. Cicer. pro Lege Man. cap. 2. Gronov. ad Livium XXVII. 34. et XXVIII. 19. Sed 'agere' alia significatione est quærere, judicium exercere. *Arntz.*

§ 6 *Prorogare*] *Sequenti anno vellet* in Mss. est, sed non videtur necessarium. Nam hoc est 'prorogare' in sequentem annum continuare. Cicero in Catilinam: 'Tib. Gracchus, quod iterum tribunus pl. fieri vellet occisus.' *Schott.*

Adversis auspiciis] Mediolan. *adversus auspicia;* quomodo in Scipione Nasica loquutus est. Vide Obseq. *Schott.*

§ 7 *Diadema*] A διαδέω *ligo,* quasi regum ligamen. Plutarchus attestatur per eum demum diadema, et purpuram e regia gaza a Graccho allata. *Mach.* Quæ signis potius indicamus quam verbis, perperam sæpe recipiunt interpretationem. Tranquillus in Cæsare cap. 33. 'Cum in alloquendo exhortandoque, sæpius digitum lævæ manus ostentans, adfirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi; extrema concio, cui facilius erat videre concionantem quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur, promissumque jus annulorum cum millibus CCCC. distulit.' *Gruter.*

Scipio Nasica] Privatus hoc egit. Cicero Offic. lib. I. pro Plancio, et pro Domo sua: 'P. Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in gerenda repub. putabatur fuisse segnior, multis senatusconsultis, non modo defendit, sed etiam ornavit.' *Schottus.*

Qui salvam R. P. vellent] Formula est, qua civium evocatio fiebat ad rempublicam juvandam opprimendosque seditiosos. Servius in illud Virgil. Æneid. VIII. 1. 'Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit.' Et Isidorus Etymolog. IX. 3. Cicero vero Orat. pro Cornelio lib. I. apud Asconium: 'At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, consulem mittere coëgisti, qui R. P. salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.' Videndi Cæsar Belli Gall. lib. VI. et Valerius III. 2. Simile apud Liv. XXXIV. 25. 'Clamitans, ut qui salvam rempublicam vellent, auctorem et ducem libertatis sequerentur.' Et Marcus Æmilius Lepidus consul oratione ad populum Romanum, ut arma contra Sullam dictatorem capiant, Histor. lib. I. Sallustii, 'Adeste,' inquit, 'Quirites, et bene juvantibus Diis M. Æmilium consulem ducem et auctorem sequimini ad accipiendam libertatem.' *Schott.* Hæc tamen formula corrupta est in Leid. 2. ubi exstat *salutem Reip.* Melius veram scripturam tuentur testimonia a Schotto prolata, et Livius IV. 38. 'Ut equites,

qui salvam remp. vellent esse, ex equis desilirent.' XXII. 60. 'Itaque ite mecum, qui et vosmetipsos et remp. salvam vultis.' Eodem etiam lib. cap. 53. 'Irent secum extemplo armati, qui remp. salvam vellent.' Vell. Paterc. II. 3. § 1. 'Hortatus est, qui salvam vellent remp. se sequerentur.' Ad quem locum vide quæ notavit doctissimus Bœclerus et Brisson.' Form. II. 213. Mox *prosecutus* vitiose uterque Leid. *Arntz.*

Oppressit] Lucio Saturnino et Rufo interfectoribus. *Mach.*

Vespillo] Quia vespertino tempore cadavera sepeliebantur. Martial. 'Nuper erat medicus, nunc est vespillio Paullus.' Ita enim in codd. veteribus legitur. *Mach.* *Vespilio* in aliis est. Cæterum monet Jul. Obsequens extremo libro Prodigiorum neminem, qui magistratum collegæ ademerit, annum vixisse: exemplisque declarat. *Schott.*

In Asiam] Pergamum inquit Valer. v. 3. *Schott.*

Cap. LXV. § 1 *Caius Gracchus*] Hac de re Gracchus ipse apud Agell. XV. 12. 'Cum rediret ex Sardinia,' inquit Agellius, 'de sua parsimonia et continentia hæc protulit: Cum Roma profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.' Meminit et Symmachus Ep. IX. 39. *Schott.*

Pestilentem Sardiniam] De Sardinia aëris insalubris ac pestilentis, sic Martial. lib. II. ut omittam Claudian. de Bello Gildonico lib. II. fine: 'Nullo fata loco possis excludere, cum mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est.' Cicero Epist. VII. 24. ad Fabium Gallum: 'Id ego in lucro pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua.' Habita tamen est pinguis, et soli uberis Sardinia. Horatius Od. I. 31. 'Sardiniæ segetes feraces.' Vide Strabonem lib. V. *Schott.*

Sua sponte discessit] Fran. et uterque Leid. habent *decessit*. 'Discedere' dicitur multitudo, quæ in varias partes abit. Donatus ad Terent. Andria IV. 2. 24. Quare hoc verbum recte tribuitur exercitibus, qui vel ex hibernis se movent, vel militia confecta domum repetunt. Cæsar Bell. Gall. V. 1. § 1. cap. 7. § 5. cap. 28. § 3. cap. 41. § 6. Bell. Civ. I. 9. § 3. Livius XXV. 20. Val. Max. III. 2. ex. 8. Frontin. Strat. III. 22. et alibi. Sed hæc significatio locum habere hic non potest, cum non de militibus, sed de ipso belli duce agatur. Quare 'decedere' proprie est proconsulis et magistratus, qui ex provinciis abeunt, et præsertim eorum, qui successorem nondum habent. Cicero ad Famil. Epist. II. 15. 'Ego de provincia decedens quæstorem Cœlium præposui provinciæ:' et eod. libro epist. 19. 'Ne ante, quam tu in provinciam venisses, ego de provincia decederem.' Idem Epist. III. 6. 'Te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse.' Livius XXIII. 32. 'Veterem prætorem inde A. Cornelium provinciæ peritum decedere, novum exspectari.' XXVIII. 9. 'Consulem satis præsidii Galliæ provinciæ credere, L. Porcium cum suis legionibus esse, decedere se inde ac deduci exercitum consularem posse:' et c. 32, 'Ideo se priusquam provincia decedat, opprimendos Illergetes duxisse.' Adde XXIX. 19. XXXII. 7. XXXIV. 10. XXXV. 10. XXXVI. 39. et XLV. 3. Suetonius Cæs. c. 18. § 2. 'Non exspectato successore ad triumphum simul consulatumque decessit.' Val. Max. II. 7. ex. 3. 'Generum suum provincia jussit decedere.' Vell. Paterc. II. 59. § 2. 'Sortitus Macedoniam, appellatusque in ea inperator, decedens ad petitionem consulatus.' Conf. Manut. ad Cicer. Fam. Epist. VIII. 1. et Zitsman. ad Rutilii Itin. I. 474. Reducenda igitur videbatur vetus lectio, præsertim cum hæ voces etiam a librariis alibi fuerint confusæ, cujus rei exempla reperies apud Pie-

rium ad Virgil. Ecl. II. 67. Lipsium ad Senec. Consol. ad Helviam c. 12. Gronov. ad Liv. III. 33. IV. 29. et 52. et XXVII. 10. cum Oudend. ad Lucan. I. 335. *Arntz.*

§ 2 *Asculanæ*] Quod Asculum ejus causa defecerat in bello sociali. *Machan.*

Fregellanæ] Quod Fregellæ etiam ejus caussa defecerant in bello sociali. *Mach.*

§ 4 *Triumviros*] Mss. pro *Triumviros* habent *Tribuum viros* vitiose. Sallust. Jugurth. 'C. Gracchum triumvirum coloniis deducendis occidit Opimius.' *Schott.*

C. Crassum] *C. Orosium* codex Gramm. *Corsium* Agripp. ceteri nihil variant, nisi quod *Gaium Crassum* nominet Fran. Ego de hoc homine nihil compertum habeo: et non una est sententia veterum de his, qui agris dividundis creati fuerunt. Vide Schegk. ad Vell. II. 6. § 4. *Arntz.*

§ 5 *Abrogante*] 'Abrogatur' lex in totum, 'derogatur' in partem. *Mach. Abrogante,* malim *obrogante,* ut hic Mss. legunt, et infra in Appuleio Saturnino. Quid sit autem 'obrogare,' 'abrogare,' 'derogare,' &c. docebit te Ulpianus J. C. Quid si *leges ejus abrogante* reponas ex Orosii l. v. c. 1.? Dandi tamen casu dixit Ovid. Trist. lib. II. 'Et nimium scriptis abrogat ille meis:' nisi quis *obrogat* legendum ibi censeat, ut apud Livium in Mss. Petrus Pithœus observavit Annal. lib. IX. 'Ubi duæ leges sunt, semper antiquæ obrogat nova.' Et Cicero apud Lactant. Divin. Instit. lib. VI. 'Huic,' inquit, 'legi neque obrogari fas est, neque derogari ex ea aliquid licet, neque tota abrogari potest.' *Schottus.* Tamen receptam lectionem cum antiquis edd. tuentur omnes scripti, quare eam exprimere malui, præsertim cum Noster non sit adeo proprietatis studiosus, et dativum huic verbo addi docuerit vir de omni posteritate egregie meritus Pithœus ad Coll. Legum Mosaic. et Roman. tit. IV. § 2. et Duker. ad Flor. I. 9. § 3. III. 15. § 4. et c. 17. § 8. *Arntz.*

Antilius] In Mss. longe aliud nomen, partim *Anicullius,* partim *Anitullius,* qui Plutarcho 'Anticyllius' est: *y* autem ut *u* Gallicum pronuntiari solitum Verrius Flaccus cæterique literatores tradidere. *Schott.* Ἀντύλλιον hunc præconem appellat Plutarchus in Gracch. p. 840. et sic Fabric. ad Oros. v. 12. *Arntz.*

Præco] Tubicen a præcinendo. Plutarchus vult fuisse ministrum intestina ferentem: et quia dixit 'cedite bonis civibus mali,' brachiumque in obscœnum modum intorsit, a fautoribus Gracchi interfectum. *Machan.*

Concionem avocavit] Cupiebat se de cæde purgare, verum a nemine audientiam habens abiit. *Mach.* Non ferunt vocem *avocavit* Fran. et Leid. 2. quorum hic *advocavit,* ille *annotavit* nobis obtrudunt. Quid sit 'avocare concionem' dudum docuerunt viri docti. Confer Turneb. Advers. XVI. 21. et Gronov. ad Liv. I. 6. *Arntz.*

Quare arcessitus] Recte in Mss. *qua re arcessitus:* illa enim vox sive conjunctim, sive separatim scribatur, nihil interest: hæc vero propria est hujus loci, et rei, qua de agitur. Vide supra in Fufetio. *Schott.*

Lunæ] Alii *Dianæ* scribunt. Nam Luna in cœlo, Diana in nemoribus, Proserpina in inferno. *Mach.* Veteres *Lunæ.* Schott. Nescio cur *Lunæ* mutare voluerit Aldus eumque secuti: certe ita omnes ante eum edd. scripti nostri et Orosius v. 12. 'Cum per ædem Lunæ in domum privatam desiluisset.' Et Lunæ ædem seu templum erectum fuisse in Aventino ostendit Lipsius ad Tacit. Ann. XV. 41. et Neapol. ad Ovid. Fast. III. 884. Publ. Victor quoque de Region. Urb. Reg. XIII. 'templum Lunæ in Aventino' collocat et Appian. Bell. Civ.

v. 632. *Desiliit* habent priscæ edd. et omnes scripti. *Arntz.*

Talum] *Telum* autem etiam depravatum in auctore de Bello Hispaniensi, pro quo reponendum *talum.* Schott. *Telum* Leid. 1. *bellum* Leid. 2. et Haun. *Arntz.*

Pontino] *Pomponio* vulgati. Veteres *Pontino.* Volaterranus l. XVI. 'Pontinium' quoque exscripsit. *Schottus.* [Vide Lectt. Var.] Vide Fabric. ad Oros. v. 12. Fortasse posset esse, utrumque hoc nomen viro illi fuisse inditum, ut 'Pomponius Pontinus' diceretur. *Arntz.*

Apud portam Trigeminam] Per quam Horatii trigemini ad bellum contra Albanos exierant. *Mach.*

P. Lectorio] In Mss. est. Non placet. Recte vero *P. Lætorium* vocant. Valerius enim Maximus 'Pomponium' et 'Lætorium' agnoscit de Amic. IV. 7. *Schott. Lectorio* cod. Gramm. uterque Leid. et Fran. *Lectore* Haun. et Boend. Sed facile hic apparet manifestus error librariorum. *Arntz.*

Resistente in lucum] In Mss. est *resistens in locum.* Non placet. *Schott. Locum* tamen firmiter retinent sex scripti, Agripp. et Ven. ceteri *Lucum,* et ita laudat Turnebus Advers. VI. 5. Nardinus de Roma Vet. VII. 11. p. 1413. in Thes. Græv. et Borrichius de Ant. Urb. Facie c. 16. p. 1609. in eodem Thesauro. Adde Donat. de Urbe Roma III. 21. *Arntz.*

Furinæ] Varro de Lingua Latina: 'Furinalia a Furina, quod ei Deæ feriæ publicæ dies is, cujus Deæ honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua, et flamen attributus; nunc vix nomen notum paucis.' Et alibi, 'obscura est eorum origo. Volturnus, Diva Palatua, Furina.' *Mach.* Libri veteres *Furrianæ:* quod abnuo. De Furina Dea M. Terentius Varro de Ling. Lat. libb. IV. et V. Ful. Ursinus Notis in librum III. Cic. de Nat. Deorum *Forinæ* legi vult, ex antiquo lapide. *Schott.*

§ 6 *Eupori*] 'Euporum' vocatur a Paterculo et Macrob. I. 11. 'Philocrates' a Plutarcho in Gracchis et Val. Max. VI. 8. qui et 'Euporum' nominatum ab aliis refert. *Schott.*

Gracchi] Familiarem faciunt etiam Plin. XXXIII. 3. et Val. Max. IX. 4. Plutarchus vero Opimii. *Schott.*

Auro expensum fertur] *Expressum* Leid. 2. *Impressum* Haun. Uterque ridicule nugax. Cicero de Orat. II. 67. 'Scævola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum.' Val. Maximus IX. 4. ex. 3. 'Quia Opimius consul auro id se repensurum edixerat:' et Munckerus ad Hygin. Fab. CVI. *Arntz.*

CAP. LXVI. § 1 *Drusus*] Primus a Druso duce hostium victo. De hoc Suetonius in Tiberio meminit. *Mach.*

§ 2 *Rubrio*] In quibusdam *Rubrico:* verum antiquorum librorum tantus consensus, ut pæne religio sit ab iis discedere. Parisinus *Reminio,* Coloniensis *Reminio,* Mss. vero, *Remmio.* Schottus. *Remimio* Agripp. et Ven. aperto errore, cum nihil facilius librariis quam *m* et *in* vel *ni* inter se permutare. Broukh. ad Tibull. El. I. 8. 42. et El. IV. 1. 73. Scioppius Veris. II. 9. Drakenb. ad Sil. IV. 16. Et ex hac regula feliciter tentabat Plinium in Paneg. cap. 16. Is. Vossius, nam cum in duobus Mss. pro *non inanes currus,* repererat *non inimicos currus,* recte reponit *mimicos.* Ut apud Senec. de Ira II. 2. Lipsius. Sed de illo loco latius spero ad ipsum Plinium agemus. *Remmio* hic habent Leid. 1. et Haun. *Rubrio* Mach. Ald. et cet. Ceterum vitam duorum Drusorum patris et filii permiscere Nostrum monuit Pighius tom. III. Ann. p. 82. 100. et 194. *Arntz.*

Suggerente] *Suggerenti* dandi casu. Sic antiquissima exempla Mss. *Schott.* Not. Min.

§ 3 *Nullis insignibus*] Habent singuli magistratus insignia sua, de qui-

bus lege Fenestellam de Romanorum magistratibus. *Mach.*

§ 4 *Civitatum*] Appianus: ' Drusus vir illustris rogantibus Italis legem de civitate illis danda laturum se promiserat.' *Mach.*

Plebi agros] ' Inde populo subblandiens, plures colonias in Italia et Sicilia, quæ jampridem decretæ, nondum tamen conditæ erant, deducere suasit.' *Mach.*

§ 5 *Liberalitatis*] Ita omnes editi, nisi quod Pitiscus *libertatis*, vitio haud dubio typothetarum: tamen ita Leid. 2. et Fran. nisi velit quis de ' libertate loquendi' intelligi, de qua Cicero ad Fam. Epist. IX. 22. Sed illud huic loco minus esset adcommodatum. *Arntz.*

Præter cœlum et cœnum] Qui *terram* hic scripsere, dicam audaciter, venustatem orationis corrupere, et glossemata dederunt; legunt quidam *præter cœlum et solum*, rectius. *Schott. Et terram* Agripp. pejus has voces non agnoscit Haun. Mutandum est nihil, nam usitatam esse hanc paronomasiam docet Dausquius Orthogr. tom. II. p. 88. *Arntz.*

Boccho] Is Sallustio auctore fuit rex Mauritaniæ. *Mach.*

Elephanto] Elephas et elephantus utrumque declinatur: de quo animali Plin. Natural. Histor. lib. VIII. perquire. *Mach.*

§ 7 *Adherbalem*] Micipsæ filium, de quo Jurgurthinum Sallustii consule; is enim hunc et legitimos, Jugurtham vero nothum reliquit. *Mach.*

§ 9 *Consuli*] Intelligo Metello; salvo semper meliori (ut aiunt) judicio. Nimirum variant sæpe historici in nominibus, etsi in re conveniant. Quod his attribuit Druso, Plinius Natural. Histor. lib. VII. cap. 44. C. Atinio Labeoni transscribit his verbis: ' In ipso tamen flore dignationis suæ a C. Atinio Labeone, cui cognomen fuit Macerioni, tribuno plebis, quem e senatu censor ejecerat, revortens e campo meridiano tempore, vacuo foro et Capitolio ad Tarpeium a damnato suo, raptus, ut præcipitaretur.' Paullo inferius, ' bonis inde etiam consecratis; tanquam parum esset, faucium certe intortarum, expressique per aures sanguinis pœna exacta est.' *Mach. Philippo consuli* est in Mss. quibus si vel Dominicus Machaneus, vel Philippus Poncherius usi fuissent, non ita turpiter hic hallucinati essent. Fuere enim consules, ut puto, anno DCLXII. post U. C. L. Marcius Philippus et Sex. Julius Cæsar. *Schott.* Sed *Philippo* abest ab omnibus script. et editt. In contextum receperat Schottus. Sed ejus ed. hic et alibi sæpe mihi videtur liberalior, quam par est. *Ait se saxo Tarpeio præcipitaturum* codex d'Orvil. neglecta particula *de*, quam ab amanuensi aliquo inutiliter interjectam fuisse suspicari licet. Aliter Fran. qui *ait de saxo* prætulit. Ovidius Epist. Her. XV. 192. ' Quam poterant saxis præcipitanda dari.' in Ibide vs. 286. ' Tu quoque saxoso præcipitere jugo.' Val. Maximus I. 8. ex. ext. 8. ' Ejusque jussu saxo, cui nomen erat Equi, præcipitatus.' VI. 5. ex. 7. ' Præcipitari protinus saxo Tarpeio jussit:' sic et ibi antiquam lectionem reduxit consensus Mss. *Arntz.*

Obtorsit] *Intorsit* Gramm. et edit. Agripp. et Ven. Vide Turnebum Adv. XXVIII. 34. *Arntz.*

Effueret] Pro *efflueret* scripti codd. *effunderetur*. Nihil tamen demuto. *Schott.* Not. Min. *Effuderetur* Fran. reliqui nihil variant, nisi quod *de naribus* scribant Haun. et Leid. 2. Ovid. Met. VI. 669. ' Neque adhuc de pectore cædis Effluxere notæ.' *Arntzenius.*

Morti jam detrudi se dicebat] Consonant huic et Pliniana hæc verba: ' ægre tribuno, qui intercederet, reperto, a limine ipso mortis revocatus, alieno postea vixit beneficio.' *Mach.*

Egregie hunc locum restitui, nisi fallor, e vestigiis Mss. veram lectionem odoratus, in quibus repperi *quem ille luxuriam exprobrans* (alii *opprobrans*) *muriam de turdis esse dicebat, &c.* ubi fortasse *ad quem ille* legendum videatur. Parisin. codex vetus *quæ illa luxuria exprobrans morti autem detur dixisse dicebat.* Si quis ductus litterarum sequatur, dicet me veram lectionem eruisse, sensumque assequutum. Hoc enim vult: cum multus e naribus sanguis efflueret, exprobrasse Philippo consuli Livium, non a se, sed a turdorum sanguine suffocatum esse: erat enim luxuriæ deditus. Turdos autem in deliciis ponunt popinæ artifices, ut Apicii, et Martialis. De 'muria' nos pluribus in Observationum libris. Nam quæ hic interpretes de divinatione, morte jam imminente, et cygnea cantione sunt commenti, meri λόγοι videntur. *Schottus.* Contaminatus locus si quis alius fœdis Harpyiarum unguibus. Mss. duo D. *Victoris* et Franc. Pithœi *quæ illa luxuria exprobrans mori aut detur dixisse dicebat.* Corrupte, propius tamen ad veram lectionem, quam in optimo exemplari Theodori Pulmanni reperi: *quem* (vel *quam*) *ille luxuriam opprobans muriam de turdis esse dicebat;* quam ego germanam lectionem esse Jovem lapidem jurare ausim. Vulgata certe ferri non potest. Et injuriam fecere Schotti Duacensis typographi operæ, quæ *injuriam* excuderunt pro *muriam.* De muria et garo sociorum, Plinius, Columella, Athenæus, Pollux, alii: de turdis Martialis et popinæ professores Apicii. Mox *ex gratia nimia in invid.* Pithœi vero *deinde ex gratia invidia. Nam.* De his judicet S. P. Q. litteratus. *Schott.* Not. Min. Utramque notam adponere maluimus, cum altera alteram illustrat, nec pœnitebit inspexisse eundem Schottum, ut pateat quantopere sibi hac in emendatione placuerit, Observ. l. III. c. 5. Ego lubentissime amplector quam ex suis codicibus lectionem protulit Schottus. Hæc enim muria rubro et sanguineo erat colore, quoniam ex sanguine conficeretur. Martialis Epigr. IV. 89. 'Antipolitano nec quæ de sanguine thynni Testa rubet, nec quæ coctana parva gerit.' Et Manilius v. 671. 'Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris Evomit, et mixto gustum sale temperat oris.' Sed movere posset aliquem testimonium Persii, qui 'muriam' inter viliorum cibos recenset, et 'turdis' opponit, ut adeo luxuriæ indicium esse nequeat. Sat. VI. vs. 20. 'Tingnat olus siccum muria vafer in calice empta, Ipse sacrum inrorans patinæ piper: hic bona dente Grandia magnanimus peragit puer: utar ego, utar. Nec rhombos ideo libertis ponere lautus, Nec tenuem solers turdorum nosse salivam.' Verum recte monuit ad eum locum eruditorum princeps Casaubonus duplicem esse 'muriam:' unam tenuiorum, aquam sc. salsam, in qua cibus servabatur vel macerabatur; alteram beatorum hominum, quæ fiebat ex sanie thynnorum. Quare fortasse apud Persium per 'salivam' intelligenda est 'muria' qua conditi erant 'turdi.' Alia ratione exponit Casaub. cujus sententiam non rejicio; notum tamen est 'salivam' de omni humore et succo dici. Porro de muria vide Turneb. XVII. 16. Cujac. Obs. IX. 9. Gothofred. ad l. 3. § 1. ff. de Penu Leg. Taubmann. ad Plautum Pœn. I. 2. 32. et Vossium Etym. voce 'Muriatica.' Mox *idem ex gratia* ediderat Schottus contra omnes Mss. et edd. nos veterem lectionem revocavimus. *Arntz.*

§ 10 *Plebs gaudebat*] Solus populus coloniarum deductione lætabatur, in hac tum colonis agri dividebantur. *Mach.*

Equites lecti] Aptior vetus lectio, *Equites in senatum lecti lætabantur, sed*

præteriti quærebantur. Eximie: sunt enim, si animadvertas, quasi opposita: 'gaudebant, dolebant: lætari, queri: exsultare, ægre ferre.' Ergo in vulgatis male desideratur comma. *Schott.* *In senatum* rejicit Fran. et Gramm. cum editis: *in senatum* Haun. *in senatu* uterque Leid. et Boend. quomodo locutus et Cicero ad Famil. Epist. VI. 18. 'Qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romæ legerentur.' Neque enim ibi Lambinum hanc lectionem loco movere conantem sequor. Festus in 'Præteriti:' 'Optimum quemque curiatim in senatu legerent:' sup. cap. 34. 'Libertinos quoque in senatum legit:' ubi monet Schottus in suis esse *e senatu:* fuerat fortasse *in senatu.* Arntz.

Præteriti] Hæ voces a Mss. et editt. absunt, quare his uncis includi jussimus. *Arntz.*

Societatem cum equitibus] Appianus de Bellis Civilibus: 'Senatum vero et equites judiciorum caussa, jampridem inter se dissidentes communi lege conjungere tentavit.' *Mach.*

§ 11 *Repente in publico concidit*] De ejus morte ita Appian. 'Cum igitur circa vesperam, multitudinem emitteret, subito se percussum esse conclamavit, vixque finito clamore, in terram decidit, repertus deinde sutoris gladius femori ejus infixus: eoque modo Drusus, et ipse tribunus, occiditur.' *Mach.*

Morbo comitiali] Caduco, dicto quia comitia impediebat: si quis enim cecidisset, ea dirimebantur. *Mach.* De illo Plinius XXV. 5. et Agellius XVII. 15. Sueton. de Cæsare cap. 45. *Schottus.* Librarius in Boenderm. et ed. Machanei non ferebat illud *seu*, pro quo *sive* reposuerat, cum sine dubio existimarit minus recte has particulas *sive* et *seu* conjungi. Sed deceptus fuit. Tibull. El. III. 5. 32. 'Sive erimus, seu nos fata fuisse velint:' eruditissimus quidem Gatakerus de Stylo N. Inst. cap. 19. hic legit *seu erimus:* verum frustra. Ita enim idem poëta El. IV. 1. 66. 'Sive supra terras Phœbus seu curreret infra.' Propertius El. III. 9. 71. 'At tu sive petes portus, seu, navita, linques.' Catull. Carm. LXVIII. 25. 'Sive quod inpia mens cæco flagrabat amore, Seu quod iners sterili semine natus erat.' Virgil. Æn. II. 32. 'Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata manebant.' Martial. Epigr. VI. 94. 'Sive foris, seu cum cœnat in Urbe domi.' Sueton. in Cæs. cap. 79. 'Dolens seu parum prospere motam regni mentionem, sive ereptam sibi gloriam recusandi.' Plinius in Paneg. cap. 16. 'Sive interfuso mari, seu fluminibus inmensis defenditur.' Dictys Cret. de Bell. Troj. VI. 10. et alii. Vide Cort. ad Sallust. Catil. cap. 31. § 6. *Arntz.*

Caprino sanguine] De illo Plinius XXVIII. 9. extremo. Taurino extinctus Themistocles, auctor Corn. Nepos. Mox *in Albano monte; monte* ex antiquis redundat. *Schott.*

§ 12 *Suscepta*] Corrupte *accepta* Fran. Vell. Paterc. II. 48. § 2. 'Universa Italia vota, pro salute ejus, primo omnium civium, suscepit:' ad quem locum de talibus votis egere viri eruditi et Broukhus. ad Tibull. El. I. 5. 10. Plinius in Paneg. cap. 77. § 8. 'Quæso, immo et obtestor, ne unquam pro me vota invita suscipiat.' Adde Lipsium eod. loco § 3. *Arntz.*

CAP. LXVII. § 1 *Septies consul*] Hoc, auguriis apparentibus, consulti respondere: ob nidum septem pullorum aquilæ, quos in veste Marius detulerat. *Mach.*

Arpinas] Juvenalis, 'Arpinas alius Volscorum in monte solebat.' Fuit enim conterraneus Tullianus. *Mach.*

Legatus] Primo militavit sub Scipione apud Numantiam, inde tribunus militum sub Metello, in cujus domo ipse a pueritia, paterque ejus ministri fuerant, inde legatus in Africa. *Mach.*

Criminando eum] Nuntiabant enim milites Romanis per literas, nunquam finem habitura bella contra barbaros, nisi C. Marium consulem crearent. His rebus vehementer Metellus angebatur. *Mach.*

Captum] Per Bocchum Mauritaniæ regem et socerum, a quo gener Jugurtha traditus est Sullæ, quæstori in eo bello, ac per eum ad Marium ductus est. *Mach.*

§ 2 *Cimbros in Gallia*] Malim ex historiæ veritate, ita legere: *Teutones in Gallia a. A. S. Cimbros in Italia in c. C. vicit. Teutones* vulgati; Mss. fere *Teutonos,* quo modo et in Cæsaris Commentariis Gallicis scriptum repperi. *Schott.* Neque dubitavit hujus etiam emendationis gloriolam, quæ est hominis vanitas, sibi vindicare Keuchenius ad Frontin. Strat. I. 11. ex. 6. Recte ita conjecit Schottus ex historiæ fide, tamen aliud volunt et edd. omnes et scripti, quos sequor. Pro se ipse caussam dicat Aurelius, cujus errores emendare et boni veracisque historici laudem adsignare non meum judico. Videtur hos quoque populos confundere Eutrop. v. 1. ubi confer Glareanum. Prius Cimbros, deinde Teutonos devictos memorat Sueton. Cæs. cap. 11. Lucan. I. 254. et Veget. de Re Mil. III. 10. *Teutones* uterque Leid. *Theutones* Fran. *Teutonas* Haun. Gramm. et ant. editiones. *Centorias* Boend. alii *Teutoni.* Utrumque rectum est. Confer Vossium ad Cæs. Bell. Gall. II. 4. § 2. Davis. ad eundem Bell. Gall. I. 33. § 4. Dausq. in Orthogr. part. II. p. 311. Ciaccon. ad Melam III. 3. et Torren. ad Val. Max. VI. 1. ex. ext. 3. *Arntz.*

Aquas Sextias] Alii *Sextiles* scribunt, coloniam Romanorum, ut Ptolemæus scribit. *Mach.* *Aquas Sestias* Colon. habet, itaque dictas a Sestio, ait Robortellus, quem refellit Sigon. Emendat. I. 6. *Schott.*

Campo Raudio] *Campo Claudio* quidam: Gryphius *Caudio.* Est enim ad Athesim Veronæ fluvium pugna facta. Plutarchus aliter appellat. In Mss. nostris *Rhaudio* est, ut et Paterculus scribit, et in Hercule Prodicio omnis antiquitatis peritissimus Steph. Pighius. In Mediolan. Paris. et Colon. *Savidio.* Utramque lectionem in Annæi Flori Mss. reperit Vinetus. *Schott.* In *Raudio* hodie cum Schotto consentiunt viri litterati, inter quos Cellarius Geogr. Ant. II. 9. pag. 429. Vossius ad Vell. Paterc. II. 12. § 5. et Duker. ad Flor. III. 3. § 14. *Arntzenius.*

§ 3 *Sexies consul*] Sic scripsi, ut paullo ante, *septies consul,* cum in quibusdam reperissem *usque ad sexies consul*: rustice et barbare: quod rursum ex numerorum compendiis enatum mendum: forte legerunt *usque sexies consul,* id est, assidue et ordine: vel sic, *usque ad VI. consul.* pro *sextum consulatum,* quomodo melius alii habebant. In Mss. vero, *usque sextum consulatum.* Schottus. *Usque sextum* (vel *ad sextum*) *consulatum per* omnes scripti et edd. nec video caussam cur his invitis eam lectionem rejiciamus. *Arntz.*

Appuleium tribunum plebis et Glauciam prætorem] Nam ambos in Capitolium fugientes prosequutus fuit, fatigatos in potestatem suam redegit, illi fidei Marianæ se tradidere; postquam multa calliditate illorum saluti favere simulasset, nullo auxilio fuit: illi in forum profecti trucidantur. Ita Appianus et Plutarchus. *Machan.* Per simplex *p* quatuor codd. Haun. et Ven. Vide Duker. ad Flor. III. 12. § 8. ibidemque addenda: et Fabric. in Bibl. Lat. tom. I. pag. 514. et tom. III. p. 34. *Arntz.*

§ 4 *Sulpitia rogatione*] Plutarchus: 'Sulpicius homo temerarius Marium proconsulem contra Mithridatem declaravit: populus in duas partes divisus, partim Marium, partim Syllam ad principatum vocitabat.' *Machan.* Mox *Syllæ* Leid. 1. Gramm. et Boen-

derm. *Sillam* Fran. male uterque. Cortius ad Sallust. Catil. cap. 5. § 6. et Dausq. Orthogr. part. II. p. 303. *Arntz.*

Minturnis] Juvenalis: 'Exsilium, carcer, Minturnarumque paludes.' *Mach.* *Delituit* est in Schotti ed. Plantiniana, quomodo Gellius XV. 22. 'In fugam se prorupit, atque in palude proxima delituit:' et Virgil. Æn. II. 135. 'Limosoque lacu per noctem obscurus in umbra Delitui:' quem locum verisimile fieri posset ante oculos habuisse Nostrum, cum Servius notet, Virgilium his verbis tetigisse historiam Marii. Non tamen recedendum putavi a consensu Mss. et editt. qui *latuit* expressere. Ovidius ex Pont. Epist. IV. 3. 47. 'In cœno latuit Marius, cannaque palustri.' Et Lucanus I. 654. 'Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.' Seneca Contr. XVII. 242. 'Minturnensis palus exsulem Marium non hausit.' Val. Max. VIII. 2. ex. 3. et Fabric. ad Oros. V. 19. *in paludem* Fran. *Arntz.*

§ 5 *Vultus auctoritate*] Qui exclamavit (vultus auctoritate deterritus) 'Marium occidere non possum.' *Machan.*

Navicula] Julii cujusdam. *Mach.*

In Africam trajecit] Satiricus: 'Et mendicatus victa Carthagine panis.' *Mach.*

§ 6 *Cinnana dominatione*] Exercitum contra patriam armavit, Octavium collegam interfecit. Principio igitur seditionum cum audisset Marius e Libya seditiones consulum, Cinnam ab Octavio ejectum, et loco ejus Cornelium Merulam suffectum, sumptis quibusdam equitibus Africanis, et ex Italicis, Telamonem opidum venit; servos ad pileum vocavit: quadraginta naves armavit, sociumque se Cinnæ fecit. *Mach.*

Ergastulis] 'Εργάζομαι Latine est *operor.* Eadem loca 'catastæ' dicuntur. Tibullus, 'Barbara gypsatos ferre catasta pedes.' *Mach.*

Cæsisque inimicis] Longum esset referre crudelitatem Marianam, maxime in Lucio Crasso, et M. Antonio oratoribus. *Mach.*

Voluntaria morte] Historicus tradit Marium post cœnam cum amicis deambulantem in sermonem de rebus gestis venisse: et a rerum primordiis incipientem, semperque de fortuna disputantem, dixisse, non sanæ mentis hominem esse, qui fortunæ se committeret: post hæc appellatis læto vultu qui aderant; cum per septem dies paullatim deficeret, diem suum obiit. *Mach.*

CAP. LXVIII. § 1 *Filius*] Appianus non illius septies consulis Marii filium, sed ex fratre nepotem facit. *Schott.*

Viginti quinque annorum] Mss. codices *XXVII.* quomodo et Appianus, veriorque ea lectio: immutassem igitur vulgatam, nisi et Liviani breviarii auctor lib. LXXXVI. ante vicesimum ætatis annum per vim creatum consulem affirmaret: Velleius vero *XXVI.* propius veritatem. *Schottus.* Palatini nostri firmant codd. in quibus *XXVII.* quomodo et Appianus. *Gruter.* *Vigenti septem* uterque Leid. Boend. Fran. et Mach. ed. *quatuordecim* Haun. *annorum vigenti quinque* Boend. Confer quæ adferuntur ad Vell. II. 26. § 1. *Arntz.*

Immaturum] Non enim ante XXX. annos sumebatur apud Romanos. Appianus tradit: 'sequenti anno consules creati Papirius Carbo iterum, et Marius illius clarioris Marii affinis atque cognatus, septimum et vigesimum nondum egressus annum.' *Machan.*

§ 3 *Sacriportum*] Opidum est prope Preneste: de quo Lucanus, 'Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum:' ubi a Sylla Marius hic fugatus fuit, antequam Sylla Urbem occuparet. Varro quoque scribit Sacriportum locum esse intra Urbem jux-

ta Palatium. Ex auctore Bellorum Civilium: 'juxta civitatem Marius castra metatus propius paulatim cessit: cum ad Sacriportum pervenisset, copias in prælium educit, acriterque ab eisdem pugnatur: sinistra acie inclinante, quinque peditum cohortes, duæ equitum, non expectata aliorum conversione, abjectis signis ad Syllam confugerunt, ac tum primum origo cladis emersit: interfectis quippe plurimis reliqui Preneste fuga contendere, Sylla cum cursu insequente. Prenestini primos receperunt, appropinquante deinde Sylla e diversa porta, et occlusa, Marium per fenestram funibus sustulerunt.' *Mach.*

Sub dio] Ἀπὸ τοῦ Διὸς, id est, *aëre: ὁ Ζεὺς, τοῦ Διὸς, aërem* significat. *Mach.* *Sub dio:* hoc est, *sub cœlo.* Ascon. Ped. Verr. lib. III. Vide Festum lib. IV. *Sub divo* antiqui scripti libri. Jupiter pro aëre a veteribus usurpatus. Horatius Od. lib. I. 'Manet sub Jove frigido Venator, teneræ conjugis inmemor.' Veteres subjungebant et dicebant 'sub dio cœlo;' ut Caper annotat in Orthographia. *Schott.* *Sub divo* etiam Mss. nostri, nisi quod solito errore Leid. 1. *clivo* et Leid. 2. *clivio.* Atque hanc lectionem ex optimis codd. solent præferre eruditi. Torrent. ad Horat. Od. II. 3. 23. Comment. ad Nepot. Paus. c. 5. § 2. Gebhard. ad Vitam Eumenis c. 5. § 7. et viri docti ad Suet. Aug. cap. 82. ubi eam lectionem confirmant excerpta Vossiana. Nuper ab hac sententia recessit, et *sub dio* prætulit Verburgius ad Cicer. in Verr. I. 19. sed iis rationibus, ut vel eodem modo tota vox 'divus' e civitate Romana relegari posset. Et ibi tamen etiam contra ac in notis jusserat vir erud. *sub divo* in textu retinuerunt librarii, nam ita legebatur in Græviano. Ego utrumque possem admittere. Apud Apul. reperio Met. IX. p. 232. 'Sub dio et in contecto conclusus stabulo.' *Arntz.*

§ 4 *Præneste*] Dicitur ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, ilicibus et lenticis, ibi copiosis. *Mach.* *Præneste confugit* ant. libri scripti. Dixi in Papirio Cursore cur sine diphthongo urbem scripserim. *Schott.* Ex Mss. hic nihil peti potest, quæ diphthongos passim negligunt, quamvis infra c. 75. § 9. *Præneste* cum *æ* reperiatur in Leid. 2. attamen *prenesten* scribendum esse vidimus ad c. 31. *Confugit* uterque Leid. Haun. Fran. et ed. Mach. alii *refugit* edidere. Cicero pro Sext. Rosc. c. 10. 'De amicorum cognatorumque sententia Romam confugit:' et Val. Maximus I. 7. ex. 7. 'Cassius, qui partes ejus secutus fuerat, Athenas confugit.' *Arntz.*

Offellam] Alii *Ofellam;* verum *Afellam* est in libris pæne omnibus, vel *Affellam.* Græci tamen rerum Romanarum scriptores Ὀφέλλαν, ut Plutarchus in Sylla, et Appianus lib. I. scribunt, et quidam libri Mss. quare nihil muto. *Schott.* Quam varie hac in voce lapsi fuerint librarii vide ad Vell. Paterc. II. 27. § 6. et Sigon. ad Liv. Epit. l. LXXXVIII. *Arntz.*

Cuniculus] Est via subterranea, et animal habitationi huic solitum. Martialis: 'Gaudet in effossis habitare cuniculus antris: Monstravit tacitas hostibus ille vias.' *Mach.* Leid. 2. *per clanculum;* adeo ut omissa præpositione legi posset *clanculum,* sed nihil est mutandum ex Appian. Bell. Civ. lib. I. p. 681. &c. *Arntz.*

Cum omnia] Pro *cum omnia septa intelligeret,* libri quidam Mss. *omnia septa intelligens.* Schott.

Jugulandum] Appianus, 'Mario aggerem per cuniculos ingresso, nec multo post interemto manu propria, Lucretius abscidit caput, et ad Syllam mittit.' Reliqua Plutarchus: quum in Prenestina urbe obsideretur a Sulla, extrema omnia tentatus ut evaderet, quum nullo modo effugere posset, se ipsum necavit. *Mach.*

Paullo aliter hæc Livii abbreviator; et Oros. v. 21. Marium nimirum cum Pontio Thelesino fugæ comite stricto utrimque gladio concurrisse, quem cum occidisset, saucium a servo impetrasse, ut se occideret. Vide et Vell. lib. I. et Jun. Hadrianum Animadv. III. 12. *Schott.*

Thelesino] Scripti libri absque spiritu *Telesino.* Schott. Not. Min.

Præbuit] Leid. 1. *tradidit.* Eadem est varietas apud Oros. in cod. Ms. v. 12. 'Ibique ne vivus caperetur, cervicem servo suo præbuit:' illic namque in eo codice *tradidit* reperitur. Sed recepta lectio loco movenda non est. 'Præbere se' dicuntur hi, qui sua sponte se morti obferunt. Idem Orosius v. 21. 'Ipse leviter vulneratus cervicem servo suo præbuit.' Epit. Livii lib. LXXXIII. 'Præbens cervicem, ut se interficeret.' Seneca Suas. VII. 43. 'Præbentique inmotam cervicem, caput præcisum est.' Contr. IV. 25. p. 304. 'Miserum stare ad præbendas cervices inmotum.' Declamatio, quæ falso Ciceroni tribuitur, anteq. iret in exsil. c. 8. 'Ore oppresso præbendas esse cervices.' Val. Max. v. 9. ex. 4. 'Ac jugulum feriendum præbuit:' et VI. 8. ex. 3. 'Servo suo cervices incidendas præbuit.' Quinctil. Decl. XI. 5. 'Grassatus aliquis est ferro, præbeat et ipse cervices:' inf. Noster c. 82. § 7. Hoc 'dare cervices' dixit aliquoties Cicero et Velleius II. 69. § 2. Confer Abramum ad Cicer. pro Mil. c. 11. Juvenalis Sat. v. fine: 'Præbebis quandoque caput, nec dura timebis Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.' *Arntz.*

CAP. LXIX. § 1 *Cinna*] Abit a vulgata Leid. 2. et Haun. *Cornelius omnium flagitiosissimus* exprimentes, ut apud Sallust. Jug. c. 14. § 2. 'Homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus:' et Justin. XLII. 4. § 16. 'Ut sceleratissimus omnium, et ipse Phrahates nomine rex statueretur.' Sed *Cinna* omitti non debet, cum soleat Noster nomina integra exprimere in initio capitum, quare posses supplere *Cornelius Cinna omnium flagitiosissimus.* At recepta lectio satis amplum per se huic homini exhibet testimonium. *Arntz.*

Rempublicam] Mss. *rem publicam* duabus dictionibus, et mox pro *ferens, dedit* legunt. Collega autem Cinnæ Cn. Octavius. *Schott.*

Vastavit] Cum novis civibus consentiens, veteribus conspirantibus cum Octavio. *Mach.*

§ 2 *Ad pileum*] Libertatis signum. Martialis: 'Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.' Flamen Dialis institutus Lucius Merula. *Machan.* Id est, 'ad libertatem.' Erat enim libertatis insigne pileus; quem manumissi capitibus rasis induebant, teste Nonio Marcello. Plautus Amphitruone extrema scena I. 'Quod ille faciat Juppiter Ut ego hic hodie raso capite calvus capiam pileum!' Utitur Suetonius in Tiberio c. 4. in Nerone c. 57. et Sex. Aur. Victor similiter in vita Neronis. Val. Max. v. 21. de Q. Terentio Culeone. et VIII. 6. de C. Mario. Livius lib. XXXIV. Annalium: 'Præbuerunt speciem triumphi capitibus rasis qui servitute exempti fuerant.' Videndus Plutarchus in Tito Flaminino, et Appianus in Mithridatico de Prusia loquens, et Jacobus Rævardus libro de auctoritate prudentum. Est apud me nummus æreus, in quo pilei forma apparet, cum hac inscriptione, LIBERTAS AVREA. Quin et Castorem et Pollucem Helenæ fratres pileatos olim fingebant, quasi Græciæ liberatores. Sextus tamen Pompeius iis tanquam Laconibus, quibus pileatis pugnare mos erat, attribui pileum putat. *Schott.*

Octavium interfecit] Veniens Romam victor cum Mario, Carbone, Sertorio, præmissis ejus equitibus maxime Censorino, jussit Octavium

interimi, qui caput abscissum detulit in forum et rostris affixit. *Mach.*

Janiculum] E septem collibus urbis, a Jano, de quo Varro. *Mach.*

§ 3 *Iterum et tertium consulem*] *Et tertium* Mss. elegantius. *Schott.* Not. Min.

§ 4 *Anconæ*] In ejus formam habet portum. Cubitum Græci ἀγκῶνα vocant. *Machan.* Quidam *Ancone* absque diphthongo scribunt: Mss. *Anchone.* Dicta autem a cubiti figura, qua jacet, auctor Mela lib. II. et Plinius III. 13. *Schott.* *Ancone* quatuor etiam scripti et ed. Agripp. Non minus enim *Ancona*, quam Græcos imitati *Ancon* dicunt Latini, verum hoc magis poëticum. Catull. Carm. XXXVII. Juvenalis Sat. IV. 40. Tamen ita Cicero ad Att. lib. VII. Ep. 11. et 18. Ἀγκὼν exprimunt Græci, sed Noster solet esse rarissimus Græcorum imitator. *Arntz.*

Lapidibus] Appianus: 'Intelligentes milites eum Liburniam transire velle, recusabant. Cinna id moleste ferens, in concione eos veluti reprehensurus, advocavit. Illi ira accensi, mutuo auxilio futuri ad eum pervenere: lictorem etiam, quum per iter quoddam graderetur, et obvium verberibus affici juberet, miles quispiam adempta virga graviter percussit. Cinna comprehendi illum imperante omnium clamor assequutus est: lapides enim in eum emissi: qui vero propiores aderant, exertis ensibus, Cinnam invasere; eoque modo, consulatum adhuc gerens, interfectus est.' *Mach.*

CAP. LXX. § 1 *C. Flavius*] 'Flavium Fimbriam' omneis pæne libri quos vidi, (vidi autem plurimos,) paullo antiquiores appellant: adscribere igitur placuit assentientibus tabulis Capitolinis. *Schott.*

Simultas] Odium latens dicitur. *Mach.*

Dimissus] Male in Parisino abest. Thermus enim illi suffectus a L. Valerio Flacco, qui, Cinna jubente, Syllæ ad bellum Mithradaticum successit. *Schott.* Nullo hic jure *demisit* voluit Leid. 2. cum 'dimittere' vox propria sit militiæ. Livius IV. 29. XXXIV. 43. XXXVI. 39. XXXVIII. 44. XL. 28. Sueton. Cæs. cap. 28. § 1. Donat. ad Terent. Eun. IV. 7. 44. et passim. Quare harum vocum usus non est confundendus, quem tamen sæpius neglexere properantes librarii, teste Pierio ad Virg. Æn. III. 535. Gronov. ad Liv. III. 35. Heins. ad Curt. V. 2. § 2. Cort. ad Sall. Catil. c. 55. § 5. Vir doct. ad Florum I. 13. § 16. Drakenb. ad Silium I. 439. Oudend. ad Lucan. I. 448. et III. 648. In edd. minus curatis Cornelii Nepotis Them. c. 7. *demitterent* legitur loco *dimitterent.* Abest tamen hic *dimissus* a cod. Gramm. *Arntz.*

Ducem interficiendum] Plutarchus in vita Sullæ: 'Fimbria potissimum in caussa erat, qui quum alterius facinoris principem Flaccum obtruncasset, Mithradatis duces superans adversus eum tendebat.' *Mach.*

§ 2 *Insignibus*] Lictoribus, et fascibus. *Idem.*

Mithridatem] *Mithradatem* scripserat Schottus, cujus rei caussam reddit inf. c. 76. quod ita in nummis hoc nomen exprimatur. Verum illud est. Vide Spanhem. de Usu Num. Diss. VIII. 483. et Harduin. Num. Urb. et Pop. p. 103. Sed hi omnes in Græcis urbibus sunt cusi, cum in omnibus scriptoribus Latinis aliam lectionem malunt codd. quam etiam Nostri confirmant. Confer Keuchen. ad Frontin. Strat. III. 1. ex. 7. Cort. ad Sall. Catil. cap. 39. § 1. Μιθρηδάτης editur apud Polyænum Strat. VIII. 9. ex. 2. *Arntz.*

§ 3 *Ilium*] Trojam ter captam historici scribunt: primo per Herculem, denegatis a Laomedonte equis, ob liberatam Hesionem: secundo per equum, machinam ab Epeo Græco fabricatam. Virgil. 'Ipse doli fabri-

cator Epeus.' Tertio per Fimbriam, ut Plutarchus scribit in Vita Sertorii: quia in tumultu cadentibus equis porta claudi non valuit. Instauratum autem esse Ilium post urbem a Græcis deletam Strabo ac nonnulli alii attestantur. *Mach.* Intra undecimum ab obsidio diem Ilium occupavit. Strabo lib. XIV. *Schottus.* *Patuerunt* dedimus, pro quo *paluerant* Schottus, quomodo frequenter peccatum in antiquis exemplaribus; sed hæc varietas in emendandis poëtis præsertim usu venit, quod serie exemplorum docuerat Heinsius ad Ovid. Epist. Her. VII. 166. Donatus ad Terent. Eun. Prol. vs. 20. Pier. et Emmen. ad Virg. Ecl. IV. 61. Faber ad Phædr. Fab. IV. 19. 16. Drakenb. ad Silium V. 264. *Arntz.*

§ 4 *Idem Fimbria militiæ principes*] *Ibidem Fimbria militum pr.* est in antiquis: et mox *Pergami obsessus*, non *oppressus*, quod probo ex Orosio VI. 2. *Schott.*

Semet occidit] Asseverante etiamnum Plutarcho, 'tum Fimbriæ milites e castris solis elapsi tunicis Syllanos amplexati sunt familiariter, et operum adjutores se fecerunt, potissimam impertientes operam: eam conspicatus Fimbria mutationem, cum Sylla in gratiam redire posse desperans, intra vallum sibi necem conscivit.' L. quoque Florus Epitome octogesima tertia, Fimbriam Ilium cepisse, parumque abfuisse, quin regem caperet, scribit, additque eum impetrasse a servo, cervice præbita, ut se interficeret: quæ curiosus lector animadvertere valebit. *Machan.* Et Appianus Bell. Mithr. pag. 355. Fimbriam Palladium ibi invenisse idem scribit pag. 346. et Servius ad Virg. Æn. II. 166. *Arntz.*

CAP. LXXI. § 1 *Viriatus*] Vulgati: ego vero aspirationem extremæ syllabæ addidi, sequutus libros nostros scriptos, et monumenta antiquitatis: sequutus et Græcam consuetudinem. Appianus enim in Bello Hispaniensi Οὐρίαθος scribit. Diodorus vero lib. III. fragmentorum Οὐρίατθος, ubi justitia ejus in prædæ partitione commemoratur: ut et a Cicerone in Officiis. *Schott.* *Viriachus, Viriatus, Viriacus* Mss. *Viriatus* etiam editi: sed alterum probant viri docti. Drakenb. ad Sil. X. 220. Duker. ad Flor. II. 17. § 15. Oudend. ad Obseq. de Prod. c. 81. Fabric. ad Oros. V. 4. et Keuchen. ad Frontin. Strat. II. 5. ex. 7. *Viriathini* est in Ms. apud Sueton. Galb. cap. 3. § 4. licet adspirationem non agnoscant editi. *Arntz.*

Lusitanus] Lusitania autem a 'lusibus' Bacchi dicta, ut Plinius ait. *Mach.*

Mercenarius] Libri melioris notæ *mercennarius* duplici *nn.* Schott.

Victor] Coëgit me librorum Mss. consensus, ut *venator* reponerem: sic enim ad unum omneis legebant: typis vero scripti constanter *vector*. 'Venatorem' Florus disertim et in Historiæ Romanæ compendio, et in Livii Epitoma lib. LII. vocat. Verum, ut quod sentio dicam, vulgata lectio ferri potest, ut sit quasi gradatio. Primo miles mercennarius et gregarius: mox 'victor' ab hoste sæpe rediit alacritate pugnandi: deinde latrociniis se exercuit, opesque comparavit: tandem et justum duxit exercitum. Vulgatam etiam lectionem tuetur Oros. V. 4. 'Postremo,' inquit, 'exercitus prætorum et consulum Romanorum vincendo, fugando, subigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit.' Multos ex latronibus duces et imperatores belli factos meminimus. Talis et climax apud Epitom. scriptores: 'Ex pastore venatore latro, ex latrone dux exercitus.' *Schott.* Evolve Salmas. ad Treb. Pollion. Gallien. cap. 12. cujus sententiam confirmant priscæ edd. et codd. tantum non omnes, cum unus et alter *victor* legat, de quali mutatione vide Bersman. ad Lucan. V.

581. Ceterum Keuchen. ad Frontin. Strat. II. 5. ex. 7. per 'latronem' intelligit militem mercede conductum. Verum est, olim milites mercede conductos 'latrones' fuisse dictos, ut post Scaliger. docuit Abram. ad Cicer. pro Mil. cap. 4. Sed non ideo hæc vox ubique eo sensu est exponenda. Mercenarius miles non fuit, cum ipse ex Lusitania ortum duceret, et numquam mercede conductus, sed semper 'latro,' id est, prædator, insidiator appellatur. Livii Epit. lib. LII. Florus II. 17. § 15. Vell. II. 1. § 3. Oros. V. 4. et clarius id constat ex Cicer. de Off. II. 11. *Arntz.*

C. Nigidium] *C. Vitidium* reponit Lycosthenes ex Livio, Orosio, et Eutropio. *C. Vetilius* (ut vocat Appianus in Ibericis, vel *M.* ut Liviana Epitoma) ante Cl. Unimanum a Viriatho captus et interfectus est. Livius, Diodorus, Appianus, Orosius fuga evasisse ait. *Schott.* *Nigidium* absque ulla varietate in omnibus script. et editis. Nec *Vetidium* recipio, cum ille præcesserit, et ante Unimanum fuerit victus. Fortasse clades hæc minoris fuit momenti, ut eam cum nomine ducis simul silentio involverit antiquitas. *Arntz.*

Oppressit] De prætoribus IV. cæsis vide Appianum, et Florum II. 17. et Epitomæ lib. LII. *Schott.* Not. Min.

§ 2 *A Popilio*] Locus haud dubie mendosus, quales in hoc auctore animadverti plurimos; scripserat ille *a pop. Rom.* factum est a corruptoribus *a Popilio.* O facinus indignum! ergone quod libet, licet? Appianus nostram sententiam confirmat. Sic enim Latine loquitur: 'Viriathus eruptione facta exercitum Q. Fabii Serviliani proconsule fratris Cn. Servilii Cæpionis consulis ann. DCXII. fugavit: nec secunda fortuna elatus, cum honestam finiendi belli occasionem oblatam intelligeret, pacem his conditionibus petiit, ut ipse socius populi Romani esset, quique sectam suam sequuti essent; quæ quisque haberet, teneret: quæ a populo Romano pax confirmata est.' Amicus quidam meus mendum odoratus, pro *Popilio,* libris Mss. destitutus emendabat *Quincto Fabio Serviliano.* 'M.' enim 'Popilium' Lænatem tertio post anno DCXIV. consulem fuisse meminerat. Verum non longius a vera scriptura abeamus. Idem error in Flori Historiarum Mss. lib. II. fuit, in quibus est *Pompilio* vel *Popilio* pro *Servilio Cæpione,* qui Viriathum proditione interficiendum curavit: legendum enim ibi *sed a Servilio violata victoria est.* Schott. Palatinus noster unus etiam *a populo,* nisi quod non habeat *Romano.* In altero erat *a Popilio.* Grut. Schotti emendatio placuit etiam Grævio ad Flor. II. 17. fin. *a Popilio* tamen Boend. Leid. 1. edd. Mach. Ald. &c. *A populo* quatuor reliqui, cum Agripp. et Veneta. Potuit Noster 'populum' simpliciter accipere pro populo Romano, uti sæpe Romani scriptores, si de rebus urbanis loquantur. *Arntz.*

Et cum alia dedisset, et arma retinerentur] In Mss. *Et cum Italia decessisset et aurum peteretur.* Quam lectionem probarem, sed in Italia Viriathum fuisse non puto. Fecit hanc pacem Q. Fabius Servilianus æquis conditionibus in Lusitania, cum Hispanias pro consule administraret A. U. C. DCXII. Nec Viriathus bellum renovavit, sed Cæpio frater, et successor Serviliani, DCXIII. Cicero Offic. lib. II. 'Multo majores opes Viriathus Lusitanus latro habuit, cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt: quem C. Lælius, is qui sapiens usurpatur, prætor fregit et comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet.' *Schott.* Mss. Schotti hic error est apertus, quare melius tuentur receptam omnes vel scripti vel editi. Nec debuerat in *dedidis-*

set [Vide Not. Delph.] veram lectionem mutare eruditissima femina, immo tantum abest, ut si *dedidissent* legeretur, majori cum verosimilitudine *dedissent* restitui posset ex illa distinctione quam inter voces 'dare' et 'dedere' observavimus sup. cap. 23. § 2. 'Dare' enim est, sua bona, obsides, arma, &c. offerre. Cæsar Bell. Gall. II. 35. § 1. 'Mitterentur legati ad Cæsarem, quæ se obsides daturas, inperata facturas, pollicerentur.' III. 1. § 4. 'Missis ad eum undique legatis obsidibusque datis:' et eod. lib. cap. 16. § 5. 'Amicitiam fecerant, obsides dederant:' et VI. 9. § 7. 'Si amplius obsidum velit, dare pollicentur.' Auctor de Bell. Gall. VIII. 3. § 5. 'Civitates sine ulla pœna dedisse obsides.' Eutropius III. 21. 'Quinquaginta millia pondo darent.' Justin. XXIV. 5. § 3. 'Nisi principes suos obsides dederint.' Alia ratione minus belle tentavit Valesius Ammianum Marcellinum XIV. 11. sub fin. 'Idem Mancinum post inperium dedit Numantinis:' reponens *dedidit*, quod in textum deinceps fuit admissum, sed *dare* de hominibus etiam dici pro *dedere* eleganter observat Davisius ad Cæsar. Bell. Gall. III. 11. § 4. et Cortius ad Sallust. Jug. cap. 75. § 5. Et sequentia verba *arma retinerentur*, veriora sunt, quam ut ea ullo modo in dubium vocare debuerat Schottus. Hoc enim addit, cum ceteroquin illi qui a Romanis pacem inpetrarent, debuerint arma tradere. Ex innumeris testimoniis, quibus hæc res firmari posset, vide Liv. XXV. 29. XXVIII. 24. XXIX. 3. XXXIX. 2. Cæsar. Bell. Gall. II. 13. § 1. c. 15. § 2. c. 31. § 3. c. 32. § 2. l. III. c. 21. § 3. l. VII. c. 11. § 3. Justin. I. 7. § 12. Florum IV. 12. § 11. Sic victis populis arma et ferrum ablatum fuisse ex sacris etiam litteris docuere alii. *Arntz.*

§ 3 *Cæpio*] Florus Epit. lib. LIV. 'Viriathus a proditoribus consilio Servilii Cæpionis interemtus est, et ab ejus exercitu multum comploratus, ac nobilissime tumulatus.' *Mach.* *Vincere eum* ediderat Schottus. Nostri omnes cum edd. aliter sentiunt, nec pronomen addere res exigit. *Arntzenius.*

Duos satellites] Appianus *tres satellites* fuisse scribit, non *duos*. Schott. Not. Min.

Humi] Ergone convenit, ut non nisi *humi* prostratus interficeretur? Apagesis cum illa lectione. Mediolanense exemplar *humo*, ubi quidam aspirationem forte adjecit, cum *vino* reperisset: in quibusdam vidi *rivo*. Præstare ausim *vino* germanam esse hujus loci scripturam, quod a libris antiquis sit, et rei, qua de agitur, propria. *Vino* enim depositi dicti, qui ita *vino* obruti, ut ratio ipsa sua sede deturbetur, neque pes, neque manus satis suum officium faciat. Euclio ille Plautinus in Aulularia: 'Ut me deponat vino, eam affectat viam:' id est: hoc agit, ut me somno sepeliat ebrium factum. Nonius pro 'alienare' exponit: forte, pro alienata et perturbata mente reddere. Adrian. Turnebus tralationem ob oneribus deductam putat Advers. XXIV. 23. Forte eodem pertinet illud Curculione: 'Propino magnum poculum, ille ebibit: Caput deponit, condormiscit.' Idem Mostellaria: 'Ecce autem hic deposivit caput et dormit: suscita.' Appianus obdormientem interfectum ait: quare si quis ita legit, *qui humi depositum peremerunt*, non *perimerent*, non peccabit: auctorem enim quo se tueatur, habet Appianum. *Schott.* *Vino* etiam Palatinus primus, non *humo*; adeo ut nihil veniat mutandum. *Grut.* Etiam *vino* præfert Leid. 2. Fran. Agripp. et Ven. Sed non crediderim auctorem nostrum imitari voluisse tales locutiones, quæ scenæ magis quam historiæ conveniant, quare etiam apud solum Plautum occurrit, ut aliæ multæ metaphoræ, in qui-

bus ille suam sibi quærebat elegantiam, quæque in comœdiis laudantur. Vide quæ collegit Taubm. ad Plaut. Aul. III. 6. 39. et Casin. III. 5. 15. Nec emendatio hæc satis convenit narrationi Appiani de Bell. Hisp. p. 502. referentis, eum in armis quievisse, quo ad obeunda negotia promtior esset. Quare tueor quod optimi codd. et edd. malunt, *humo depositum*. De dormientibus quoque hoc verbum adhibet Ovidius Am. El. III. 5. 20. 'Corniger um terræ deposuisse caput.' Met. XI. 648. 'Rursus molli languore solutum Deposuitque caput.' Hoc Virgil. Ecl. VI. 14. 'Silenum pueri somno videre jacentem.' Nec offendat *humo*, cum alii mallent in genitivo ponere, quod etiam velle videtur Schottus. Sed defendit idem Ovid. Am. El. III. 11. 10. 'Ingenuum dura ponere corpus humo.' Art. II. 524. 'Perfer, et inmunda ponere corpus humo:' et Met. X. 556. 'Libet hoc requiescere tecum Et requievit humo.' Adde Art. II. 238. et alibi. *Arntz.*

§ 4 *A senatu*] Antiquo more omissa præpositione Leid. 2. scribit *senatu non probata*, pro *senatui*, quomodo tertium casum terminarunt etiam antiqui. Cæsar Bell. Civ. I. 1. § 2. 'Senatu reipublicæque se non defuturum pollicetur.' Gellius Noct. Att. IV. 16. 'Sed non omnes concedunt in casu dativo *senatui* magis dicendum, quam *senatu*.' Inf. Epit. cap. 12. § 3. 'Gratulari se ait senatu et populo:' est in Leid. cod. pro quo etiam edd. *senatui*. Frontinus Strat. III. 5. ex. 1. 'Omnia victu necessaria in montes comportasse:' sic habent Mss. Scriverii pro vulgato *victui*. Adde Passer. ad Tibull. El. I. 8. Munck. ad Hyginum Poët. Astron. III. 27. Vossium lib. IV. cap. 18. Ryckium ad Tacitum, Ann. III. 30. Rivium et Cortium ad Sall. Jug. cap. 6. § 1. Elegans autem est constructio 'probare alicui.' Cicer. ad Fam. Epist. I. 7. 'Hæc sententia sic et illi et nobis probabatur.' Epist. VI. 12. 'Quæ facimus, ea optimo cuique probata esse cupimus.' Ovidius Epist. Her. XVII. 125. 'Contenta est oculis hominum mea forma probari.' Sueton. Tiber. cap. 47. 'Nisi senatui justas necessitatum caussas probassent:' et Tacit. Ann. I. 75. 'Probare caussam senatui jussit.' Curtius VIII. 8. § 5. 'Hermolao parricidarum supplicia non probari.' Et quæ notarunt Burmann. ad Ovid. Am. El. II. 2. 33. et Duker. ad Flor. I. 18. § 16. Porro de emta victoria vide Grotium in not. ad Jus Bell. et Pac. III. 4. § 18. num. 4. *Arntz.*

CAP. LXXII. § 1 *Scaurus*] Scauri dicuntur, qui talos pedum tumentes, et exporrectos habent, in qua familia fuit Syllæ privignus, qui theatrum temporarium fecit, in quo fuit scena miranda, de qua Plinius plura libro trigesimo sexto ait. Idem Scaurus in ædilitate trecentum sexaginta columnas marmoreas in Urbem invexit ad scenam erigendam. *Mach.*

Carbonarium] Quale solent ii qui bracteas attenuant. *Mach.* *Officium* libri vett. et *carbonum* quidam. Audio et Petrum Ramum, Lutetiæ oratorem doctissimum et eloquentissimum, carbonario patre natum. Quod ideo retuli, ne studiosus se ex infimis emergere posse diffidat; tametsi vilibus natus majoribus. Vide exempla similia apud Val. Max. III. 4. *Schott.*

§ 2 *Peteret*] Infinite Mss. *petere, facere*. Schottus. Infinitivum quoque exhibent uterque Leid. Boend. Fran. edd. Agripp. et Ven. reliqui omnes receptam melius tuentur. Nam 'dubitare,' si sensu deliberandi occurrat, secum habet verbum modi subjunctivi. Nepos Thras. cap. 1. § 1. 'Dubito, an hunc primum omnium ponam.' Tacitus Ann. XIII. 50. 'Dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet:' et Hist. IV. 62. 'An

coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitavere.' Et eodem modo ac Noster, omissa priori dubitandi particula Justinus XXI. 11. § 4. 'Diu dubitavit, imperium deponeret, an bello resisteret.' Vide Gron. elegantiarum patrem ad Senecam Suas. lib. VI. De negligenda dubitatione in priori orationis parte, confer Ovidii sospitatores Heinsium et Burmann. ad Epist. Her. XII. 149. Drak. ad Sil. IV. 78. Comm. ad Val. Maximum V. 4. ex. 6. et quæ nos infra cap. 78. § 5. *Arntzenius.*

Argentariam] Ac omnium metallorum candentes laminas: facta enim ligna in carbones redigunt ad fornaces. 'Argentaria' est locus ubi foditur argentum; auraria ubi aurum. *Mach.*

Consultus] Mss. *Consultans.* Malo *consultus.* Horat. Od. I. 34. 'Parcus Deorum cultor et infrequens Insanientis dum sapientiæ Consultus erro.' *Schott.*

Gloriam] Tentaveram olim *gratiam*, quia in republica Rom. defendendis in judicio reis et infelicium miseriis sublevandis plebis favorem captabant, qua de re Livius XXII. 26. 'Toga et forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus, caussisque adversus rem et famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honores pervenit.' Cicer. de Off. II. 19. 'Quid enim eloquentia præstabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia?' et Orat. pro Lege Manil. cap. 1. 'Gratia' autem proprie est aura illa popularis. Cæsar Bell. Gall. I. 18. § 3. 'Magna apud plebem propter liberalitatem gratia.' Liv. VI. 34. 'Affinitas haud spreta gratiam Fabio ad vulgum quæsierat.' Sall. Jug. cap. 4. § 3. 'Conviviis gratiam quærere.' Liv. XXXIII. 22. Cic. pro Mur. capp. 8. et 18. Nepos Att. cap. 6. § 2. Sueton. Cæs. cap. 19. § 1. Pacati Paneg. c. 7. § 2. Quare recte gloriam et gratiam distinguit alibi Livius IV. 12. 'Postremo annonæ quoque levatæ haud immeritam et gratiam et gloriam tulit.' Confunduntur hæc duo sæpissime a librariis, qualia exempla invenies apud Heins. ad Ovid. Epist. Her. XXI. 62. Burm. ad Ep. ex Pont. III. 2. 27. et Drakenb. ad Sil. XIII. 664. *Arntz.*

Corniculum] Sic vulgati: *Corniculo*, auferendi casu legit Sigonius de Antiquo Jure Provinciarum. l. II. Suetonius in libro de Illustribus Grammaticis: 'Orbilius,' inquit, 'primo apparituram fecit magistratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.' Et cornicularium tribuni militaris ministrum fuisse idem acute conjectat ex Valerii Max. VI. 1. de pudicitia, et Frontini Strategem. III. c. 14. Apud Sueton. quoque in Domitiano c. 17. 'Clodianus cornicularius' quidam est; vide ibi Torrent. et Turneb. V. 10. Bapt. Pium Annotat. Poster. c. 77. Vide Ascon. Pedian. Verrina III. Apud Liv. vero extr. libro X. L. Papirius Cursor suos, ob rem fortiter gestam, captamque Aquiloniam et Cominium coronis aureis, torquibus, armillis, et corniculis donat. Unde aliud quid esse colligere liceret, vulgatamque lectionem defendere, *corniculum meruit.* Schott. *Corniculum* constanter omnes edd. et scripti, nisi quod ab alia manu *curriculum* adponat Gramm. Ego antiquam scripturam non ausus sum deserere. Confer Stewech. ad Veget. II. 7. Corniculum videtur fuisse ornamentum galeæ, non omnibus militibus commune, sed quo ornabantur illi, qui res bene gesserant. Hinc cornicularius honoratior miles, qui tale corniculum meruerat. Nota elegantissimæ Annæ [Vide Not. Delph.] petita est a Turnebo Adv. V. c. 10. *Arntz.*

Oreste] Sic Fasti scribunt *L. Au-*

relius Orestes, qui cum M. Aimilio Lepido consul fuit, A. U. C. DCXXVII. Mss. nostri *Horneste*, alii *Horeste*. Et mox *Marsis* pro *Magis* vitiose profecto. *Schott.*

§ 4 *Ædilis*] Horum erant alii cereales, alii curam ludorum atque ædium habentes. In hoc magistratu sumptuosissimus fuit. *Mach.*

Juri reddendo] Vide l. I. D. de Ædilitio Edicto; et Institut. de Jure Naturali Gentium et Civili. *Schottus*, Not. Min.

§ 5 *Prætor adversus Jugurtham pugnavit, tamen*] Sic Colinæus: in reliquis vulgatis *pugnavit* recte abest. 'Jugurtha enim belli moram redimebat,' inquit Sallustius. Mss. omnes *Jugurthæ adversus tandem*, vere; nonnulli *aversus*. *Legatus Calpurnio* scribendum suadet Sallustius. Sic enim Jugurthino: 'Calpurnius parato exercitu, legat sibi homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate, quæ deliquisset, munita fore sperabat: in queis fuit Scaurus, &c.' Post paullo: 'Ubi Jugurtha pecunia per legatos tentare, bellique quod administrabat, asperitatem ostendere cœpit, animus æger avaritia facile conversus est. Cæterum socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus: qui tametsi a principio plerisque ex factione ejus corruptis, acerrime regem impugnaverat, tamen magnitudine pecuniæ a bono honestoque in pravum abstractus est:' quo loco *tamen* pro *tandem* posuit: quare nihil muto. Sic enim et Nonius Marcellus explicat ex III. Historiarum ejusdem Sallustii. Idem Sallustius diserte ait C. Memmium trib. plebis populum rogasse, uti L. Cassius, qui eo anno prætor erat, ad Jugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica, Romam deduceret: quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniæ captæ arcessebant, delicta patefierent. *Schott. Legatus Calpurnii Jugurthæ adversus: tandem ejus* ediderat ex historiæ veritate Schottus, quod malo exemplo secuti erant reliqui. Sallust. Jug. c. 28. Quid si auctor vocem *prætoris* minus proprie adhibuerit, pro eo qui legatus erat? Sed potius inter non infrequentes Aurelii errores posuerim. *Arntz.*

Sumptibus] Cupediis ganeæ ne urgerentur, suffragiisque ingentibus dividerentur. *Mach.*

§ 6 *Adsurgere*] Honoris gratia. *Mach.* Etiam 'equo descendere' a lictoribus jubebantur. Exemplum apud Valer. Max. VIII. 5. Plura de hoc ritu Justus Lipsius noster in Electis disseruit. *Schott.* Male *transeuntem ipso sedente* Leid. 1. *exsurgere* Hann. *Arntz.*

Sella] Per ἀντίστιχον, quasi 'sedam' dixere, inde 'subsellium.' *Machan.*

§ 7 *Ligures*] Reperi nuper apud Lucium Florum etiam trans Alpes incolere Ligures, quandoquidem inquit 'Transalpinos Ligures vicit.' *Machan.*

Gantiscos] Alii *Canriscos*; Mss. *Cauriscos*. In Volaterrano hi absunt, forte supra adscriptum glossema, quod finitimi sint Liguribus populi: post in textum per fas per nefas irrupit: Triumphi Capitolini de Liguribus tantum triumphasse Scaurum scribunt anno DCXXXVIII. post Romam conditam. *Schott. Gantiscos* legere Onuphrium monuit Ortelius in Thes. voce 'Gantisci,' hos eos esse, quos 'Genticos' appellat Avienus eodem loco existimat: de vitio suspectum habet locum Pighius Ann. tom. III. p. 103. Sed satis constat Victorem in Epitome sua eos sæpe secutos esse historicos, qui accuratissime et diligentissime minimas etiam res fuerunt prosecuti, qui cum ut reliqui hujus temporis scriptores hodie perierint, non statim omnia debemus rejicere, quæ unus tantum reliquerit, præsertim si aliorum narrationi non

adversetur, et si conspirent codd. cum edd. quod certe hic faciunt, excepto solo Leid. qui *santifices* scribit. *Arntz.*

§ 8 *Viam*] De ' viarum ' nobilitate lege Strabonem libro quinto, ubi de Appia, Valeria et Latina loquitur. *Mach.* A Mss. est, et lucem adfert. *Schott.*

Mulvium] Ab ipso post dictum Æmilium. Juvenalis: ' Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons.' In via Flaminia, qui Mulvius dicebatur, erat distans ultra lapidem unum, de quo Sallustius in Catilinario: ' ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprendunt.' *Machan.* *Mulvium* Mss. scribunt per quintam vocalem, ut et in Sallustii libris scriptis vidi, a *M. Mulvio*, cujus apud Ciceronem mentio ad Atticum l. XIII. et sic Valer. Max. VIII. 1. ex veteribus libris restituendus. Quidam pontem Æmilium vocat. *Schott.* *Molvius* antique pro *Mulvius* Scholiast. Juven. ad Sat. VIII. vs. 239. Confer eruditam dissertationem Nicolai de Nourry ad Lact. c. 11. artic. 3. *Mulvium* tamen hodie præferunt ex antiquis lapidibus et veteribus libris, Græcorum auctoritate suffulti, qui Μούλβιον dicunt. Vide Giphan. in Collect. Lucr. voce ' obsidere ' et Dausq. Orthogr. part. II. 203. quosque laudarunt multiplicis lectionis viri Dukerus ad Florum III. 23. § 6. et Cort. ad Sall. Catil. c. 45. § 1. *Mulvium* etiam inf. in Epit. c. 40. § 7. exhibet cod. Gudianus, cujus excerpta pro ingenuo, quo est in promovendis litteris studio, ad me transmisit Cortius. Ita est in optimis edd. Martialis Epigr. III. 14. et Epigr. IV. 64. et Livii XXXVII. 51. *Arntz.*

§ 9 *Opimium*] Vide superius c. 17. ubi de Graccho, et reliquis tribunis. *Mach.*

Privato consilio] Vide Cicer. Orat. in Catil. I. 2. et multos alios. Sed privato consilio hic erit, quia ille privatus senatui auctor fuerit, ut tale senatusconsultum fieret, quo tota resp. Coss. permitteretur. *Arntz.*

§ 10 *Præsidium*] Quia loco jusso hostis impetum non sustinuerat. *Machan.*

Vetuit] *Vetavit* libri antiqui. *Schott.*

§ 11 *Socios*] Confœderatos populo Romano. *Mach.* Valer. III. 7. aliam caussam affert accusati Scauri. *Schottus.*

Ad populum] Sic lego. Mss. omnes *apud populum.* Sic et Parisin. Colon. et Mediolan. *Schott.* *Ad* Boenderm. Agripp. et Ven. quomodo alibi mutari vidimus sup. c. 60. § 2. Infra de Cæsar. c. 3. § 8. ' Egregia ad populum inter partes (seu *patres*) cum militibus gessit.' Cicero pro Mil. c. 15. ' Privato Milone et reo ad populum, accusante P. Clodio.' et de Orat. II. 12. ' Mandata sint exponenda, aut in senatu ab inperatore, aut ad inperatorem aut ad regem, aut ad populum aliquem a senatu.' Livius XXVII. 10. ' Iisque gratiæ et in senatu et ad populum actæ.' Summus Gronovius Obs. IV. 6. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 310. et quis non? Nec offendat, quod proxime hæc particula præcedat; talia enim apud Nostrum obvia, qui ad hasce minutias parum adtendit. Porro ea omnia *ad populum* usque *coëgisse* non adparent in Leid. 2. *Arntz.*

Varius Sucronensis] Sic lego. Mediolan. *Varius Veronensis Æmilium Scaurum ait et socios arma coëgisse;* non placet. Aldinus cod. *Surius Sucronensis,* sed oblitus se paullo ante tribunum plebis Varium appellasse: sequitur tamen eam lectionem Lycosthenes; Asconium arbitrum constituo, sic enim ad illa Ciceronis pro M. Scauro: ' Ab eodem etiam lege Varia custos ille reipublicæ proditionis est in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario tribuno plebis non multo ante. Innixus (inquit Pedianus) anno LXXII. nobilissimis juvenibus pro-

cessit in forum: deinde accepto respondendi loco dixit, Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait concitasse: M. Scaurus princeps senatus negat: testis nemo est. Utri vos, Quirites, convenit credere? Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.' Legendum igitur perspicue *Varius Sucronensis:* Sucrone enim Hispaniæ opido oriundus, non Verona, quæ Italiæ est. Exstat in agro Valentino mentio Variorum familiæ hac inscriptione:

D. M.
L. VARIO. PROCLO. AN. XV.
VARIA. PROCLA. FILIO
PIENTISSIMO.

Abest autem hic lapis non longe a porta Sucronensi, quæ Valentia Sucronem ducebat, qua Sætabim ibatur, ut docet Strabo: sive sit Sucro opidum maritimum, quod nunc *Cullera*, cui proximum *Suéca:* in quo vestigium nominis corrupti apparet: sive sit, quæ nunc Alzira amphipolis Contestanorum: ambit enim illam fluvius Sucro. Est enim opidum hoc multis antiquitatis monumentis insigne, nec procul a mari remotum. De Scauri paupertate, industria, ceterisque ibidem Asconius, Cicero pro Murena, et Plutarch. de Fortuna Rom. Vide et Quinctil. Inst. v. 12. ubi et de Iphicratis simili dicto ex Aristotele lib. II. de Arte Dicendi non longe ab extremo. *Schott. Varius Veronensis* Agripp. Ven. Machan. omnesque scripti, excepto Grammiano cod. qui veram scripturam videtur recipere; nulla enim varietas ad Val. Maximum III. 7. ex. 8. et VIII. 6. § 4. *Arntz.*

CAP. LXXIII. § 1 *Centena*] Appianus lib. primo: 'Quippe Appuleius legem tulit, tellurem omnem, quæcunque Romanorum ditioni subdita esset, fore dividendam, ea in provincia, quæ Galatia appellabatur. Cimbri nempe Celtarum genus, eam occuparant, quam Marius recens illis ademtam, quasi non ulterius ad Galatas spectaret, Romani juris fecerat.' *Mach. Centena* abest in Parisino: lege videlicet juberi in singula capita incertum agrorum numerum attribui, sed ut quisque merebatur. *Schottus. Centena* abest et a Gramm. Fran. Agripp. et Ven. Sed durius quid sonat, si *agri jugera* simpliciter ita ponantur, ut non adderetur numerus. Facilis est error cum *centena* una littera *C* scribi soleat. *Arntz.*

Jugerum] Seu 'juger' spatium est centum et quadraginta pedum in longitudine, Plinio attestante. *Mach.*

In Africa] Nam Galatia contermina Bithyniæ in Asia existit, in qua divisione Appianus sentit. *Mach.*

Per populum] Quia instabat legis promulgatione populus. *Mach.*

§ 2 *Glauciæ*] Appianus: 'Non multo post Appuleius, ut Metelli ulcisceretur injuriam tribunatum petens Glauciam prætorem observare cœpit, tribunorum electione præsidentem.' *Mach.*

Concionem habebat] Orabat; de 'concione' alias dictum. *Mach.*

Jus dicendo] Mss. *jus dando*. Sylb. Et in margine editionis suæ Schottus. inf. c. 75. 'Prætor inter cives jus dixit.' Livius XXIII. 32. Cicero ad Famil. Epist. XIII. 14. 'A Volcatio, qui Romæ jus dicit.' Sueton. Cæs. c. 16. § 2. 'Permanere in magistratu et jus dicere ausus.' Et ita frequenter alii. *Arntz.*

Avocasset] 'Removisset.' *Machan.* Lege *avocasset* ex Mss. Vulgati *advocasset*, non probo. *Schott. Avocasset* jam olim edidit Mach. ceteræ editiones et sex Mss. *advocasset*. Prior tamen lectio se etiam adprobavit Pighio Ann. tom. III. p. 173. *Arntz.*

§ 4 *Adduci*] *Adici* est in Fran. forte pro *allici*, ut Dictys Cret. I. 18. 'Neque pretio neque gratia allici potuit.' Sed recepta lectio loco movenda non est. Cicero Part. Orat. cap. 14. 'Si

misericordia impulsi, si præmio, si gratia adducti.' Infra c. 80. 'Nec pretio nec minis potuit adduci a Q. Popedio:' ceteroquin eadem facilitate ex corrupta scriptura posset fieri *adigi*. Arntz.

§ 5 *Aulo Nonio*] *Aulo Mummio* legendum e Lucii Flori Epitome lib. LXIX. ubi ait, 'Saturninus, adjuvante Mario, et per milites occiso Aulo Mummio competitore, tribunus plebis per vim creatus.' *Mach.* *Aulo Nonio.* Sic emendo ex Appiani lib. I. qui Νόνιον vocat: quamquam in vulgatis Plutarchi libris corrupte ὁ Ὀνίου φόνος pro ὁ Νονίου legitur: et Plutarchi Mario, qui Αὖλον Νόνιον vocat: Epitoma Livii lib. LXIX. et Oros. v. 17. 'Aulum Numium:' 'Annium' vero L. Ann. Florus. Val. Maximus 'A. Mumium' vel 'Numium' IX. 7. et Colon. noster cod. *A. Mummium* Mediolan. exemplum vetus et unus Msc. *A. Nummium* reliqui, *A. Numium* Paris. alii *A. Mumium*. Nam vulgata lectio *Aulo Memmio* ferri non potest, qui mox erat nominandus in tertio tribunatu plebis Appuleii. *Schottus.* Palatinus primus *Numio*, secundus *Mumio*. Nihil incertius istius hominis nomine. Quibusdam enim etiam aliorum libris est *Munius*, aliis *Mummius*, nonnullis *Nonius*, denique quibusdam *Numius*: sed nec desunt qui 'Memmium' vocant. *Grut.* Eadem perturbatio est apud Val. Max. IX. 7. ex. 3. ubi confer commentatores. *Arntz.*

Interfecto] Appianus fugientem in diversorium interfectum esse ait. *Mach.* Mox *rescitus* pro *refectus* quod fortasse non statim rejiciendum, pro 'iterum creatus.' 'Sciscere' enim proprium verbum de plebe Romana. *Arntz.*

Colonis] 'Habitatoribus:' inde coloniæ dictæ. *Mach.*

Dolo, an scelere] Vindicavimus jam hujus lectionis veritatem sup. c. 72. § 2. cum prima dubitandi particula omitti soleat. Justinus XVI. 4. § 15. 'Consulant sibi ipsi, jubeant abire se, an malint caussæ popularis socium remanere.' Petronius Satyr. c. 91. 'Ego te reliqui, an tu prodidisti.' Florus I. 1. § 12. 'Dubium clypeos an armillas.' Sulp. Severus Hist. Sacr. I. 29. § 3. 'Stupri injuria, an verecundia, parum definio.' Adde Heius. ad Ovid. Met. IV. 436. et Fast. II. 394. Drakenb. ad Silium IV. 78. Cort. ad Sall. Catil. cap. 52. § 10. et Oudend. ad Lucan. V. 569. *Arntz.*

Cæpionis] De quo in superiore capite vide. *Mach.* In excusis antiquis *Scipionis*; non recte. Vide Cornificium lib. I. Rhetoricorum ad Herennium, qui aliter hæc narrat. Deinde *aquam et ignem interdixit ei* libri quidam scripti. *Schott.*

§ 6 *Aqua et igni interdixit*] In exsilium misit. *Mach.* Voluit dicere, 'in exsilium abire.' *Arntz.*

§ 7 *Cum tonuisset*] Tonare die sereno prodigii loco habitum. Homerus Od. I. Virg. Æn. IX. 'Audiit,' &c. Seneca in Thyest. 248. *Schott.* [Vide Lectt. Var.] Non video caussam, cur quidquam mutarem: 'abrogare' enim casui tertio recte jungi vidimus ad c. 65. § 5. Mox in Boend. *Jam nisi, inquit.* Non raro *inquit* post secundam vocem ponitur, ut apud Hirtium Bell. Alex. c. 15. 'Videris mihi, inquit, Cæsar, vereri.' Livium XXVI. 31. 'Non adeo majestatis, inquit, populi Romani imperiique hujus oblitus sum.' Senec. de Benef. IV. 33. 'Quid si, inquit, nescia.' V. 25. 'Diis quoque, inquam, Homericus ille sacerdos allegat officia.' Sed hæc varietas suspicionem injicit *inquit* a sciolo esse intrusam cum recte abesse possit, et ab aliis scriptoribus centies omittatur. Sall. Jug. c. 64. § 2. Livius XXVI. 27. Virg. Æn. III. 539. Apul. Met. IV. 145. Plinius Epist. I. 5. 'Huic suppliciter (ut est cum timet abjectissimus) rogo mane videas Plinium domi:' ubi male duo

Bodlei. et unus, quem olim contuli, cod. interserunt *rogo, inquit, mane* contra morem Plinii. Sic enim paullo post 'Evigilaram, nuncius a Spurinna,' ubi iterum *ait* intrudit iniqua Plinio manus et aliis locis. Confer Pricæum ad Act. Apost. c. v. vs. 9. Et Epist. Crit. contra Notas Bentl. in Phædr. p. 28. fin. Justin. xxxiv. 3. § 6. 'Senatum adiit, obsidemque se vivo fratre venisse,' quod suppleri debet, senatum adiit, et inquit, obsidem se venisse; adeo ut amplectenda non sit Grotii emendatio de Jur. Bell. et Pac. iii. 3. § 56. legentis *obsidem inquiens se;* quare talem constructionem felicius defendit Cortius ad Sallust. Jug. c. 81. § 1. Offendunt autem in compendio conjunctæ hæ voces, *clamavit, inquit,* cum alterutrum tantum necessarium esset, quare priscæ edd. vocem *clamavit* non admisere, quæ tamen in Schotti fuit codd. et a nostris confirmatur, nisi quod de Haun. et Gramm. illud pro certo dicere non audeam, cum nulla illic varietas annotetur. Quare hic consensus Mss. me coëgit, ut nunc alia sentiam et utramque vocem audeam defendere. Justinus i. 8. § 13. 'Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum conjici regina jubet, cum hac exprobratione, Satia te, inquit, sanguine:' ubi illud *inquit* etiam suspectum habet Schefferus. Virgil. Æn. ii. 76. 'Ille hæc deposita tandem formidine fatur: Cuncta equidem tibi, rex, (fuerit quodcunque) fatebor Vera, inquit.' Et v. 547. 'Epytidem vocat, et fidam sic fatur ad aurem: Vade age, et Ascanio, si jam puerile paratum Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum, Ducat avo turmas et sese ostendat in armis Dic, ait:' ubi confer Servium. *Arntz.*

§ 8 *Metellus Numidicus exsulare quam jurare maluit*] Appianus: 'Metellus autem non solum jusjurandum renuit, sed, ut prius instituerat, constante animo, et intrepido adstitit.' Ac paullo inferius: 'Metellus his de causis urbe ejectus.' Profectus est autem teste Lucio Floro Rhodum in spontaneum exsilium, ut alibi diximus. *Mach.*

§ 9 *Prætorem*] Adjeci *consulem* ex Ann. Floro, Appiano lib. i. et Orosio v. 17. quem non recte Lycosthenes intellexit: quæ vox a sciolis sublata locum corrupit, et licet prætor, non tamen consul factus est. Cicero de Claris Oratoribus. *Schott. Consulem* non habent Mss. neque ulla ed. ante Schottum, quare cum ipsius Victoris possit esse error, qui sæpe in nominibus 'prætorum' et 'consulum' non est accuratissimus, sequor codd. scriptos, et consensum editorum. *Arntzen.*

Mummium] Appianus: 'Sed, cum Mumius dignior existeret, veriti illum Glaucia et Appuleius, nonnullos ad eum cum lignis in ipsa electione præmittunt, qui Mumium spectantibus cunctis interfecere.' Flor. 'Caium Mumium candidatum consulatus, quem maxime actionibus suis adversarium timebat, interemit.' *Mach. Memmium* competitorem ejus appello, non *Mummium*, ut vulgo scriptum vidi; defectus alioqui a libris Mss. qui legunt *Numium competitorem suum.* Schott. *Mumium* et *Mummium* omnes edd. et Mss. *Arntz.*

Campo Martio] Ager Tarquiniorum ejectorum confiscatus Livio scribente Marti dicatus exstitit. *Mach.*

§ 10 *Senatusconsulto*] Appianus: 'Senatu eos iterum occidi mandante, turbatus Marius nonnullos armis instruxit, et tardante eo, alii aquarum fistulas, quæ ad templum confluebant, incidunt.' *Mach.* Coss. erant C. Marius vi. et L. Valerius Flaccus, quibus senatus remp. dederat. Cicero Catil. i. et Philipp. viii. Sed historiam pleniorem lege pro Rabirio Perduell. Reo, Orosio v. 17. Fabric. locus antea perturbato ordine scriptus.

Mss. *quo censetur, dent operam.* Alii *quo censeretur darent op. Coss.* Porro hoc *senatusconsulto* difficillimo reipublicæ tempore, consulibus plena imperii potestas tradebatur. Cicero Philipp. I. v. in Miloniana et alibi sæpe. Sallustius in Catilinaria, et in fine orationis Philippi adversus Lepidum Histor. l. I. Cæsar Belli Civilis l. 1. initio, et Belli Gallici. lib. VII. Asconius in argumento Milonianæ. Epitoma Livii lib. CIX. et Vegetius Rei Militaris III. 1. ubi legendum *consules alter ambove* ex Mss. quæ antiquitus his litteris notabantur, A. A. V. ut nuper Ludovicus Carrio in Antiquis Lectionibus docuit. [' Salus populi suprema lex esto,' Cic. de Legibus lib. III.] *Schott.* Mox *detrimentum* male Fran. Livius VI. 19. ' Ne quid ex pernitiosis consiliis M. Manlii respublica detrimenti capiat.' Adde de ipso S. C. Wasse ad Sallust. Catil. c. 30. et Brisson. Form. II. p. 211. Eleganter igitur dicit tali senatusconsulto armatum fuisse Marium, quomodo Livius IV. 53. ' Hoc decreto consul armatus.' Cicero Orat. pro Milone c. 1. ' Temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare:' propius ad rem eadem oratione c. 26. ' Ut videret, ne quid resp. detrimenti caperet; quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt.' et imperator noster in Prooem. Inst. princ. ' Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam:' quæ locutio neminem debuerat offendere. *Arntz.*

In Capitolium persecutus] ' Questu,' id est, lamentatione. Unde subdit Appianus: ' Saufeius templo ignem immisit, siti se moriturum autumans. Glaucia et Saturninus, Marium sibi auxilio adesse rati, se tradidere.' Non enim placet ut exponatur *quæstu* pro ' lucro,' quia huic non convenit sententiæ. *Machan. Quæstu* cuncta Mss. ed. Agripp. et Ven. Sed Aldus, Gryphius et sequentes nobis dederunt *astu*, quod laudo, si e codd. veteribus sit depromtum; ceteroquin *quæstu* pro ' utilitate' exponi posset. Sed illud malo. Istud *æstu* nimis est argutum. Ratio erroris apparet, quæ in præcedenti syllaba quærenda est. Ceterum in reliquis verbis nulla est apud nos varietas, nisi quod pro *deditis* Leid. 1. præferat *debita:* non placet. *Arntz.*

§ 12 *Rabirius*] *Ravirius* in Mss. *u* pro *b* positum, ut sæpe in antiquis libris et monumentis, ut *avitus* pro *habitus, aveo* pro *habeo, Favio* pro *Fabio*, et contra. Post Cicerone consule anno DCXC. Urbis conditæ C. Rabirius accusatus fuit perduellionis a T. Labieno, cujus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Cicero eum defendit: oratio in manibus est, sed imperfecta. Dio lib. XXXVII. Suetonius, Cicero in Pisonem et in Oratore. Paulus Orosius v. 17. *Schott. Ravirius* Leid. 2. Boend. Agripp. et Ven. quæ litterarum confusio maxime est pervulgata. Et si quis auctoritates desideret, juvat adscribere Lipsium Var. Lect. II. 28. Victor. ad Cicer. ad Famil. Epist. lib. III. cap. 8. p. 151. Grang. ad Juven. Sat. III. 168. Bongars. ad Justin. I. 1. § 4. Rutgers. Venus. Lect. c. 6. p. 264. et c. 8. Ciofan. ad Nason. Met. x. 114. Freinsh. ad Curt. VII. 6. § 11. Gudium ad Phædrum Fab. III. 13. 10. Munck. ad Albric. de Deor. Imag. c. 6. atque eundem epistola ad Heinsium in Syll. Epist. Burman. tom. v. p. 366. Schulting. ad ff. de Edendo tit. XVIII. Græv. ad Florum II. 12. § 5. et IV. 12. § 49. Drakenb. ad Silium I. 621. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 35. § 6. Pejus *Tabirius* edit. Mach. *Rarius* Leid. 1. *Ranirius* Fran. sed hoc sine dubio erit pro *Ravirius.* Arntzenius.

Senator] Cicero pro Rabirio, equitem tantum dicit fuisse, non senatorem. *Schott.* Not. Min.

Cap. lxxiv. § 1 *Lucius Lucullus*] In scriptis libris *L. Licinius Lucullus* est, ut et in Tabulis Capitolinis. *Schott.* Atque eodem modo in nostris Mss. et edd. ante Ald. quare debuimus fugientem vocem revocare. *Arntz.*

Disertus] Quanta vero fuerit eloquentia, hinc arbitror posse perfacile judicari: 'Ferunt enim Hortensium causidicum, et Sisenam historicum ex joco in rem seriam, ut fit plerumque, conversos composuisse poëmata oratione Græca pariterque Latina lingua proposita eo, quem dedisset sors, stylo, eaque lingua uterentur. Lucullus Marsicum cum scriberet bellum, obtigit ei sorte Græca oratio, defluxit enim ad nos usque Marsici belli historia Græco sermone scripta.' *Mach.* Quare Sulla libros Commentariorum suorum xxii. illi dedicavit, emendandosque tradidit. Plutarchus prorsa Græce bellum scripsisse conjectat; quem vide. *Schott.*

Dives] Horatius libro primo epistolarum ad Numicium id ostendit: 'Chlamydes Lucullus, ut aiunt, Si posset centum scenæ præbere rogatus, Qui possum tot? ait, tamen et quæram, et quot habebo, Mittam: post paullo scribit, sibi millia quinque Esse domi chlamydum.' *Mach.*

Munus] Ludum. *Mach.*

Quæstorium] Quale quæstores existentes agere solebant. *Mach.*

§ 2 *Mox per Murenam*] Volve, solers lector, de his Plutarchum in Luculli vita, ne plura transcribere cogar. Quod enim Aurelius summatim, historicus Plutarchus prolixius asserit, quendam adolescentulum collegam in consulatu, qui legatus a Mithradate 60. naves cum omnibus militibus et quatuor militum, millia miserat. *Mach.* [Vide Lectt. Var.] *Mox* hic idem erit quod *deinde*, adeo ut non necesse sit hoc referre ad continuam temporis successionem. l. 22. § 4. ff. ad S. C. Trebell. l. 24. Quæ in fraud. Cred. Servius ad Virgil. Georg. i. 24. et Duker. ad Flor. iii. 10. § 3. et c. 19. § 2. *Arntz.*

Sullæ] Sub quo primo meruit. *Machan.*

Conciliavit] Plutarchus initio Luculli non conciliasse, sed conciliare conatum non potuisse scribit. *Schott.* Not. Min.

§ 4 *Adversus*] *Adversus Mithridatem consul missus* amplius est in Mss. *Schott.* Not. Min. *Consul* abest ab editis ante Schottum et omnibus manu exaratis. *Arntz.*

Cottam Chalcedoniæ] *Chalcedone* legendum, et ita Mss. recte; sed *Cottiam* scribunt, non recte. Est enim M. Aurelius Cotta collega L. Licinii Luculli anno dclxxix. Sic enim Eutropius, Appianus in Mithradaticis, et Plutarchus in Lucullo nominant. *Schott.*

§ 5 *Cyzicum*] Ponti urbem, quam Mithradates iratus rex infestabat, quia x. naves contra se et tria hominum millia in Chalcedonicam pugnam miserant. *Mach.* *Cyzicum obsidio solvit* ita b. f. scriptum reperi, quam lectionem utpote venustam immutare religio sit. Vide quæ in Tarquinium Superbum, et Quinctium Cincinnatum annotavimus. Quidam tamen codd. *Cyzicon* Græca desinentia femin. gen. scribunt. *Schott.* *Cyzicon* uterque Leid. et Gramm. cum quondam editis: *Cicicon* Fran. *Cicion* Boend. Qualiter Ovid. Trist. El. i. 10. 29. 'Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris, Cyzicon, Hæmoniæ nobile gentis opus.' Melius tamen *Cyzicum* in prosæ scriptoribus præferrem. Cicero in Verr. v. 48. et ad Fam. Epist. xiv. 4. Epit. Livii lib. xcv. Florus iii. 5. § 15. &c. Confer supra cap. 69. § 4. *Obsidione* hic cum nostris codd. retinuimus, uti superius quoque locis a Schotto prolatis, ubi videri potest. *Arntz.*

Mithridatis copias] Dicam profecto quod Plutarchus in comparatione Cimonis et Luculli recenset: 'Ceterum

post Lucullum quid egit Tigranes dignum memoria? quid Mithradates? quum is superioribus cladibus obrutus atque confractus, nec modo suas adversus Pompeium copias extra vallum educere ausus fuerit, sed sola fuga saluti consulens in Bosphorum se recepit: Tigranes vero nudus atque inermis coram Pompeio supplex humi quum procubuisset; sublatum propriis manibus e capite diadema ad illius pedes deposuit.' *Mach.*

Afflixit] *Subegit* libri scripti, et fortasse rectius. *Schott.*

Eumque regno suo Ponto] Mss. brevius: *eumque rursum cum Tigrane rege Armeniæ venientem magna facilitate superavit. Nimius in ambitu signorum et tabularum amore flagravit.* Retineo tamen *habitu*, quod Horatius Flaccus Epist. ad Numicium lib. I. profusum et nimium Luculli habitum notet: 'Nec fueris hic tu: Chlamydes Lucullus (ut aiunt) Si posset centum scenæ præbere, rogatus,' &c. Vide Plutarchum extremo Lucullo, ubi et Horatii Flacci meminit: sed ducentas se habere chlamydes, inquit Plutarchus. Horatius quinque millia, poëticôs. *Schott. Habitu* Pall. Mss. non *ambitu*, quod in aliorum scriptis; destruiturque a Plutarchi Lucullo in fine, ut et Horatii Epist. I. 6. 40. quemadmodum annotatum quoque aliis. *Grut.* Placet quod in omnibus est exemplaribus, excepto solo Leid. 1. ubi nihil de varietate in excerptis monetur, *suo regno, id est, Ponto.* Quomodo jam ediderat Agripp. et Veneta; locutio usitatissima veteribus, si rem clarius velint proponere. Florus III. 3. § 6. et Duker. ad eundem IV. 2. § 15. Passim Cortius ad epistolas Cicer. l. 24. ff. de Ann. Leg. l. 7. § 8. de Pactis: sup. de Orig. Gent. cap. 6. § 6. Inf. in Epit. et alibi. *Arntz.*

§ 7 *Signorum et tabularum*] 'Adeo, ut Xerxes Togatus a Tuberone diceretur: nam basilicam, atque balneorum et deambulationum apparatus, picturas, statuas, omneque ejusmodi rerum studium ad luxum arbitror referenda.' *Mach.*

Desipere cœpit] *Cœpisset* scripta lectio. Plutarchus hic Corn. Nepotem laudat auctorem, de quo in Fragmentis. Ceterum lege Lætoria cautum erat, ut iis, qui furiosi vel prodigi essent, curatores darentur: qui eos circumscripsissent, judicio publico tenerentur. Cicero de Nat. Deor. l. III. et Offic. lib. III. Capitolinus in Antonino Philosopho. De Lucullo quoque vide Tertullian. in Apologetic. cap. 11. *Schott. Cœpit* melius ex omnibus scriptis et editt. defenditur. De lege Lætoria vide Cujacium Obs. XIX. 33. Doctores ad § 3. Inst. de Curat. et ad Caii Instit. lib. 1. tit. 8. *Arntz.*

CAP. LXXV. § 1 *Sulla*] Scribo, non *Sylla:* auctoribus Capitolinis Lapidibus et libris membraneis: tametsi Cicero in Oratore *Sylla* scribi et pronuntiari velle videatur. De significatione *Sullæ* Plutarchus in Coriolano: aliter Sextus Pompeius interpretatur. De Sullæ autem origine Sallustius in Jugurthino, quem locum citat Servius in Æn. lib. VII. *Schott.*

In fortuna] Plinius Naturalis Hist. VII. 43. 'Unus hominum ad hoc ævi Fœlicis sibi cognomen asseruit, Lucius Sulla civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adeptus, etiam quibusdam fœlicitatis inductus argumentis, quod proscribendo tot millia civium trucidare potuisset. O prava interpretatio, et futuro tempore infœlix!' et filium Faustum, filiam Faustam insolenter appellavit. *Mach. A fortuna* libri veteres melius quam *in fortuna*. Plinius II. 54. et VII. 43. Sullæ felicitatis ostentum fulmine datum auctor est. Quam temeritatem cum stultitia conjunctam refellit Tertull. Apologetici c. 11. *Schott. In fortuna* tamen omnes scripti et editi, pro quamdiu felici usus est fortuna,

cum adsentatione familiari hoc nomen adquisierit; quod tamen communi usu receptum non fuit, cum fatis concessisset, adeoque voluit auctor, præcipue hoc cognomen obtinuisse cum viveret. Ad hanc felicitatem Sullæ respicit Livius xxx. 45. Lucan. ii. 582. Lampridius in Comm. c. 8. Plutarchus in Sulla p. 473. Suidas in Σύλλας. Solinus Polyh. cap. 1. fine. Florus iii. 5. § 2. Paneg. Incert. Constant. dict. c. 20. § 4. Savaro ad Sidon. Apoll. Epist. ii. 13. p. 167. et Cortius ad Sall. Jug. cap. 95. § 4. *Arntz.*

§ 2 *A Boccho*] Rege Mauritaniæ socero ipsius Jugurthæ. Dubitavit autem barbarus, utrum Sullam Numidæ, an Jugurtham Sullæ traderet: tandem, Sallustio et Plut. scribentibus, Jugurtham Sullæ tradidit. *Mach.*

§ 3 *Bello Cimbrico*] De quo superius in Mario lege. *Mach.*

Legati] In castris provisores necessariorum dicuntur. *Mach.*

§ 4 *Prætor Ciliciam*] Immo Cappadociæ ex S. C. adjecta etiam erat Cilicia, ut recte Pighius Ann. tom. iii. p. 213. *Arntz.*

§ 5 *Bello sociali*] Quod initium habuit ab Italis, quibus promissa erat civitas, a Fulvio, Graccho, deinde a Druso, nec poterant promissa assequi: sociarunt igitur arma cum pluribus populis, maxime Samnitibus, et Irpinis Campaniæ. *Mach.*

Hirpinos] *Irpinos* Mss. absque spiritu. *Schottus*, Not. Min. *Irpinos* ex suis Mss. ediderat Schottus, sed adspirationem addendam esse suadet perpetuus consensus aliorum codicum et editionum tum hic tum apud Livium Epit. lib. lxxv. aliisque locis. Ciceron. de Divin. i. 36. Plin. Hist. Nat. iii. 11. Servium ad Virg. Æn. vii. 563. *Hirpinus* exstat in lapide ap. Grang. ad Juven. Sat. viii. 63. Et favet ipsa etymologiæ ratio, cum *Hirpinos* a lupis appellatos esse, qui Sabinorum lingua 'Hirpi' vocantur, tradat Servius ad Virgil. Æn. xi. 785. *Irpini* tamen præferre videtur D. Heinsius ad Silium xi. 11. Porro *Samnitas* scripsi faventibus scriptis. *Arntz.*

§ 7 *Orchomenum et Chæroneam*] Bœotiæ urbes. Prolixum esset memorare, uti cum Mithradate congressus fuerit Sulla. Plutarchum itaque evolve, quo laboris nostri sis particeps. *Mach.* Antiqua lectio *Orthomenam et Chæroniam:* quemadmodum *Heraclia* et *Heraclea* dicimus, mutata ει diph. in *i* vel *e* longum. Ordo autem temporis flagitat, ut *Chæroneam* præcedat. *Schott.* *Ceroniam* Boendt ed. Mach. Ven. et Agripp. *Cherionam* Leid. 2. Priori modo variatur etiam ad Florum iii. 5. § 11. Nec aliter ordinem temporis neglexit Plutarch. Lucullo pag. 493. Τὰς δὲ Σύλλα πρὸς 'Ορχομενῷ καὶ περὶ Χαιρώνειαν ὑμνουμένας ἀριστείας. *Arntz.*

Archelaum] Hic dicebatur maximus regum præfectus, quo suadente, ac amico effecto, Sulla pacem cum Mithradate certis fœderibus composuit. *Mach.* *Prælio* vacat ex fide librorum Mss. *Schottus.* *Mithridatem apud Orchomenum et Chæroneam prælio fudit: Archelaum præfectum ejus Athenis vicit:* nihil abeunt ab hac scriptura Palatt. ambo, estque sanissima. *Grut.*

Athenis vicit] Mss. legunt *cathenis vinxit* pro *Athenis vicit*, quomodo Plauti locum Asinaria commutatum vidi in Nonio Marcello 'colere:' vulgo legitur *O cathenarum colone:* libri Mss. *Ac Athenarum colone.* Schott.

Piræeum] Portum Athenarum. *Machan.*

Recepit] Multis admotis machinis et tormentis. Ita, ut Plutarchus scribit, in obsidione Athenarum decem millibus mularium jugorum quotidiana ad machinarum apparatum impendebatur opera. *Mach.*

Medos] A Medo filio Medeæ dictos aliqui sentiunt. *Mach.* *Enetos Dardanosque* pro *Medos Dardanos* ex Ap-

piano emendavi. *Schottus.* *Enetos* exprimi curaverat Schottus, quem secure secuti erant posteriores. In Paphlagonia eos collocat Anna, et recte; sed quomodo hos in itinere potuit superare, cum res in Europa gesta sit? quæ caussa fuit, ut apud bellissimam feminam error errorem traxerit. Etenim hæc Asiæ tribuens, etiam de Dardanis Asiaticis sequentia intelligenda putat. Potius hos populos in Europa et quidem Illyridis parte quæsivisset. Vide Æthici Cosmogr. pag. 728. edit. Gron. quem locum, ut sua tantum non omnia, sublegit Orosio I. 2. ut, qui hunc scriptorem emendare aggredi velit, cum fructu illum queat conferre: distinguit Δαρδανεῖς τοὺς ἀπὸ τῆς Ἰλλυρίδος. Ælianus Var. Hist. IV. 1. Liv. XXVI. 25. 'Inde Dardanorum urbem sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam, cepit.' Strabo VII. 485. Geogr. Ἰλλυριῶν δὲ Αὐταριάται καὶ Ἀρδιαῖοι καὶ Δαρδανίοι. Eutropius V. 7. Auctori nostro Medi et Dardani populi sunt Europæ, et priores a Sulla esse vexatos constat e Plutarcho Sulla p. 467. b. Αὐτὸς εἰς τὴν Μηδικὴν ἐνέβαλε. *Ipse in medicam incurrit, vexatoque late agro in Macedoniam regreditur.* Melius igitur apud Appianum de Bell. Mithr. p. 348. ubi legitur Ἐνετοὺς καὶ Δαρδανέας, reponunt Μήδους κ. Δ. Et Medos Macedoniæ finitimos fuisse patet ex Livio lib. XXVIII. cap. 5. ubi nunciabatur 'Medos proxima Macedoniæ incursuros:' ubi per diphthongum *Mædos*, uti Græci Μαίδους, vocat Sigonius et Cellarius Geogr. II. 15. 856. unde fortasse et hic *Mædos* et apud Plutarch. Μαιδικὴν scribendum erit. Sed simplicem scripturam defendit eruditorum princeps Casaubonus ad Strabon. Geogr. VII. 453. et 486. edit. noviss. In Nostri loco omnes edd. et Mss. in *Medos* consentiunt, solus Leid. 2. habet *modo*. Arntz.

§ 8 *Rogatione*] Id est, lege: quia Sulpicius ipso sceleratior Mario, teste Plutarcho, exercitum contra Mithridatem destinavit: qui deinde servo prodente a Sulla interfectus est. *Mach.* *Mox* abest a quibusdam codd. *Sylb.* Certe ab ed. Schotti, sed cum nihil monuerit de defectu hujus particulæ, crederem potius negligentia typothetarum hoc esse commissum, quorum fidem secutus Sylb. ita in codd. abesse credidit. Est in omnibus nostris. Sed hæc leviora sunt. *Arntz.*

Expulit] Plutarchus: Carbo qui contrariam factionem timebat ab ejus exercitu fugam noctu faciens tandem in Africam navi se recepit. *Machan.* Non displicet, quod in Hann. *ex Italia;* et turbato ordine Boend. *ex exercitibus Carbonem Italia;* nisi mavis ibi præpositionem e sequenti voce esse repetitam. Hoc interim certum est præpositionem in hac locutione nonnunquam abundare. Lucanus II. 574. 'Expulit armatam patriis e sedibus urbem.' Sed non tanta est unius codicis auctoritas, ut veram ideo scripturam tentare velim. Livius Epit. lib. LXXXVIII. 'Ad Faventiam Fidentiamque cæso, Italia expulit:' et Epit. lib. CIX. 'Cn. Pompeium ceterosque partium ejus Italia expulit:' supra Noster cap. XXXIII. § 5. 'Pyrrhum Epirotam Italia expulit.' *Arntz.*

Marium] Legendum est, *Marium* et *Pontium Telesinum*, ex Appiano referente: 'Marcum autem Lamponium ex Lucania et Pontium Thelesinum ex Samnio et Capuanum Guttam septuaginta hominum millia adducentes, ut Marium juniorem ab obsidione liberarent, Sulla via interea quadam, per quam patebat aditus, ab itinere exclusit.' *Mach.* Illud *Pontium* nemo agnoscit, neque etiam in Epitome requiritur; geminus locus Flor. III. 21. § 23. 'Apud Sacriportum Collinamque portam debellatæ omnes hostium copiæ. Ibi Marius,

hic Telesinus oppressi.' *Arntz.*

Collina] Lucanus secundo: 'Aut Collina tulit stratas quot porta catervas.' *Mach.*

Vicit] Plutarchus: 'Quum Marianorum terga vertentium, qui diutius sustinere nequirent, magna strages fuit, Marius sese Præneste fuga subtrahens, obseratas portas offendens fune superne demisso quum se immisisset, in murum receptus est.' *Mach.*

§ 9 *Præneste interfecto*] Appianus: 'Quibus conspectis Prænestini, quod omnes Carbonis copias deletas audissent, Norbanum ex Italia aufugisse, reliquas vero Italiæ urbes ad Sullam concessisse, civitatem Lucretio dedere. Mario aggerem per cuniculos ingresso, nec multo post interempto manu propria Lucretius cervicem abscidit, caputque ad Sullam misit: id fori in medio ante rostra Sulla cum appendisset, juventa consulis irrisa, inquit, remigem prius esse oportere, quam ad gubernaculum manus admovere.' *Mach.*

Proscriptionis tabulam] Plutarchus: 'Sylla igitur extemplo octoginta proscripsit millia senatorum, communicato consilio, omnibus ægre ferentibus: imo interjecto die ducentos et viginti adjecit: deinde tertio non pauciores adjecit.' *Mach.*

Novem millia] Alii *XIX. millia dedititiorum* legunt, quot et Liviana Epitome lib. LXXXVIII. Augustinus de Civitate Dei III. 28. septem dumtaxat millia civium Romanorum interfecta: Val. Maximus IX. 2. quatuor legiones obtruncatas affirmat. Plutarchus ἑξακισχιλίους numerat. Ann. Florus lib. III. Rerum Romanarum quatuor millia. Orosius lib. V. tria tantum numerat, nisi mendosus codex est. Quatuor aut quinque millia fuisse creditur, inquit Strabo Geograph. lib. V. et quidem Samnites, quos vivos edicto capi Sulla vetuerat. *Schottus.* Exemplar nostrum unum, *VIIII.* unde factum forte ut irrepserit in Epitome Liviana, *octo millia:* dum librarii scilicet non putant novem eo modo exprimi: inde etiam factum ut iidem sæpe pro *XXXX.* repræsentarint *triginta.* Grut. Admodum variant veteres in tradendo numero occisorum. Duas legiones memorat Seneca de Benef. V. 16. quas septem millia fuisse exponit de Clem. I. 12. ubi adde Lipsium. Alii varie vel augent vel minuunt illum numerum: ad VI. legiones adscendit Scholiastes Lucani lib. VII. vs. 307. Inspice Plut. Sulla p. 471. Sigon. ad Liv. Epit. lib. LXXXVIII. Vignoli de Col. Anton. cap. 2. p. 22. seqq. et viros erud. ad Florum III. 20. § 24. Varietati fortasse caussam dedit, quod alii solos numerarint cives Romanos, alii sub iis etiam comprehenderint Samnitas, qui simul ibi fuerunt trucidati. Et facile sub tyrannis latet veritas, multis sævitiam supra modum extollentibus, ceteris rem mitioribus verbis excusantibus. *Arntz.*

Villa publica] In campo erat Martio teste Livio lib. V. Val. Maximo IX. 3. Augustino de Civitate Dei III. 28. Non illud celabo male in utroque Livii abbreviatore *via publica* pro *villa publica* legi. *Schott.* Idem error in 'via' et 'villa' erat apud Liv. Epit. lib. LXXXVIII. teste Sigonio. De loco ubi cædes facta, vide commentatores modo laudatos et Oudend. ad Lucan. II. 197. *Arntz.*

§ 10 *Tribuniciam potestatem*] Appianus: 'Tribuniciam vero potestatem adeo perfregit ac debilitavit, ut fere ad nihilum redegerit, quum ex lege prohiberetur, qui se tribunum gessisset, ulterius potestatem habere posse.' *Mach.*

§ 11 *Spe deceptus*] Corrige *sperni cœptus* ex libris antiquis Mss. Nullam enim spem conceperat, quamobrem dictaturam abdicaret. Supra paullo, *imminuit* iidem præferunt. *Schott.* *Spe*

deceptus omnes edd. et codd. nisi quod *receptus* Fran. et Leid. 2. Posset retineri *spe deceptus*, quoniam speraverat in summa dignitate se Romæ tranquille posse ætatem transigere, quod aliter accidit, cum vel ipsi pueri ei illuderent, ut notum est. *Arntz.*

Puteolos] Strabone autumante in Campania opidum a 'putore' aquarum sulfurearum dictum. *Mach.*

Phthiriasis] Pedicularis morbus dicitur; nam φθεὶρ, ρὸς, *pediculum* indicat, ἀπὸ τοῦ φθίνω, *tabesco.* Plinius in septimo: 'Age, non exitus vitæ ejus omnium proscriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore, et supplicia sibi gignente?' *Mach.* 'Animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu, convulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum evomuit,' inquit Val. Max. IX. 3. Pediculari autem morbo præter Sullam perierunt, Acastus Peliæ filius, Alcman poëta, Pherecydes Syrus, Callisthenes Olynthius in carcere, et Mucius jurisconsultus. Eunus quoque servus, qui primus in Sicilia bellum excitavit. Plutarchus in Sulla extremo et Helladius in Chrestomathia apud Photium in Bibliotheca pag. 870. Adde et septimum Herodem Judæum. *Schott.*

CAP. LXXVI. § 1 *Mithridates*] Rex Ponti Euxini patriæ, inde Euxini, id est, 'hospitales dicti.' Est autem prope Mæotida. Circa hunc locum erant plures provinciæ, tum ad Asiam, tum ad Europam attinentes, quibus ipse rex imperabat. *Mach.* Libri quidam scripti vitiose *Mithrydates* per *y* habebant: lego *Mithradates* prima vocali in secunda syllaba ex nummis antiquis, quomodo inscriptos plurimos videre licet in Fastis Huberti Goltz. antiquarii diligentissimi. *Schottus.* Adde Simson. Chronic. ad ann. 3885. Var. Lect. ad Quinctil. Decl. VIII. 3. p. 708. et quæ supra ad c. 70. disputavimus. *Arntz.*

A septem Persis] De illis Herodotus libro tertio, et Justinus primo Epitomarum suarum plura scribunt: ii enim magos interfecerunt, qui dolose pro ipsis regnabant: deinde hinnitu equi Darium regem constituere. *Machan.* De his Polybius lib. v. Joseph. Antiquit. Judaic. XI. Strabo lib. XV. extremo Geographiæ. Amm. Marcell. lib. XXIII. L. Florus Artabazem, qui ante Mithridatem regnavit, a VII. Persis oriundum facit lib. III. cap. 5. *Schott.* Vide Prideaux Hist. Jud. part. II. lib. v. p. 460. mox *magni animi* cod. Boend. sed vulgata melius defenditur ex iis quæ attulit Cortius ad Sall. Catil. c. 5. § 1. Cicero de Orat. I. 38. 'Prope singularis et divina vis ingenii videtur:' et pro C. Rabir. c. 7. 'Et animi vim et infirmitatem corporis ostenderet.' *Arntzen.*

Duarum et viginti gentium] Gellius libro decimo septimo capite decimo septimo: 'Mithridates autem Ponti atque Bithyniæ rex inclytus, qui a Cnæo Pompeio bello superatus est, duarum et viginti gentium, quas sub ditione habebat, linguas percalluit, earumque omnium gentium viris haud unquam per interpretem colloquutus est: sed, ut quemque ab eo appellari usus fuit, proinde lingua et oratione ipsius, non secus ac gentilis ejus esset, loquutus est.' *Mach.* Mss. omnes et libri excusi antiqui aliter *quinquaginta gentium*; verum ὑπερβολικῶς; Plinius avunculus vulgatam lectionem tuetur, ut veritati proximam, Natur. Histor. VII. 24. et XXV. 21. Solinus Polyhistoris c. 7. Agell. lib. XVII. et Valerius VIII. 7. *Schottus.* Schotti Mss. omnes *quinquaginta gentium.* Pall. *quinquagesimo gentium.* Verum pro altera stant ceteri auctores. *Grut.* Ego omnino puto, hic alios auctores secutum fuisse Nostrum, qui ut rei novitatem augerent, minimas etiam dialectos videntur computasse,

et ex hisce separatam linguam effecisse, ut ita numero rotundo *quinquaginta* exirent. Ita est in Fran. et Gramm. et reliquis ante Aldum editis: *quinquagesimo* uterque Leid. Boend. et Haun. sed is error natus ex stupida monacharum ignorantia, qui cum *L.* legeretur, divinare debebant *quinquaginta*, an *quinquagesimus* scribere satius esset. Non ægre ferat lector, si in eruditorum conjecturis recipiendis, et pro vera lectione obtrudendis, soleo esse cautior fortasse quam par est. Reliquis omnibus etiam adsentitur Quinctil. Inst. XI. 2. fine: 'Mithridates cui duas et viginti linguas, quot nationibus inperabat, traditur notas fuisse.' *Arntz.*

§ 2 *Nicomedem*] Is est, de quo Cæsaris in vita Suetonius refert. *Mach.*

Ariobarzanem] Colinæus *Ariobarzanem.* Veteres libri *Ariobarzanem*, vel *nen.* Schott.

§ 3 *Interficeretur*] Cicero in Oratione de Lege Manilia: 'Vos tot civium Romanorum millibus uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?' *Mach.*

§ 4 *Excepta Rhodo*] *Excepto* Boend. et Agripp. de quali constructione vide Heinsium ad Ovid. Met. XI. 55. Vossium de Art. Gramm. I. 12. p. 131. et quæ sup. c. XLII. § 2. adnotata sunt. *Arntz.*

§ 5 *Sulla eum prælio vicit*] Cicero Oratione de Lege Manilia: 'Triumphavit et Sulla: triumphavit L. Murena item de Mithridate.' *Mach.*

Proditione Archelai] Mihi illud *proditione Archelai* semper suspectum de mendo fuit, verum libri nihil variant. Pugnat cum historia: credo scripsisse *repugnante Archelao*, aut simile. Archelaus cum classe regia Sullæ se tradidit. Epitoma Livii lib. LXXXII. et Orosius VI. 2. *Schott.* Not. Min. *Proditione Archelai* et noster Palatinus, neque repugnat historia: Livii enim Epitoma lib. LXXXII. 'Archelaus cum classe regia Syllæ se tradidit.' *Grut.* Eo tamen loco Orosii scribitur, M. Marium ducem fuisse constitutum 'in locum Archelai, qui se ad Syllam cum uxore liberisque contulerat.' Alii tamen narrant, et hisce potissimum fides est habenda, tentasse quidem Sullam, ut Archelaum ab rege abduceret, sed frustra: vide Appian. de Bell. Mithr. p. 348. et 353. et Plutarch. in Sulla p. 466. Ex Livio exsculpi non potest fuisse proditorem Archelaum, neque enim quæritur, an classis fuerit tradita Sullæ, hoc enim concedente Mithridate accidit, sed an fuerit proditione tradita. Et hoc videtur esse contra historiæ veritatem. Constat tamen descivisse Archelaum ab Mithridate ex ipso Plutarcho Lucullo p. 496. e. Sed videtur factum, postquam ex pacis legibus jam ipse rex classem tradiderat. *Arntz.*

Apud Orchienum opidum fudit et oppressit, et potuit capere nisi adv. Mar.] In sequentibus non video, cur rejiciam omnium editionum et codicum auctoritatem; scio tersius esse, quod produxit Schottus; sed solet non raro ineptire Noster, et sine ratione ταυτολογεῖν. Quare antiquam lectionem reduxi invitis fortasse iis, qui me inventis frugibus glande vesci objicient. Quisque fruatur suo genio: ego malo garrientem dare Aurelium, quam aliorum bene inventa contra veritatem apponere. Et si quis vellet, aliquo colore hæc lectio defendi posset, non solum *fudit*, verum penitus *oppressit*, quin etiam *capere potuisset*, &c. Arntz.

Eum Cabiris] Qui Mithridaticum antidotum saluberrimum confecit. De victoria Sullæ nuper diximus. Juvenalis quoque ait: 'Pontica ter victi cautus Mithridatica regis.' *Mach.* Mss. *eum acrius*, male; Parisinus *agris;* alii *argis* inde fecerant. Mox *popularium* melius quam *popularem* libri veteres. *Schott.*

Fudit] *Prælio fudit* Haun. *Arntz.*

§ 7 *A Pompeio*] Ut ait Plutarchus: 'Revera Luculli res gestæ imperium Pompeii exornarunt.' *Mach.*

Nocturno prælio] Ad lunæ splendorem, ut Plutarchus in vita narrat: 'delusos regios milites umbra lunæ.' *Mach.*

Venenum sumpsit] Plutarchus in Pompeio ita recitat: 'Mithridatem per filii Pharnacis seditiones mortem sibi conscivisse, ac omnia, quæ ipse possederat, Pharnacem sibi sortitum: denique his gestis Pharnacem ad se Romam scriptitasse.' *Mach.*

§ 8 *Tardius biberet*] Mss. *Quod cum id tardius ebiberet.* Vascosan. *cum id tardius subiret:* scilicet præcordia, non damno. Hic mihi locus manum injecit, et paullisper consistere, quamlibet properantem ad finem, jubet: 'obducere' enim antiqui eleganter dixerunt, pro ebibere vel exsorbere: quod in Cicerone Tuscul. lib. I. reponendum Petro Victorio in Variis Lect. lib. XV. assentior: sic enim habet: 'Theramenes cum conjectus in carcerem XXX. jussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulcro Critiæ:' ubi quidam ex illo Xenophontis lib. II. Ἔλλην ἐπεὶ τὸ κώνειον ἔπιε, *ebibisset* vel *obbibisset* legerunt. Emendandus in hoc verbo et Seneca scriptor gravissimus libro de Divin. Provid. cap. 3. Sic enim locum legendum censeo: 'Male tractatum Socratem judicat, quod illam potionem publice mistam non aliter, quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam:' vulgati *eduxit* invenuste. Post paullo sic lege et interpunge ex Mss. *Quanto magis huic invidendum, quam illis quibus gemma ministratur, quibus expletus est animus. Omnia pati dictus, exsectæ virilitatis, aut dubiæ, suspensam auro nivem diluit.* Schott. Invitis iterum omnibus codd. et editt. Schottum volui, ægerrime licet, sequi, cum, quia facillima est varietas, tum quod alia lectio *biberet* vix commodum sensum efficeret. Ovid. Met. v. 437. 'Denique pro vivo vitiatas sanguine venas Lympha subit.' Hoc dicitur, 'medicamentum concipere venis'. apud Curtium III. 6. § 11. Sed retraxi me, quia vulgatam lectionem ita malim exponere, cum venenum tardius succos exureret et consumeret. Notum enim est, 'bibere' tribui omnibus illis rebus, quæ liquidum aliquid ad se trahentes efficiant, ut exarescat. Ita 'prata bibunt' apud Virgil. Ecl. III. fin. ubi vid. La Cerda. 'Tela bibunt cruorem' apud Silium VI. 293. Ubi adde accuratissimum illius poëtæ interpretem Drakenb. et ad XVII. 413. Statium ad Tibull. El. II. 1. p. 328. et similia. Sic 'bibere' dicitur venenum, cum per venas dispersum medullas succumque urit et exsiccat. Lucanus IX. 741. 'Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe. Ebibit humorem, circum vitalia fusum Pestis.' Ex sacris litteris tuenda et hæc locutio Jobi c. VI. vs. 4. 'Quarum virus ebibit spiritum (vel sanguinem) meum.' Quomodo omnino vox חמה vertenda erit, repugnantibus licet LXX. et vulgata versione cum nonnullis interpretibus. Addas Nonium in voce 'Bibere.' Eadem est metaphora apud Senec. in Herc. Œt. vs. 914. 'Exedit artus virus, ut fama est, hydræ. Inmensa pestis conjugis membra abstulit.' Et vs. 1226. 'Exedit artus penitus, et totas malum Hausit Medullas.' Et quæ huc pertinentia adtulit Heinsius Adv. in Tibull. p. 461. Ad verbum quod spectat 'obducere,' de cujus significatione hac occasione agere voluit Schottus, confer quæ nuperrime notavit Burmannus ad Phædrum suum I. 14. 9. Si 'bibere' hic vulgato sensu velis exponere, sequentia verba

nullum fundnat sensum; quid enim tardius 'biberet,' quia corpus contra venena firmarat? Ea tamen notione, qua nos accepimus, magis videtur esse poëticum. Sed talia tam accurata lance apud Nostrum non sunt pendenda. *Arntz.*

Multis antea medicaminibus] Gellius XVII. 16. 'Scriptum etiam a Lenæo Pompeii liberto Mithridatem illum Ponti regem medicæ rei, et remediorum id genus solertem fuisse, solitumque anatis sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent, sanguinemque earum potentissimum esse in ea confectione; ipsum autem regem assiduo talium medelarum usu, a clandestinis epularum insidiis cavisse. Quamobrem victus a Romanis, frustra venena violentissima festinandæ necis gratia expertus, seipsum gladio transegit.' *Mach.* De Mithridate autem sic etiam Seneca rhetor noster: 'Habuit malum medicamentum Mithridates. Quis enim alius debebat habere quam parricida?' ad quem locum vide quæ notamus de medicamine, quod Græcis φάρμακον. *Schott.*

Inmissum] Sic in omnibus, nisi quod Leid. 2. *et ipsum,* sed tum neque sensus satis cohæret, et frigidam facit orationem, quasi ille Gallus inter percussores primum locum obtineret. Magis proprie est 'inmittere percussorem,' ut apud Florum I. 7. § 2. 'Inmissisque in eum percussoribus.' III. 1. § 8. 'Massivam inmisso percussore confecit.' Tacit. Annal. III. 16. 'Nec illum sponte extinctum, verum inmisso percussore:' et quæ Oudend. ad Lucan. II. 202. *Arntz.*

Sithocum] Libri calamo et typis exarati et Livii Epitoma lib. CII. 'Bithocum' nuncupant: Appianus Βίτοιτον scribit, *Bitoeton:* quomodo utrobique fortasse scribendum. *Schottus.* Alii libri *Bithocum.* Pal. 2. *Siticum.* Appianus vocat Βίτοιτον, et forsan appellandus *Bituitus.* Grut. [Vide Not. Delphin.] Cur *Bithicum* præferat dulcissima Anna, vellem rationes addidisset, neque enim eas comminisci queo. Si Appianum debeamus sequi, quod quidem malim et ego, cum in ejus codd. nulla conspiciatur varietas, cum Grutero scribo *Bituitum,* non *Bitoetum.* Vide illum Bell. Mith. p. 410. Ubi tamen hæc aliter narrat. *Arntz.*

Adjuvit] Ex posteriori Latinitate *adjuvavit* Fran. de qua hujus verbi flexione cum aliis egere Burmann. ad Petr. cap. 18. p. 61. et Hearne ad Plinii Epist. IV. 15. *Audivit* Leid. 2. *Adivit* Leid. 1. Turpes errores in re facili. Seneca de Benef. III. 22. 'Alius mortem domini adjuvit, alius decepit.' Ovidius Am. El. I. 7. 66. 'Quamlibet infirmas adjuvet ira manus.' *Arntz.*

CAP. LXXVII. § 1 *Magnus*] Devicta Africa, ita pronuntiante Sulla, appellatus. *Mach.*

Ita egit, ut ab eo diligeretur] Qui a primo potissima caussa fuit ut Cinna interficeretur, et Carbonem interfici damnatum jussit, internecinos Sullæ hostes. *Mach.*

Siciliam a proscriptis recepit] Et quotquot proscriptionem Sullanam præoccupando, fugerant in Siciliam, hanc ut propugnaculum tutum ceperant, sed audientes Pompeium cum exercitu adventare, facile cesserunt. *Mach.*

§ 2 *Numidiam*] Plutarchus in Pompeio: 'aliæ confestim civitatum paruere, aliæ vi captæ. Hiarbas rex tum comprehensus, qui cum Domitio belli societatem inierat: cui successit Hiempsal. Prospera ergo fortuna Pompeius fretus, robori militum fidens, Numidiam impetit, in quam, quod diebus pluribus peragrandum erat, agmine concitato excurrens, ea subegit omnia, quibus obviam factus est.' *Mach.*

Hiarbæ] *Hiærbæ* antiqui libri, et Plutarchus in Pompeio Ἰάρβας. 'Hi-

eram' Epitoma Liv. lib. LXXXIX. vocat: confer cum his Plinii VII. 26. *Schott.* Ita Fabric. ad Oros. v. 21. et Vinet. ad Eutrop. v. 9. *Jarbæ* etiam Mss. et vetustæ edd. Sed alia scriptura videtur esse verior, cum Punica vocabula adspiratione gaudeant: ut 'Hiempsal,' &c. Aliter tamen sentit Bernecc. ad Justin. XVIII. 6. § 1. et Neapol. ad Nason. Fast. III. 552. Non constant sibi in ea scriptura editores Servii, cum ad Æn. I. 371. 'Hiarbas:' ad IV. 36. 'Jarbas' scribant.' *Arntz.*

Viginti sex annos natus] *XXVI. annorum* Mss. Abbreviator Livii, et Eutropius XXIV. annorum faciunt. Triumphasse puto A. U. C. DCLXXII. *Schott.* Vide Pighium Ann. tom. III. p. 274. quocum confer Hearn. ad Eutrop. v. 9. *Arntz.*

§ 3 *Abrogavit*] Diversa historici scribunt. Plutarchus: 'Quare Pompeius adversus Lepidum dux declaratus, hic enim tum multa in Italia occupaverat, et citeriorem Galliam per Brutum superatam videbat; cetera Pompeius facile vicit:' et paullo post: 'amissa Italia Lepidus in Sardiniam fugit, ubi morbo comitiali mœstior, non ex adversa, ut aiunt, fortuna, sed quod in literulam quandam incidit, ex qua adulteram uxorem cognovit.' Appianus: 'Lepidus a senatu accersitus, nec ille quamobrem vocaretur ignarus, universo cum exercitu profectus, quasi cum eo Urbem ingressurus, prohibitus subinde, ad arma per præconem omnes connumerat; ex adverso Catulus bellum vicissim vere denuntiat, post in odium prælio, antequam Campum Martium ingrederetur, inito, ab utrisque superatus est Lepidus, nec multum illi adversatus, in Sardiniam enavigavit; quo in loco distillationis morbo correptus cessit e vita.' *Mach.* *Fugavit* melius in Mss. dicimus enim 'abrogare' alicui 'magistratum;' 'abrogare' vero aliquem 'Italia,' legere non memini: nisi forte scriptum hic fuit *ablegavit:* sic in Sulla pro *rogatione*, *legatione* in quibusdam excusis est. *Schott.*

§ 4 *Hispaniam*] Ab 'Hispali' urbe dictam auctore Trogo Pompeio. *Mach.* Ab *Hispano* debuisset scribere, nec recte urbem putat fuisse. Vide Justin. XLIV. 1. *Arntz.*

Proconsul] Mss. *pro consulibus*, perspicue verum. Ita enim dixerat Philippus, non *pro consule*, sed *pro consulibus* mittere se Pompeium. Cicero Philipp. lib. XI. et in oratione pro Lege Manilia extrema. Vulgata illa lectio *proconsuli* corrupta est ex compendiis literarum. Alii *proconsule*. Schott. *Pro consulibus* omnes Mss. quod retinendum, et firmandum ex iis quæ adtulit Hottom. ad Cicer. Leg. Manil. cap. 21. *Arntz.*

Sertorium vicit] Contra quem fugitivum Sullæ, et superstitem Carbonianæ fugæ, primo Metellus pugnavit; idem cyclops, senexque imperator a juvene Pompeio superatus, ad pœnam amicorum præcipuam in convivio fœdissime trucidatus a custodia militari. *Mach.*

Piratas] Qui nemini commercium liberum, sed omnia invia, clausaque tenebant; Gabinius rogationem tulit qua Pompeio Cilicum provincia demandabatur, in qua celeriter felici victoria potitus est; tamen sponte se, fama audita Pompeii, maris vastatoribus dedentibus, tum enixissime nonnullis debellatis, per coloniasque distributis. *Mach.*

§ 5 *Tigranem ad deditionem*] Cum urbes castellaque ejus caperent, in extrema deductus, audita Pompeii clementia, sese dedidit, conditionibusque a Pompeio oblatis acquievit. *Mach.*

§ 6 *Mira facilitate rerum*] Mss. pleniores, *facilitate et celeritate, nunc in septentrionem, &c. nunc in orientem.* Sic et in Lucullo supra *facilitate*, ubi vulgo codd. *felicitate*. Schott. 'Ce-

leritas' in negotiis perficiendis laudata in Pompeio est respectu belli piratici, quod brevi tempore confecit, ut Florus III. 6. § 15. 'Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod quadragesimo die parta est; an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est?' Cicero pro Lege Man. c. 12. 'At hæc qua celeritate gesta sunt quanquam videtis, tamen a me in dicendo prætereunda non sunt.' Orosius VI. 4. 'Quos Cn. Pompeius post multam quidem vastationem mira tamen celeritate compressit:' quare cum præsertim de bello piratico eam laudem meruerit Pompeius, non necesse est hanc vocem hic intrudere, quæ commodiori loco paullo ante fuerat ponenda, quare et abest a nostris omnibus cum scriptis, tum editis, si Schottum eumque secutos excipias, qui addiderant *et celeritate*, sed uncis tamen incluserant, ut fieri solet, si suspecta sint verba. Porro quod *facilitate* alios habere codd. monuerat vir erudit. parum accommodatum est, et melius receptam apud nos tuentur omnes. Talem *felicitatem* in Magno extollit Cicer. pro Lege Man. c. 16. 'Reliquum est, ut de felicitate pauca dicamus,' et mox 'Terra marique, quantaque felicitate gesserit.' In aliis itidem inperatoribus eodem modo fortuna laudari solet. Livius XXVIII. 32. 'In provincia simul virtute tanta et felicitate perdomita.' XXXVIII. 48. 'Pro felicitate mea exercitusque mei.' et XLI. 16. 'Gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem jam cis Alpes hostem Populi R.' Quod hæc duo apud Schottum ita conjungantur, forte a librariis irrepsit ex Eutropio, qui hoc bellum describens addit VI. 12. 'Quod intra paucos menses ingenti felicitate et celeritate confecit.' Et alibi laceros pannos ex eo auctore adsutos esse Aurelio vidimus ad c. 7. § 8. c. 35. § 12. et cet. Male in nuperrimis edd. erat *nunc in septentrione, tunc in oriente*, quod vitium ab Aldo commissum ceteri maluerunt imitari, quam malum fortasse incuria ortum tollere: certe *nunc, nunc* melius olim editi cum Mss. Livius l. II. c. 45. 'Nunc jubet Etruscos probra jacere, nunc armatis sibi quisque lingua promtum hostem offerre.' XXXIV. 13. 'Nunc hac parte, nunc illa prædatum milites in hostium agros educebat.' XLV. 30. 'Nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos.' Iscanus Bell. Troj. IV. 224. 'Nunc terra serpens, nunc aëra sulcans.' Florus I. 26. § 5. Justin. VIII. 5. § 7. Orosius V. 20. 'Nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo plurima exercitus parte privavit:' de tali variatione in *nunc* et *tunc* vide Heinsium Advers. ad Tibull. p. 464. Burmann. ad Ovid. Epist. Her. XVIII. vs. 95. et passim multos. *In septentrionem* et *nunc morientes* Fran. *In septentrionem* et *in orientem* Mach. *Arntz.*

Heniochos] *Eniochos* Mss. libri: *Enochios* Parisinum exemplum. Vide Paterculum. *Schott.* Quanta lectionum monstra ex hac voce prodierint vide in notis ad Ovid. Tr. El. I. 10. 35. ad Lucan. II. 591. et Var. Lect. ad III. 270. *Arntz.*

Iberi] Montem incolunt Taurum. *Mach.*

Judæi] Pertinacissimum genus, vel a 'Juda,' vel quasi *Idæi*, de quibus lege Strabonem. Cepit autem Aristobulum regem eorum. *Mach.*

§ 7 *Hircanum*] Idem, ut Ptolemæus: quod, ut angusto, ita longo etiam, freto primum terras, quasi fluvius, atque justus alveus includit, in tres sinus diffunditur contra os ipsum, et reliqua. *Mach.*

Rubrum] De quo ita Pomp. Mela: 'Rubrum mare Græci, sive quia ejus coloris est, sive quia ibi Eritra regnavit, ἐρυθρὰν θάλασσαν appellarunt, procellosum, asperum, profundum, et magnorum animalium, magis quam cætera, capax, primo recedentes

oras æqualiter impellit, et ut non intret interius aliquantum patens sinus errat, Arabiamque alluit.' *Mach.* *Caspium* accrevit e Mss. quod mare in vulgatis desideratur, et mox *jubet* pro *jussit* iidem præferunt. *Schott.* Voluit Schottus *Hirc. Caspium, Rubrum:* sed hoc est contra omnes Mss. et edd. *Arntz.*

§ 8 *Diviso*] Placet scripta lectio *Mox cum diviso orbis inperio Crassus Syriam.* Schott. Not. Min. Attamen illa lectio non debebat de loco turbare scripturam omnium editionum, quæ confirmatur ex nostris Mss. *moxque diviso O. I. cum Crassus.* Emendationem Schotti receperant sequentes editores. De hac divisione Seneca de Const. Sap. c. 2. p. 392. 'Quam totus orbis in tres divisus satiare non poterat:' et Lucanus IX. 266. 'Unum fortuna reliquit Jam tribus e dominis.' *Arntz.*

Syriam] Satis constat Crassum auri cupiditate in Parthiam profectum, cujus fæculentia ditissimi summates hac quoque tempestate, æterno judicio, nunquam explentur, sed more hydropici, 'Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ:' qui deinde dolo Surenæ circumfundentis, vi in equum sublatus est. Lucanus, 'Assyrias Latio maculavit sanguine Carras:' et crudelissime interfectus fuit, capite ad regem Hyrodem allato. Jason fabularum actor, scribente Plutarcho, illud multis telis perfodit, ac quasi fures debacchando pro ludibrio circumtulit. Petrarcha in Triumphis vernaculo rythmo ita accedere videtur opinioni, ut aurum in ore liquefactum fuerit: *vide Ciro de sangue avaro e Crasso de oro, e l'uno et l'altro nebe tanto, che pareva a ciascuno amaro.* Mach.

Galliam] Quam per decennium domuit. In Suetonio leges, ejusque commentariis. *Mach.*

Cæsarem dimittere exercitum] Inquit ipse Cæsar: 'neque obscure duæ legiones Cæsari detrahuntur:' quas (ut idem in fine Belli Gallici asserit) a Pompeio retentas; caussa vero potissima bellorum civilium hæc fuit, quia Cæsar sibi ipsi timeret, noluit exercitum deponere: petebat enim consulatum ac triumphum. Senatus alterum libens daturus erat, et dicebat, 'triumphare si vis, accede more aliorum imperatorum; sin consulatus competitor esse velis, accede privatus humiliter in Campo Martio suffragia rogaturus:' timebat vero Cæsar, si non obtineret consulatum, ac sine officio et militibus in provincia viveret, ne rationem actorum reddere cogeretur; affirmante Suetonio, 'cum M. Cato identidem, nec sine jurejurando denuntiaret, delaturum se nomen ejus, simulac primum exercitum dimisisset, cumque vulgo fore prædicarent, ut, si privatus redisset, Milonis exemplo, circumpositis armis, caussam apud judices diceret.' *Machan.*

§ 9 *Infesto adventu*] Jam contra senatusconsultum Rubiconem transierat, Picenum, Umbriam, Etruriam occuparat: territus itaque cum senatu Pompeius ab urbe discessit Brundisium usque, ut maria cum maritimis locis in potestate sua præoccuparet. *Mach.*

In Pharsalia] A 'Pharsalis' opido dicta: idem operi Lucani titulus. Causa victoriæ Cæsaris: sex cohortes, legionibus eductæ, decimæ legioni a tergo locatæ, jussæque sunt quietem agere a tergo ac hostibus ignotæ esse: erant numero tria millia virorum, quæ obsistendo, equites Pompeianos longis jaculis per frontes ac ora feriebant: juvenes autem nobiles hujus inexperti pugnæ adversæ, manibus protegendo oculos, terga dedere: reliqui Cæsareorum impetum non ferentes saluti suæ fuga consuluere, cum Pompeius ad castra accelerans, et vestem sumens infortunio congruam, inde egressus tandem Larissam applicuit: cætera in vita ejus

perlege. *Mach.*

Ad Ptolemæum] Dubitabat Pompeius, an ad Parthos confugeret, an ad Jubam Mauritaniæ regem; tandem Lentulo (apud Lucanum l. VIII.) hortante in Ægyptum profectus, ubi regnabat regulus filius: patri ejus ingentia beneficia contulerat Pompeius. Ptolemæi præceptoris nomine Theodoti, dicentis hominem mortuum non solere nocere, sententia condemnatus, et a Septimio et Achilla indigne trucidatus, indigne vitam cum morte commutavit. *Mach.*

Fugit] Mss. *confugit*. Adduntque *ejus inperio ab Achilla et Pothino satellitibus occisus est*. Nec quicquam praeterea est: subsequitur enim Julius Cæsar, ceterique, quos hic damus, eadem manu et stylo eodem, nisi judicans vehementer hallucinor. Scripsi autem, ne quem offendat, *Pothino*, aspiratione in secundam syllabam traducta, tametsi vulgati in priore appingant, sequutus Mss. librorum vestigia, in quibus constanter *Potinus* vel *Potinius:* sequutus et Græcos Appianum, Dionem, et Plutarchum in Cæsare et Pompeio, qui Ποθεινὸς scribunt, primamque corripiunt Lucanus et Martialis, quæ in hæretico Φωτείνῳ longa est. Fuit autem *Pothinus* nutricius Ptolemæi, cujus consilio Pompeius Magnus, cum Pelusium accessisset, necatus est. Cæsar de Bello Civili lib. III. aliique. *Schott.* Periodus istæc *ejus inperio, &c.* non comparet in Palatinis; habet tamen sequens *Hujus latus, &c.* usque ad finem, quod tamen non agnoscunt Schotti nostri exemplaria scripta. *Grut.* *Fugit* tamen malunt editt. et Mss. Periodus vero *ejus inperio* aberat ab omnibus vel edd. vel scriptis sine dubio vi intrusa, sed uncis includere quam omnino rejicere maluimus, licet facile constet falsam esse, cum, si hæc admittatur, sequentia male cohæreant, quæ tamen genuina esse adfirmant inpressi olim et manu exarati ad unum omnes. *Pothinum* scribendum esse adspiratione in media syllaba docuerunt etiam Dausq. Orthogr. part. 2. p. 249. Scriver. ad Martial. Epigr. III. 66. et Epigr. V. 69. atque Comment. ad Lucan. VIII. 483. *Arntz.*

§ 10 *A Septimio*] Mediolanense exemplum *a Photino*, alii *a Theodoto* Ptolemæi præceptore. Nec mirum; variant enim narrantium sententiæ, teste Plutarcho et Appiano. Est autem L. Septimius, cujus Cæsar meminit tanquam desertoris, et Dio, lib. XLII. *Schott.* *Septimo* uterque Leid. Boend. et Haun. Pro *confossum* vero Boend. habet *interfectus*. Lucanus VIII. 618. 'Sed postquam mucrone latus funestus Achillas Perfodit.' Seneca de Brev. Vitæ cap. 14. 'Alexandrina perfidia deceptus, ultimo mancipio transfodiendum se præbuit:' et Val. Maximus III. 2. ex. 12. 'Vi doloris accensus latus Crassi sica confodit.' *Arntz.*

§ 11 *Itemque defuncti*] Aldus *Jamque*. Schott. Ita non solum Aldus, sed omnes edd. ante et post Schottum cum nostris Mss. *Arntz.*

Pracisum caput] Lucanus octavo Pharsaliæ: 'Tunc arte nefanda Summota est tabes capiti, raptoque cerebro, Exsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto Humor, et infuso facies solidata veneno est.' Cum antea de incessione dixisset, 'Dum lumina nuda rigescunt, Suffixum caput est.' *Mach.* Perpetua est confusio in similibus compositis, quæ a 'scindere' et 'cædere' componuntur, ut *s* vel duplicetur sine necessitate, vel abjiciatur, ubi id fieri non oportebat, quare hic etiam *præscissum* habebat Leid. 1. sed male. Livius XXIII. 24. 'Spolia corporis caputque ducis præcisum Boii ovantes intulere.' XXXVIII. 24. 'Jugulati præcisum caput ipsa involutum veste ferens.' XL. 6. 'Caput mediæ canis præcisæ et prior pars cum extis.' Seneca Suas. VII.

43. 'Præbenti inmotam cervicem, caput præcisum est.' Val. Maximus IX. 2. ex. ext. 5. 'Caput ejus et pedes præcisos matri misit.' Infra Epit. cap. 28. § 2. 'Medio capite supra ordines dentium præciso.' Quod idem 'excidere caput' dixit Capitol. in Clodio Alb. cap. 9. 'Caput ejus excisum pilo circumtulit.' Quintil. Decl. III. 13. 'An nobis caput barbarus hostis excidat.' Orosius v. 12. 'Caput Gracchi excisum consuli allatum est.' Ita 'excidere manus' apud Dict. Cret. III. 15. et Vulcat. Gallican. in Avid. Cassio cap. 4. Similiter 'abscisum' et 'abscissum' permutantur in Epit. cap. 23. ubi vide. *Arntz.*

Ignoratum] Qui *ignoratum* pro *adoratum* mordicus retinent, nihil gravius in eos dicam, quam in luce caligare, tametsi libri IV. excusi ita legant. *Schott.* Tam pulcram nobis lectionem *adoratum* primus procuravit Aldus, quam unicam amplectitur clarissimus Schottus; sed ego non libenter cœcum numen adoro, quod in aliorum cerebro natum publicæ superstitioni exponitur. *Ignoratum* volunt omnes olim editi et Mss. Ignotus enim erat gladii usus in abscidendis capitibus sub libera rep. cum hanc in rem securibus uterentur, ut voluerit Noster indicare primum hoc in Pompeio fuisse tentatum, quod firmat Lucanus VIII. 672. 'Tum nervos venasque secat, nodosaque frangit Ossa diu, nondum artis erat caput ense rotare.' Sine arte igitur fuit abscisum Pompeio caput, unde recte illo loco Scholiastes: 'Adhuc illo tempore nesciebant semel amputare caput a cervice:' quod expone, si vis, nesciebant gladio uno ictu caput amputare; hoc enim inter inelegantes carnificum artes recensebatur. Cicero in Verr. v. 45. et Tacitus Ann. XV. 67. sub inperatoribus demum usus gladii fuit inventus. Lactantius Div. Inst. v. 13. p. 335. 'Non tyrannicas jussiones, non Præsidum gladios tremunt.' Confer Lipsium ad Tacit. l. l. Casaub. ad Sueton. Aug. c. 15. Schulting. ad Quinctil. Decl. I. 10. et Comment. ad Florum II. 5. § 3. *Adoratum* tamen, si ita voluissent codd., posset defendere Amm. Marcellinus XIV. 11. p. 64. 'Ita colligatis manibus in modum noxii cujusdam latronis cervice abscissa (melius abscisa) ereptaque vultus et capitis dignitate, cadaver est relictum informe, paullo ante urbibus et provinciis formidatum.' Seneca Consol. ad Marciam c. 20. p. 285. 'Vidit Ægyptium carnificem et sacrosanctum victoribus corpus satelliti præstitit:' et Plinius Epist. VI. 10. 'Neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur.' Neque ideo tamen vera lectio damnanda erit. *Arntz.*

§ 12 *Nilo*] Vide Muncker. ad Hygin. Fab. XV. *Arntz.*

Jactatus] Malim *jactus*, quamvis lib. IV. excusi *jactatus* legant. *Schott.* Malim *jactatus* cum Palatinis. *Gruter.* Si alternis vicibus hæc vel illa vox probanda sit, ego malim *jactatus*, cum cunctis Mss. ed. Ven. et Mach. nec caussam video cur alii voluerint eam damnare. Lucan. VIII. 698. 'Litora Pompeium feriunt, truncusque vadosis Huc illuc jactatur aquis.' *Arntz.*

A Servio Codro] Lucanus, 'E latebris pavidus decurrit ab æquore Codrus.' Ac paullo inferius, 'Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes, Corpus vile suis, nullo custode cremantes.' *Mach.* *Codri* nominis vestigium nullum habet Palatinorum prior, quod tamen haustum e Lucani Pharsaliæ VIII. 715. Plutarchus pietatem istam adscribit Philippo, liberto Pompeii. *Grut.* *Codro* ab uno abest Fran. sed reliqui Mss. et edd. *Servio Codro* constanter scribunt. De cognomine hoc accurate disputat Oudend. ad Lucan. VIII. 715. qui existimat non *Codrum* esse appellandum,

sed *Cordum*, quomodo apud Lucan. ediderat Grotius; adeoque hic reponendum ex Tacito, *Cæsio Cordo;* sed cum aliter sentiant Mss. et eo loco et hic, nihil novandum duco. *Codros* iis temporibus Romæ notos fuisse ostendit Codrus poëta, cujus mentionem facit Virg. Ecl. VII. 22. ad quem locum Servius et Schol. Juvenalis Sat. I. 2. 'Vexatus toties rauci Theseide Codri.' 'Cordus' exstat apud Plinium Ind. lib. VII. et quos adtulimus sup. cap. 14. Itaque cum nihil certi de vero hujus hominis cognomine constat, Mss. lectionem admisi. Si quid mutandum, quod non puto, scribi posset *a servo rogo*, &c. ut *Codro* ex sequenti *rogo* male traxerit originem, quare etiam deesse in Fran. monuimus. Fuit enim iste libertus Pompeii, teste Plut. Pomp. p. 661. quem ille 'Philippum' vocat. 'Servum' appellavit ad augendam rei indignitatem, unde Appianus tantum dicit λοιπὸν σῶμα τὶς ἔθαψεν, *quidam*, homo vilioris conditionis, Bell. Civ. II. 788. *Arntz.*

Hic situs est Magnus] Usurpatur a Lucano Belli Pharsal. l. VIII. hemistichli loco. Solet fere concise *Magni* nomine laudari, quod a Sulla dictatore, qui eum ob singularem virtutem amabat, datum recordor: quo nomine et Persas reges suos appellare solitos, refert Plutarchus. Exempla infinita poëtarum sunt, ut me multitudo deterreat vel in uno Lucano. Vide et versus in fragmento Petronii Arbitri. Adrianus autem Imperator in Ægyptum veniens collapsum jam vetustate Pompeii sepulcrum instauravit addito hoc versu: 'Ossa viri Magni tenui quam clausa sepulcro!' Auctor Xiphilinus ex Dione in Adriano. Vide Egnatium ad Spartiani Adrianum. Meminit et Montis Cassii non procul Ægypto sepulcro Pompeii celebris IV. 9. Nic. Nicolaius geographus regius. *Schott.* *Hic positus est* omnes edd. ante Aldum, qui videtur hoc ex sententia Lucani mutasse, ut Noster cum illo potissimum poëta loqueretur. Sed *positus* quoque confirmant nostri scripti, qua voce uti voluit Aurelius, ne poëtam videretur agere. Ovidius Trist. El. IV. 2. 45. 'Et cinis in tumulo positus jacuisset avito.' Albinov. ad Liviam vs. 69. 'Vix posito Agrippa, tumuli bene janua clausa est.' Tale tamen hemistichium supra est in Hannibale: 'Hannibal hic situs est.' Deinde *Pompeius* exsulat ab omnibus scriptis, pro quo primam tantum litteram *P* locant priscæ edd. Facile ea possumus carere, quod viderat quoque præstantissima Anna, [Vide Not. Delph.] cujus judicium secutus est Oudendorp. ad Lucan. VIII. 715. De sepulcro Pompeii plura Erhard. ad Petron. Sat. cap. 120. p. 565. Ceterum in nota Schotti ipse auctor voluerat verba ultima a *meminit*, &c. ad finem deleri, ut monuit in add., sed cum ceteri post eum editores illa exhibuerint, et hic legi passus sum. *Arntz.*

§ 13 *Caput ab Achilla*] Plutarchus in fine vitæ Pompeii ita scribit: 'Cæterum non multo post Cæsar in Ægyptum sic perturbatam provinciam profectus, afferentem Pompeii caput, ut scelus, execratus est, ab ipso avertit, gemmam vero Pompeii cum suscepisset occulte illacrimavit, (ejus gemmæ signum erat ensis) Achillam atque Photinum jugulavit.' Claudat itaque opusculum nostrum carmen vernaculum laureati poëtæ Petrarchæ ita canentis nonagesimo septimo cantu: *Cesaro poi ch'el traditor de Egypto Gli fece el dono de l'honorata testa Celando la legreza manifesta Pianse con gli ochi fora, si come e scripto.* Lucanus idem asserit, 'Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit Jam bonus esse socer, lacrymas non sponte cadentes Effudit, gemitusque expressit pectore læto.' *Mach.*

Preciosissimis odoribus cremandum] Idem eodem in loco ita carmine comprobat: 'Vos condite busto Tanti colla ducis, sed non ut crimina tantum Vestra tegat tellus: justo data thura sepulcro, Et placate caput, cineresque in littore fusos Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.' *Mach.*

ADDITAMENTUM

VIRORUM ILLUSTRIUM.

CAP. LXXVIII. § 1 *Divus dictus*] A C. Octavio, Imperatore et Cæsare creato, siquidem ludis, quos ei Octavius hæres consecrato edebat, stella crinita per VII. dies fulsit; creditumque esse animam Cæsaris in cœlum recepti, dictumque 'Julium sidus.' Plutarchus in Cæsare. Horat. Carmin. I. 12. et Sueton. cap. 88. *Schott.*

Thermo] De quo Sueton. cap. 11. *Schott.*

§ 2 *Dolabellam*] De quo Sueton. c. 4. At illum repetundarum postulatum, tandem absolutum dicit. *Schottus.*

§ 3 *Rhodum petit*] Ut Apollonio Moloni clarissimo tum dicendi magistro operam daret: hunc audivit et Cicero. *Schott.*

Captus] Circa Pharmacusam insulam, et redemptus L. talentis. Piratas captos, primum strangulatos, cruci, ut inter jocum minatus sæpe fuerat, suffixit. Sueton. cap. 74. in Cæsare. L. Fenestella in Epitoma apud Diomedem grammaticum decollasse ait. *Schott.*

§ 5 *Cum ei triumphus negaretur*] Opinor aliam caussam fuisse: quod in sententiam Scipionis Metelli S. C. factum esset, Cæsarem, nisi intra certam diem exercitum dimitteret, contra remp. facturum videri, et ipse proximis comitiis absentis sui rationem haberi volebat. Sueton. Cæs. c. 28. Torr. et capp. 29. 30. *Schottus.*

§ 6 *Ablato*] Vox hæc sine dubio corrupta est ex *oblato*, cum præcisum Pompeii caput tanquam egregium munus Cæsari obtulerint Ægyptii. Vide Lucan. IX. 1010. Livium Epit. lib. CXII. 'Cum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset.' Celsum in Vita Cæs. pag. 214. 'Pompeii caput atque annulus offertur.' Hanc vocem per προσφέρειν exprimunt eadem in re Græci, Plutarchus in Pomp. pag. 662. et Appian. Alex. Bell. Civ. II. 792. *Arntz.*

§ 9 *Lentulum*] Tametsi Mss. sic legant, credo scribendum *L. Cæsarem*, quem cognatum suum utpote sibi semper infestum, jussit occidi. Dio l. XLIII. Sueton. c. 75. Afranium, cui semel in Hispania ignoverat, et quem quia iterum arma contra se tulerat, jussit occidi. Cæsar extremo commentario primo Belli Civilis, Florus Epitome T. Livii l. CX. Vell. Paterc. lib. II. et Ann. Florus lib. IV. L. vero Cornelium Faustum Sullam interfici jussit, quod gener Cn. Pompeii Magni esset, et de vindicta suspectus. Paullus Orosius VI. 16. et L. Ann. Flor. lib. IV. filiam Pompeii cum liberis etiam interemtam scribunt, si recte codd. habent; a quibus Appianus l. II. Belli Civilis, et seu Hirtius seu Oppius dissentiunt, qui incolumitatem a Cæsare datam affirmant. *Schottus. Lentulum* tamen minime nominat Florus IV. 2. § ultimo, sed neque a quoquam positus inter eos quos interfecit Cæsar: itaque jure ambigunt de veritate scripturæ viri docti. *Gruterus.*

§ 10 *In perpetuum*] Dictus autem a M. Æmilio Lepido, ejus anni prætore, qui post III.Vir. R. P. C. factus est. Plutarchus a senatu dictum ait, et undecim dies gessisse scribit. Vide Cæsar. Comm. libb. II. et III. initio de Bello Civili. *Schott.*

Occisus est] Quod hic scribit Noster de eclypsi solis falsum esse ostendit summus Scaliger de Emend. Temp. lib. V. p. 441. *Arntz.*

CAP. LXXIX. § 1 *Cæsar Octavianus*] In his breviores erimus, quod exstent copiosæ de his veterum lucubrationes, Suetonii, Dionis, Sex. Aurelii Victoris, eorumque qui Cæsarum vitas conscripsere. *Schott.*

§ 3 *Consulem*] Vox *consulem* mihi suspecta est. Neque enim tunc consul erat Antonius. *Anna.* Sed accipiamus hanc vocem generaliori significatione, de quocunque inperatore vel duce, qui bellum gerit, quomodo aliquoties supra; adde Dukerum ad Flor. II. 14. § 6. *Arntz.*

§ 4 *Sustulerant*] *Abstulerant* alii: Horat. Od. IV. 15. 'Et signa nostro restituit Jovi.' *Schott.*

Ultro reddiderunt] [Vid. Not. Delph.] Quid sibi velit hac nota bellissima femina, ego non percipio; utique certum est signa a Parthis Romam esse relata, cum in eo tantum dissentiant veteres, utrum hoc metu Augusti fecerit Phraates, an ut filium redimeret. Vide Freinsh. ad Florum IV. 12. § 63. Quare fortasse voluit Anna indicare, signa non 'reddita ultro,' sed potius 'redemta' esse. Sed tum non video quare Horatium falsi accuset. *Arntz.*

§ 5 *Inde Scythæ*] Sic Mss. scribe *Indi, Scythæ:* adstipulante Sexto Aurelio Victore in Augusto. *Schott.*

§ 6 *Jani gemini*] Jani templum tempore Numæ Pompilii, a quo ædificatum est, clausum A. ab U. C. XLII. et annis prope XL. Iterum C. Atilio Balbo II. T. Manlio Torquato Coss. anno DXVIII. post primum Punicum bellum et uno anno duntaxat clausum. Orosius III. 8. IV. 12. Tertio post Cæsaris Augusti ad Actium de Antonio et Cleopatra victoriam, pace terra marique parta, anno IↃCCXXIV. Livius lib. I. ab U. C. Suet. in Augusto cap. 23. ubi pro *tertio clausit* in veteribus Mss. est *ter clusit:* L. Ann. Florus, Orosius III. 8. et IV. 22. Plutarchus de Fortuna Romana, et alii. *Schott.* Luculenter in hac materia versatus est accuratissimus Massonius in Jani templo Christo nascente Reser. et præsertim Janum ter ab Augusto clausum fuisse evincit sect. II. c. 1. et seqq. *Arntz.*

CAP. LXXX. § 1 *Catonis Censorii*] Cujus supra vita est descripta c. 47. Vide genealogiam Catonum ex Ciceronis libro de laude M. Catonis apud Agellium XIII. 18. et Macrob. VI. 2. *Schott.*

Nec minus] E cænaculo enim præcipitaturum minabatur. *Schott.*

§ 2 *Quæstor in Cyprum missus*] Mox credo legendum esse *ad advehendam* ex illis quæ notavimus sup. ad c. 19. § 2. et Torren. ad Val. Max. I. 8. ex. 2. *Arntz.*

Platonis libro] Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς. Vide Val. Max. III. 2. *Schott.*

CAP. LXXXI. § 1 *Marcus Tullius Cicero*] Hujus vitam carptim delibabimus: neque enim copiose persequi est animus, tantum in fontes digitum intendam. Exstat enim Ciceronis per annos consulares tam accurate digesta historia a Francisco Fabricio Marcodurano, post Plutarchum, Sebastianum Corradum, et Benedictum Herbestum, ut omneis omnium in Ciceronem conatus exiguo libello superasse videatur. Illum autem manuscripto nostro quoque usum (ex Clivia enim liber allatus est) constat: ait enim se in vetusto cod. de Viris Illustribus vitam Ciceronis breviter comprehensam legisse, quæ hac appendice inclusa est: cæterum Fabricii vitam nisi invidæ Parcæ magno

rei litterariæ damno abrupissent, Demosthenis vitam inchoatam olim, ac similiter contextam, et jam ut audio affectam, haberemus: quam hæredum beneficio aliquando editum iri confido. *Schott.*

Patre equite Romano] At fulloniam fecisse, ac vites oleasque semper coluisse Q. Fusius Calenus apud Dionem XLVI. ait. Meminit patris sui Cicero de Legib. lib. II. et Ep. ad Att. lib. I. 5. *Schott.*

Genus a Tito Tatio rege] Eusebius in Chronicis et Plutarchus in vita Ciceronis genus ad Volscorum regem retulere, sed 'Tullum Attium' nominant: tametsi quidam codd. Τύλλος Ἄππιος pro Ἄττιος male: in Coriolano vero Ἀμφίδιος, non minus vitiose scribunt. Dion. Halicarn. semel Τύλλος Ἀτίδιος: alibi recte semper appellat: quo de in Coriolano nostro quoque mentio facta. Sil. Italicus lib. VIII. 'Tullum' quoque vocat: 'Tullius æratas raptabat in agmina turmas, Regia progenies, et Tullo sanguis ab alto,' &c. *Schott.* Et quæ breviter supra nos c. 19. *Arntz.*

§ 2 *Rosciano judicio*] Contra L. Sullæ dominantis opes Sextum Roscium Amerinum parricidii reum defendit. Cic. Offic. lib. II. Et primam caussam in Bruto vocat, publicam scilicet: nam pro Quinctio privatam apud Aquilium Gallum judicem egit anno ætatis XXVI. post Romam conditam DCLXXII. Quinctil. XII. 6. Vide Agell. XV. 28. qui Corn. Nepotem, ut Fenestellam Pedianus, erroris convicit, de anno actionis Roscianæ: disces ibidem et annum nati Ciceronis. Dixit et pro Q. Roscio comœdo anno DCLXXVII. ætatis XXII. ut recte Fabricius, repugnantibus reliquis, defendit. *Schott.*

Ex quo veritus invidiam] Sic et Eusebius in Chronicis, Calenus apud Dionem lib. XLVI. et Plutarchus. Ipse tamen in Bruto eam caussam dicit in Græciam proficiscendi fuisse, quod infirmitate corporis vocis contentionem in dicendo latera non ferrent. Triennium ergo a patria studiorum caussa afuit, temperavitque vocem; ut ad orandum paratior redierit, et validior. *Schott.*

Ubi Antiochum] Ascalonitam scilicet, ut Plutarchus vocat: de quo Cicero de Natura Deorum lib. I. in Bruto, Lucullo, et de Leg. lib. I. Plutarchus in Cicerone et Lucullo. *Schott.*

Molonem] Ms. noster *Milonem* depravate scripserat, nescio quid de Annio Milone, quem Cicero reum cædis Clodianæ defenderat, somnians. *Molonem* omneis appellant: quem audivit anno ætatis XXIX. DCLXXV. post Romam conditam. Antea quoque Romæ eidem operam dederat ætatis XX. ab U. C. DCLXVI. testis Cicero ipse in Bruto: Plutarchus in Cicerone et Cæsare: Strabo lib. XIV. Quinctil. III. 1. Sueton. in Julio: Valer. II. 1. Rursus anno XXVI. ætatis, DCLXXII. post U. C. cum legatus 'Molo' ad senatum Romanum de præmiis venerat: Rhodos enim sola bello Mithradatico in fide Romana permansit. Cicero in Bruto. Ad præturam usque Græce declamasse auctor est Suetonius de Claris Rhetoribus. Noster c. 76. et Paterculus libro priore post primam lacunam. Juvenalis Sat. X. de eloquentia plerumque perniciosa: 'Sævus et illum Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.' *Schott.*

Qui flesse dicitur] Plutarchus tristem fingit, neque orante Cicerone Græce lætitiam præ se tulisse. *Schottus.*

§ 3 *Quæstor*] Urbanus ætatis anno XXXI. U. C. DCLXXVII. Cicero in Pisonem: Verrina lib. VII. Fam. Epist. VII. 31. *Schott.*

Siciliam habuit] Anno insequenti. Quæstor autem erat Lilybætanus, prætore Sexto Peducæo, ut Asco-

nius: et M. Curtio, ut ipse oratione post reditum in senatu affirmat. Accidebat autem ut unus quæstor duorum prætorum esset. Nicolaus Gruchius II. de Comitiis. Duplex vero in Sicilia quæstor erat: unus Lilybætanus, alter Syracusanus dictus. Plutarchus, Ascon. Pedianus, et Cicero pro Plancio, Verrina libb. II. et VII. *Schott.* Latius hæc omnia, unde sua hausit Schottus, tractat Fabricius in Histor. Cicer. p. 69. *Arntz.*

Prætor Ciliciam] Fuit urbanus prætor A. U. C. DCXXCVII. ætatis XLI. Ciliciam vero provinciam consularem privatus sorte obtinuit DCCII. ab U. C. ætatis LVI. auctore Plutarcho, et Cic. ad Attic. Epist. V. 15. ad Fam. III. 6. Itaque prætor hic non eum significat, qui jurisdictioni in Urbe præest, sed qui cum imperio extraordinario in provinciam missus est, Græcis *στρατηγός*. *Schott.* De hac significatione vocis prætoris supra egimus c. 63. § 2. *Arntz.*

§ 4 *Pisone et Gabinio*] L. Calpurnius Piso Cæsonius et A. Gabinius consules in Fastis Capitolinis nominantur anno, ni fallor, DCXCV. *Schottus.*

Macedoniam Asiamque] Hoc loco Schottus pro *Asiam*, quod erat in Ms. reposuerat *Syriam*, quod scilicet existimaret nimis generale illud esse. Sed tamen eo modo emendare necesse non est, cum non solum Syria, verum et aliæ Asiæ regiones Gabinio fuerint attributæ, ut constat ex Cicer. pro Domo c. 23. 'Alteri Syriam, Babylonem, Persas integerrimas pacatissimasque gentes ad diripiendum tradidisses:' ut non mirum sit, si talem provinciam 'Asiam' appellet, quomodo Cicero Ciliciam 'Asiam' dixit ad Quint. Fratr. Epist. I. 1. 'Quare cura, ut hic annus qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur; quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quam nos in deducendo.' Similiter 'provincia Asia' occurrit apud Tacit. Ann. XIII. 43. et Agric. c. 6. Et certius lectionis hujus veritas confirmatur ex Floro IV. 2. § 12. qui scribit Cæsarem Gallias, Crassum 'Asiam' invasisse provinciam, per quam Syriam esse intelligendam constat ex Livii Epit. lib. CV. 'Crasso Syria et Parthicum bellum, Cæsari Gallia et Germania dabantur.' *Arntz.*

Opera hujus] Legendum opinor *operæ hujus*, qua de re vide Sigon. sup. 283. *Sylb.* *Opera hujus* intelligi debet de P. Clodio: sed tale quid vix patitur verborum nexus; itaque non immerito locus haberi queat suspectus de mendo. *Gruter.* Neque hic locus medicina eget, cum *hic*, etiam si solitarie ponatur, non ad proxime præcedens sed ad ulterius referri soleat. Exempla vide apud Burmann. ad Quinctil. Inst. II. 5. et Cort. ad Sallust. Jug. c. 18. § 9. Similis est locus Flori I. 26. § 7. 'Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumsit. Hunc Quinctii dictatoris inperio in medio foro magister equitum Servilius Ahala confodit.' Si Sylburgii conjectura reciperetur, potius Noster scripsisset *hujus operæ*. Arntzenius.

§ 5 *Ultro*] Nam præterquam quod Dolabellæ id negotii dedisset Cæsar victor, ut ad Ciceronem scriberet, ut quam primum in Italiam rediret; ipse literas ad eum ex Ægypto misit, ut esset idem, qui fuisset. Cicero ad Fam. lib. XIV. epistola ult. et orat. pro Q. Ligario. Vide Ep. ad Attic. lib. XI. extrem. *Schott.*

§ 6 *Formiis quiesceret*] Ita et Eusebius in Chronicis. Ad Caietam in villa sua, inquit Valerius Memorabilium I. 4. et Plutarchus: Appianus vero ad Capuam Ciceronis villam collocat; inde se a servis lectica ad mare deferri jussit. Idem Plutarchus plures corvos infausta auspicia dedisse ait. *Schott.*

Auspicio] Anno priore DCCIX. aliud prodigium exitium ipsi Ciceroni portendere videbatur: Minervæ enim simulacrum, quod in Capitolio, priusquam ex Urbe in exsilium abiret, dedicaverat, cum hac inscriptione,

MINERVAE. CVSTODI.
VRBIS.

vi turbinis dissipatum membris, pronum jacuit, fractis humeris, brachiis, et capite. Jul. Obsequens et Dio lib. XIV. et August. Civitatis III. 30. *Schott.*

Occisus est] Ab Herennio centurione et C. Popilio Lænate tribuno militum, quem parricidii reum olim defenderat: quo de vide Val. Max. V. 3. et Senecam in Declamationibus et Suasoriis. Caput et manus dextera, qua Philippicas scripserat, pro rostris, ubi sæpe verba faciens cum stupore hominum auditus fuerat, in contumeliam ab Antonio collocata. Spectaculum mehercle, horrendum, facinus crudele et impium, sive auctorem sive percussorem spectes. Vixit igitur Cicero annos LXIII. menses II. dies V. *Schott.*

CAP. LXXXII. § 2 *Cytheridem*] *Mimum* male in Ms. Cytheris autem meretrix, Volumnii liberta, Antonium in Galliam sequuta est: quam cum Cor. Gallus poëta eximius perdite amaret, ab illa spretus, repulsam impatienter tulit. Hunc igitur X. ecloga Virgilius inducit, illamque Lycoridem nominat: 'Tua, Galle, Lycoris Perque niveis alium, perque horrida castra sequuta est.' Quo loco vide Servium, et Cicer. Philipp. lib. II. Idem Ep. ad Attic. X. 12. 'M. Antonius Cytheridem secum lectica aperta portat, altera uxorem.' *Schott.*

§ 5 *Proconsul Galliam rexit*] Cisalpinam intellige, a Julio Cæsare ad bellum Africanum proficiscente, ei præfectus; auctor Appianus lib. II. Cicero Epist. ad Famil. VI. 6. qui ad illum quinque epistolas misit, quæ lib. XIII. exstant. Immemor tamen beneficii, de cæde Cæsaris cogitavit, et perfecit. *Schott.*

Philippiis] In Mss. assidue, ut non incuria quadam, sed de industria accidisse videatur. Urbs certe Philippi numero multitudinis appellantur. *Schottus.* Non debuerat igitur contra manuscripti auctoritatem peccare vir doctissimus, reponendo in textum *Philippicis*, præsertim cum notum sit, adjectiva illa regionum et in *icus* et *ius* terminari, 'Philippius' et 'Philippicus,' uti illud eadem hac in voce patet ex Velleio II. 86. § 2. 'Aut in campis Philippiis, si sic licuisset:' ubi alii itidem *Philippicis*, alii *Philippis:* neglecta una littera, quod fortasse etiam errori ansam dedit apud Val. Maximum I. 7. ex. 1. 'In campis Philippis Romani exercitus concurrerunt:' uti exstat in vet. editt. et Mss. levi mutatione pro *Philippiis.* Ita 'Pharsalius' apud Heinsium ad Claudian. Cons. Hon. VI. 400. et Oudend. ad Lucan. VI. 576. et VII. 787. qui hoc idem de aliis vocibus observavit ad II. 49. et VI. 402. Similiter 'Troius' apud Nicol. Heins. ad Ovid. Epist. I. 78. quæ vox ita emendatior occurrit apud Senec. in cod. scripto in Agam. vs. 637. 'Secura metus Troia pubes Sacros gaudet tangere funes.' *Arntz.*

Stratonis] Pro liberti nomine, librarii *Strabonis* scripserant, 'strabi' et ipsi fortasse, quos inter cæcos reges esse pueri didicerunt. Vide Valer. Max. VI. 5. et Plutar. in Bruto. *Schott.*

CAP. LXXXIII. § 2 *Osacem*] Sic emendo de ingenio. Osaces enim appellatur dux Parthorum insignis, qui [Paterculus II. 46. vide et Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio initio, Paullum Orosium VII. 13.] Pacori, filii regis Orodis [sic et Florus appellat de quo Oros. VI. 4. Appiano Ὀρώζης. Dioni vero Ὀρώδης est: aliis *Horodis* Albanorum rex] nomine, &c. in Syriam exercitum ductavit. Dio lib. XL.

Justin. lib. XLII. Plutarchus et Cicero Epist. ad Attic. v. 20. et ad Famil. Epist. II. 10. et Philippic. lib. II. In Mss. *Lysacen* scriptum inveni et *Sysacen:* quem non agnosco. *Schottus.* Quæ parenthesibus inclusa sunt, in addendis deleri jusserat vir erud. sed cum a sequentibus editoribus tamen recepta sint, et hic exprimi sum passus. *Arntz.*

§ 3 *Syriacis*] Horatius Od. I. 31. 'Dives et aureis Mercator exsiccet culullis Vina Syra reparata merce.' Fuere autem Syri mercatores. Strabo, Mela I. 12. Ezech. XXVII. 'Syrus negotiator tuus.' D. Hieron. Epist. ad Demetriadem 'avidissimos mortalium Syros' vocat. Et Salvianus de Vero Judicio, lib. IV. 'negotiatorum et Syrorum vitam nihil aliud esse' ait, 'quam meditationem doli et trituram mendacii.' *Schott.*

Caryota] Varro de Re Rust. II. 1. extr. 'Non scitis palmulas Caryotas Syria parere in Judæa, in Italia non posse?' De Caryotis sæpe Plinius, meminitque Strabo Geogr. lib. XVII. *Schott.* *Caruota* seu *Caryota* proprie sonat eum, qui Caryotis palmulis negotiatur, quarum palmularum mentio apud Dioscoridem I. 149. et Aëtium II. 30. nec non apud Varronem de Re Rust. II. 1. et apud Plinium compluribus in locis. Simili scommate Vespasianus ab Alexandrinis dictus est Κυβιοσάκτης, ut in ejus vita tradit Suetonius cap. 19. *Sylb.* Et vir stupendæ lectionis Salmasius ad Solinum p. 927. *Arntz.*

Cum eandem fortunam] Mox pro *Pandaro* melius *Pindaro* restituit Voss. ad Vell. Paterc. II. 70. § 2. *Arntz.*

CAP. LXXXIV. § 2 *Neptuni se filium*] Unde et Neptunius ab Horatio dicitur per derisum. *Anna.* Et Dacer. ad Horat. Epod. IX. 7. Quare crediderim nummum, quem Havercampus ad illustrandum Josephum adtulit, quemque vir harum rerum peritissimus de Cn. Pompeio exponit tab. I. num. 16. potius pertinere ad Sextum Pompeium, cum in illo et tridens Neptuni et delphinus conspiciatur, et Nasidius, cujus nomen ab altera parte legitur, classi Sext. Pompeii præfuerit. *Arntz.*

Carinis] Ad Telluris ædem, in qua regione Pompeiorum domus. Suetonius de Lenæo grammatico: 'Docuit in Carinis ad Telluris, in qua regione Pompeiorum domus fuerat.' Sic enim emendandum censeo. *Schott.* Jocus Sexti Pompeii de carinis refertur etiam a Velleio II. 77. Sueton. in libro de Illustribus Grammaticis Pompeiorum domum fuisse scribit in Carinis, ad ædem Telluris. *Sylb.*

Rupto per eundem Antonium] Antonius in hac pugna afuisse dicitur, et in Asia non procul Lesbo adversus Medos rem male gessisse: quare suspicor legendum *eundem Pompeium;* nam ille latrociniis rursus mare vexarat, nec pacem, quam acceperat, præstabat. Vide Oros. VI. 18. Legendum puto, 'Continuo,' inquit, 'cum contra pactum Pompeius fugitivos adlegeret, et hostis habitus est.' *Schott.* Potius existimarim *Antonium* a glossatoris manu interrepsisse, et *eundem* referendum ad Pompeium; neque tum quidquam debet offendere, quod sequatur 'Sextus,' cum tales constructiones novæ non sint. In prioribus edd. conjectura Schotti hæc legebatur, *Rupto per eundem Pompeium fœdere, ab Augusto.* Sed contra mentem viri optimi, qui tres ultimas voces expungi jusserat in Add. Tamen vulgatas editt. secutus est Hesselius ad Vibium p. 75. *Arntz.*

CAP. LXXXV. § 1 *Lupercalibus*] Hoc est, XV. Kal. Martii. *Schott.*

Inponere tentavit] Et imposuit unus e Lupercis Antonius. Cæsar vero in sella reposuit: quod invidiosum fuit, tamquam regnum affectaret; unde M. Æmilius Lepidus se avertisse dicitur, et displicere sibi servitutem,

mœstitia vultus declarasse. Vide Plutarchum in Antonio, Dionem, Appianum, et Ciceronem Philipp. II. III. et XIII. idemque epistola quadam apud Quinctil. IX. 3. 'Data Lupercalibus: quo die Antonius Cæsari.' Notat Quinctilianus aposiopesin esse, et 'diadema imposuit' exaudiendum. *Schott.*

Perusii fame domitus] Confundit prænomina duorum, quæ supina negligentia in unum hominem confert: de victo M. Antonio, et fame domito Lucio, ita Lucan. I. 41. 'His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores Accedant fatis.' Et Vell. Paterc. II. 74. *Arntz.*

Ibi Lepidum sibi collegam adjunxit] Factum id a. d. III. Kal. Junii anno DCCX. U. C. quo nuntio accepto Octavianus Cæsar caussam optimatium sine cunctatione deseruit. Cicero Epist. ad Famil. X. 23. Plutarchus in Antonio, Appian. lib. III. et Paterculus libro posteriori. Lepidus igitur pridie Kal. Quinctileis sententiis omnibus hostis a senatu judicatus est, cæterique qui una cum illo a republica defecerant; quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Septembris potestas facta fuit. Cicero Epist. ad Famil. XII. 10. ad Brutum Epistol. 16. et 19. Dio lib. XLVI. *Schott.*

De quindecim legionibus] 'Sedecim' habet L. Ann. Florus lib. IV. et in Syriam profugisse; alii in Ciliciam ad illum venisse Cleopatram referunt. *Schott.*

CAP. LXXXVI. § 1 *A fratre suo Ptolomæo*] Fuit hic Auletis filius, Ægypti rex XIII. ut puto: Cleopatra vero XIV. qua devicta Ægyptum in provinciæ formam redegit Augustus. Notandum autem Junonem quandam fuisse Cleopatram: quæ regis et soror et conjux. Dio lib. XLII. de Cæsare, Brissonius de Jure Connub. p. 5. Lacedæmone enim et Athenis dimidium licebat, Alexandriæ totum. Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει, seu ludo de morte Claudii. Spartanis autem uterinam, id est, eadem matre natam sororem ducere licebat: Atheniensibus germanam, hoc est eodem patre natam. Alexandrinis vero et germanam et uterinam. Auctor Corn. Nepos in præfatione et in Cimonis vita (quæ tamen loca interpretes male explicarunt) Plutarch. extrem. Themistocle. Vide Alexandrum ab Alex. II. 24. et Turnebum Advers. lib. XVIII. Pulcher exstat apud Philonem Judæum libro de Specialibus Legib. initio super hac re locus, quem non pigebit illustrandæ rei adscribere: Ὁ Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίοις ἐφιεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν· ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἔμπαλιν, τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπεῖπεν· ὁ δὲ τῶν Αἰγυπτίων, χλευάζων τὴν ἑκατέρων εὐλάβειαν, ὡς ἡμίεργα διαταττομένων, εὐφόρησεν εἰς ἀσέλγειαν. Porro de Cleopatra vide Tertullian. extremo libro ad martyres et historicos Rom. omneis. Hæc enim ut virgo Vestalis Ilia, seu Rea Silvia historiam inchoavit, ita claudit: Prostratæ libidinis et illiciti concubitus utraque pœnas dedit: hæc veneno, illa humi viva defossa. Hic igitur omnis historiæ fructus est uberrimus, ut aliorum exemplis admoniti, ab his potissimum vitiis declinemus per quæ regna sæpenumero mutantur, et provinciæ (quod velimus, nolimus, pro dolor, cernimus) in alium statum, conditionem, adeoque et religionem demigrant. *Schott.*

§ 3 *In mausoleo ejus*] De genere hujus mortis conferatur Bochartus Hier. part. II. lib. III. cap. 1. Drakenb. ad Silium II. 417. et Gemma apud Augustin. In Gemm. part. I. num. 78. *Arntz.*

DE CÆSARIBUS.

CAP. I. § 1 *Septingentesimo, &c.*] Vide Freinshem. ad Flori Prooem. lib. I. § 1. *Arntz.*

Vicesimoque duobus] Sic integre scriptum habet calamo exaratus codex, pro *secundo.* Quæ res statim initio operis conturbare lectorem queat; verum insolens non est auctori nostro numerum cardinalem ordinali et retro vicissim commutare, ut Grammaticorum filii appellant. Sic in Tiberio infra disertim reperi: 'Cum imperium tres atque viginti, ævi octogesimum, uno minus annos egisset.' In Gordiano, 'Periit sexennio imperii:' et Severo, 'annis regni duodeviginti exstinctus est.' Quæ si quis afferat non ab auctore, sed a librariis esse, qui compendio notisque signatos numeros efferre recte non poterant, animus est non vehementer contra pugnare. Certe apud Tacitum reperias sæpe, 'una et vicesima,' 'duo et vicesima legio,' 'una et vicesimani,' Histor. Augustæ libb. II. et IV. nisi quis composita esse malit, ut 'undevicesimus' et 'duodevicesimus.' Erit fortasse qui sic interpungendum putet *vicesimoque, duobus etiam;* ut ἐλλειπτικῶς *additis*, vel simile exaudiatur. Sed hæc lubens volensque refero ad III.viros stlitibus judicandis, a quibus ad populum provocare religio sit. *Schott. Vicesimoque secundo* libuit exprimere, quamvis adnotaverit amicissimus Schottus codicem calamo exaratum integre scriptum habuisse *vicesimoque duobus:* aliis enim in Mss. fere scribitur, *DCCXX. que II.* adeo ut librario potius imputari debeat hujusmodi resolutio. 'Porro si credendum est stylo, alius est auctor hujus libelli, quam cui attribuitur superior. *Grut.* Et cum in Epitoma legatur *vicesimoque secundo,* ita exprimere malui, ne novum quid intruderem, quod forsan negligentiæ librariorum tantum tribuendum. *Arntz.*

Etiam] Immo vult dicere, Romæ etiam esse incœptum regnari, cum antea libera illa fuisset urbs. *Arntz.*

Magni avunculi] Male subditicius Victor, qui hactenus circumfertur, *majorem avunculum* facit, Suetonii errorem sequutus Augusto cap. 7. qui tamen, tanquam sui oblitus cap. 24. 'sororis nepotem' appellat. Vide l. JCtos. § quarto gradu. D. de Grad. et Affin. *Schott.*

Patriam] Lege *partium.* C. Cassii imaginibus adscribi solebat, 'duci partium.' Tacit. Annal. lib. XVI. *Schott.* Non absurde legendum putat Schottus *partium;* sed ita tamen, ut et sua sit indoles scripturæ receptæ. *Grut. In patriam* restituebat Barthius Advers. LIV. 13. Sed hanc Schotti conjecturam veriorem esse æstimabat sagacissimus Gronovius Obs. IV. 5. 70. Cujus judicium lubens sequor, nisi mavis *Actiacam.* Arntz.

Illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie vulgo, cæteros haud difficulter subegit] Sumpsit a Tacito, qui inquit Annal. II. 1. 'ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit,' &c. *Grut.*

Nisi Germaniæ] Pro 'excepta Germania;' vel præterquam Germanorum ferocia. Sic mox utitur voce 'absque.' *Schott.* Simili significatione Terent. Heaut. I. 1. 89. 'Corrasi omnia, Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico Faciundo facile sumtum exercerent suum.' Sallust. Jug. cap. 75. § 3. 'Igitur omnia jumenta sarcinis levari jubet, nisi fru-

mento dierum decem :' et Ovid. Epist. II. 27. ' Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amavi.' De 'ferocia' Germanorum Claudianus Cons. Hon. III. 18. ' Te nascente ferox toto Germania Rheno Intremuit.' Senec. Herc. Fur. vs. 1324. &c. *Arntz.*

§ 4 *Civiles*] Hinc confirmatur vera lectio apud Ovid. Tr. El. IV. 4. 13. qui de Augusto : ' Ipse Pater Patriæ, quid enim civilius isto?' in aliis est *communius*. Sed illud etiam Suetonius Aug. c. 51. § 1. ' Clementiæ civilitatisque ejus multa et magna documenta sunt :' et in Epit. c. 1. § 20. Adde Baudium ad Plin. Paneg. c. LXXVIII. § 3. *Arntz.*

Intemperantie] Quinta inflexione, ut ' intemperies ' et ' materies.' Pugnant autem hæc cum Suetonio cap. 78. Mox *mire teneretur* legi mavult JCtus, frater carissimus, et vero syllaba geminata videtur. *Schott.* Locum hunc examinat Casaubonus noster commentariis ad Suetonii Augustum capite 78. qui consulatur. *Grut.*

Retineretur] Forte *detineretur*, aut simpliciter, *teneretur*, quod et aliis in mentem venit. *Grut.* Sed compositum hoc verbum sæpe pro simplici ' tenere ' accipitur. Seneca Medea vs. 67. ' Et cornu retinet divite copiam.' Quæque Duker. ad Florum II. 20. § 3. Si quid erit mutandum, sine dubio præferendum erit simplex *teneretur*, cum facillime ultima syllaba vocis *mire* sequenti adhæserit. *Arntz.*

§ 6 *Tribunicia potestate perpetuo habitus*] Vide Spanhem. de Usu Num. Diss. XII. 424. *Arntz.*

Romæ] [Vide Not. Delph.] Hæc repetita ex notis Torrentii ad Sueton. Aug. cap. 52. Sed vir de posteritate optime meritus, hæc loca nullo modo adtulit, ut demonstraret Augusto vivo templa Romæ esse posita, qui honos ei demum habitus est mortuo et in Deorum numero relato. Concedimus quidem, eum cum adhuc terras coleret, a multis scriptoribus ' Deum Numenque ' esse appellatum, qualia exempla collegit Britanniæ decus Bentleius ad Horat. Ep. II. 1. 16. Sed hoc privata factum est auctoritate, cum adulandi libidine elogiis suis et laudationibus modum non statuerent poëtæ. Nec tamen unquam tale quid factum fuit publico consilio, ut vivo templum in ipsa Urbe ei dedicaretur. Accuratissimus igitur Vignoli de Col. Anton. Pii c. 5. p. 82. existimat hanc esse mentem auctoris : ' quod vivo Augusto templa cum sacerdotibus in provinciis, Romæ vero post ejus obitum sacrata institutaque fuerint.' Sed an hunc sensum verba queant ferre, admodum dubito, certe expositio videtur longius quæsita. Neque tamen aliud quidquam invenio, nisi confugiamus ad errorem Victoris, vel verba nonnulla mutatione ita scribamus : *Huicque uti* (vel *et*) *Deæ Romæ, provinciis omnibus.* Uti indicet, in provinciis Augusto et Romæ communi nomine dedicata fuisse templa, quod vivo Augusto accidisse constat ex Suetonio in Aug. c. 52. § 1. ' Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit :' et ex similibus apud Spanhem. de Usu Num. diss. XII. p. 489. et diss. XIII. p. 650. De Dea Roma vide quæ latius in diss. de Col. Com. c. III. § 7. Porro de aliis Augusti templis posses inspicere Suet. Tiber. c. 40. § 1. c. 47. § 1. in Calig. c. 21. Strabon. IV. 292. Grang. ad Juven. Sat. I. 40. &c. *Arntz.*

§ 7 *Absque liberis tamen simulque conjugio*] Id est, præterquam in liberis, vel si liberos excipias. Et in Caligula, ' immaturo absque Octaviani interitu ;' id est, præterquam quod Augustus ad seram et maturam senectutem pervenit. Quomodo usurpat et Amm. Marcellinus et id ætatis scriptores. Plauti illud totiens obvium, ' absque illo esset ;' ' absque te foret,' pro sine te : in Capteivis, Me-

naechmis, Bacchidibus, Trinummo. Et Terentii Phormione et Hecyra: 'Quam fortunatus cæteris sim rebus, absque una hæc foret.' *Schott.* Vult dicere fuisse fortunatiorem principem quam patrem aut maritum: adeo ut de eo intelligenda veniant ista Plinii Panegyrico ad Trajanum cap. 83. 'Multos illustres foris claros domestica destruebat infamia; et ne maximi viderentur hoc efficiebat quod mariti minores erant.' De hac domestica infelicitate, diximus plura ad illud Taciti: 'Ut valida Divo Augusto in rempublicam fortuna, ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis,' &c. Annal. III. 24. *Grut.*

Judæi] Expresse scriptum, sed haud dubie *Indi* legendum. Idem mendum insederat in Victoris Augusto supra inter Illustres Viros. *Schott.* *Indi* hic pro *Judæi* habent unanimi consensu Florus IV. 12. et Suetonius in Aug. c. 21. *Sylb.* Horatius Carm. Sec. 55. 'Jam Scythæ responsa petunt, superbi Nuper et Indi.' Adde Od. I. 12. 56. Oros. VI. 21. 'Interea Cæsarem legati Indorum et Scytharum, toto orbe transmisso, tandem ibi invenerunt.' Strabo Geogr. XV. 1006. et 1047. Rufus in Breviar. c. 19. aliique. *Arntz.*

Garamantes] De Garamantis apud Tranquillum pax: eos L. Ann. Florus, sive is Seneca est, M. Durnio subigendos datos esse scribit. De Bactris æque altum silentium. *Schottus.*

CAP. II. § 1 *Claudius Tiberius Nero*] In nominibus istis *Claudius Tiberius Nero* anastrophe est infra quoque 532. 24. itemque supra 493. 44. 'Menenius Agrippa Lanatus:' et 492. 12. 'Tarquinius Sextus:' et 66. 17. ex Livio, 'Manlius Cnæus.' Itemque apud Julium Capitolinum bis terve 'Antoninus Marcus.' In his enim prænomina Tiberius, Agrippa, Sextus, Cnæus, Marcus naturæ ordine debebant præcedere. *Sylb.* Adde Gronov. ad Senec. Epist. XL. et Duker. ad Florum III. 21. § 18. *Arntz.*

Quæ metuebantur] 'Cum cunctandi Tiberio caussa' (sunt verba Suet. Tib. c. 25.) 'fuerit metus undique imminentium discriminum;' malim scribere *metuebat ante, satis, &c.* sed tamen et recepta potest se tueri. *Arntzenius.*

Cujus nomen astu obtinebat] Ita scriptum erat, sed recentissima manu in *abnuebat* mutatum, forte ex auctoritate formis editorum. J. Olivario J. C. non displicebat antiquam illam vocem retineri, nam 'obtinere,' ut 'pertinere;' unde 'obstinatus,' et 'pertinax.' *Schott.* *Obtinebat* veteris libri scriptura est, sed recentiori manu pro ea repositum *abnuebat*, ut infra in Epitome c. 2. § 6. et apud Sueton. in Tiberio c. 24. *Sylburg.* Aut reponendum *abnuebat*, quemadmodum restat in altera Epitoma infra capite secundo, aut rescribendum *cujus nomine astu abstinebat*: quæ heic dicit Olivarius, auribus meis lapides sunt. *Grut.*

Bonis initiis idem perniciosus] Suspicabar aliquando legendum *bonis initiis, fine perniciosus;* ut velit egregium vita famaque imperii principio, sed postremo in scelera ac dedecora prorupisse; quemadmodum de eo loquitur Tacitus Annal. VI. c. 51. *Grut.* Cicero in Bruto c. 34. 'L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus, tristes exitus habuit consulatus:' et Sulp. Severus Hist. Sacr. II. 44. fine, 'Hoc vero modo concilium dimissum, bono initio fœdo exitu est consummatum.' *Arntz.*

§ 2 *Adhuc*] Quoniam bis repetitum, alterutrum tollendum, vel forte *adeo execratur* legendum. Victori vero familiare *adhuc* pro *adhæc*, ut nihil æque: quod monere placuit, ne quis aut damnet tanquam infrequens, aut veluti mendum mutet. *Schottus.* Fatuum esse alterum ex his duobus *adhuc*, nemo non videt. Ego, cum tam abrupte

positum sit hoc odium in urbes et conventus, existimo aliud prorsus latere; nimirum mentionem ejus loci, quo velut in exsilium actus ætate optima Tiberius, post eum solitudinis cultum Capreis repetisse dicatur. Scribam itaque, *Adhuc dum urbes et conventus a Rhodo exsecratur.* Fuit autem Rhodi aliquamdiu Tiberius prorsus hominum cœtu exemtus, vitans etiam prænavigantium allocutiones, ut auctor Suetonius c. 12. 'Fuit vero toto octennio Rhodi Tiberius,' ut sane insularem illum secessum merito traxisse illum Capreas scripserit Victor. Hæc Barthius, Adv. LIV. 13. Sed lubens fateor, nondum me capere hujus sententiæ acumen, vel quomodo hæc verba talem interpretationem patiantur. Non enim Rhodi permansit proprio judicio Tiberius, cum exsulem ibi magis egisse scribat Tacitus Ann. I. 4. et Suetonius Tib. c. 59. 'Omnia si quæras, et Rhodos exsilium est.' Adeo ut minus verisimile fiat, eum jam in inperio positum tam inamœnum secessum repetere voluisse, ut exsilii sibi imaginem proponeret, cum præsertim et Rhodi 'contra voluntatem' remanserit, teste Suet. cap. 14. Neque abrupte positum est odium in urbes, cum ejus rei caussam satis reddat sequentibus verbis, ne in omnium oculos incurrerent ejus flagitia, cum secessus hisce sceleribus videretur adcommodatior, quam loca mille testibus repleta. Ego cum Schotto secundum *adhuc* deleo, uti negligenter a dormiente librario repetitum, nisi pro eo mavis scribere *adulter.* Arntz.

Flagitiis obtentui] Sic Tacitus loquitur: 'Deletæ omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus.' Hist. Aug. lib. II. Mox pro *solitis,* quod in Ms. est, leg. *solutis* ex Suetonio cap. 41. Vulgata ed. *resolutis.* Schott. Et Ryckius ad Tacit. Hist. I. 49. *Arntz.*

§ 3 *Inter exedra*] Veteris libri scriptura est; quam religiose, qua fieri poterit, in textu retinebo, ut divinare cuique sit integrum. Olivarius ex edito *inter exordia* legendum censet, cui assentior; sic enim infra in Alexandro Severo loquitur, 'Paulloque inter exordia patriæ reddito.' Dio refert ad annum Tiberii quartum, quo ipse tertium, et Germanicus iterum Coss. fuere. Recte igitur *inter exordia.* Schott. Placet et mihi conjectura J. Olivarii *inter exordia.* Grut. Nihil potest hac lectione esse certius, quare vel in ipsum textum eam admittere non dubitavi, cum et ita alio loco loquatur auctor, et Amm. Marcellinus XXX. 6. 'Adhæc Inperator ira vehementi perculsus, et inter exordia respondendi tumidior:' pro quo ceteri frequentius dicunt *inter initia.* Tacitus Hist. l. III. c. 18. 'Læto inter initia equitum suorum prælio.' Justinus XI. 2. § 4. 'Inter initia multas gentes rebellantes compescuit.' et XXI. 1. § 3. 'Sed Dionysius inter initia regni avunculos fratrum suorum tollere gestiebat.' Sulp. Severus Hist. Sacr. II. 47. § 5. 'Arbitrantes posse inter initia malum comprimi.' l. 3. § 2. ff. Quod vi aut clam. l. 2. § 5. De doli mal. except. Burm. ad Petronium cap. 43. et ceteri. *Arntz.*

Quæ de Farnace] Ita Mss. Legendum tamen ex Tacito *quæ Tacfarinate duce,* quo de libb. II. et III. Annal. Pharnacis Syri mentio est in Eutropii Mss. Trajano lib. VIII. *Schottus.* *Tacfarinate* scribendum erit, si Taciti auctoritate standum. *Grut.* Est hujus mentio apud Tac. II. 52. III. 32. IV. 13. et alibi. Neque mirum est ex ignoto vocabulo et adeo barbaro duas voces fecisse librarios, scilicet non adeo stupidi erant, ut nunquam de Pharnace, seu ut est in Mss. *Farnace,* aliquid inaudivissent. Et durius esset 'prorumpere de duce,' quod vix Latinum credo. De Pharnace Syro

quod Schottus habet, nihil huc pertinet, et turbant apud Eutrop. l. VIII. c. 3. admodum Mss. *Arntz.*

§ 4 *Dispersæ*] Per centurias, inquit Dio lib. LVII. *Schott.*

Proximis municipiis seu Romæ] Sueton. Augusto c. 49. 'Certum numerum, partim in urbis, partim in sui custodiam allegit.' Et mox: 'Neque tamen unquam plures, quam tres cohortes in urbe esse passus est: easque sine castris, reliquas in hiberna et æstiva circa finitima opida dimittere assuerat.' Quæ faciunt illi loco illustrando, 'nam ceteros paritorum,' Paullus JCtus. vid. l. 3. D. de Officio Præfect. Vigilum, qui 'tribunos' ab Augusto esse appellatos ait. *Schott.*

In castra apud urbem redegit] Consilio Ælii Sejani. Cor. Tacit. Annal. lib. IV. Dio lib. LVII. Plinius IV. 5. Tranq. Tiberio c. 37. 'Romæ castra constituit, quibus prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus et per hospitia dispersæ continerentur:' vide et Octavio c. 49. *Schott.*

Præfecturam appellans vel augens prætorio] Cum antea 'præfecti cohortium prætoriarum' dicerentur, 'præfecti prætorio' dici cœpere; et vim 'præfecturæ' modicam antea, hoc Sejani commentum intendit. Tacitus initio lib. IV. Vide l. unic. D. de Offic. Præfecti Prætorio. *Schott.*

CAP. III. § 1 *Claudio Tiberio*] Mss. *Claudio Ferian*, quod ex *Tiberio jam* factum apparet ab imperitis librariis; nam quod oræ recenti manu adscriptum erat *fere jam* nauci non est. *Schott.* Ego suspicor scriptum Victori, *Igitur Claudio senio an insidiis:* cum incertum fuerit genus mortis Tiberianæ; nam alii defecisse, alii Macronis jussu interstinctum putaverunt. Vide Tacit. ext. Ann. VI. Sed et veneni a Caio dati suspicionem fuisse notat Suetonius, quas potius insidias dixerit Victor. *Barthius* Adv. LIV. 13. Dura certe Schotti est conjectura ex *ferian insidiis* efficere *Tiberio jam insidiis.* Arrident magis illa Barthii, nisi mecum existimes propius ad litterarum ductum et elegantiam scribi posse *Fato an insidiis.* Fatum pro tempore naturali morti destinato frequens est apud bonos auctores. Justinus IX. 8. § 3. 'Qui partim fato, partim ferro periere:' et XXXIX. 4. § 5. 'Spiritumque non fato sed parricidio dedit:' quibus in locis eodem modo hæc duo, mors naturalis et insidiæ, inter se opponuntur. Vide Vorst. ad Just. II. 2. § 13. Virgil. Æneid. IV. 696. 'Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.' Sic domum Plutonis ingredi ὑπὲρ μοῖραν, *præter fatum* dixit Homerus Iliad. *υ.* vs. 336. Addas et Aristotelem de Respir. c. 17. Longam disputationem hac de re instituit Abramus ad Cicer. Orat. Phil. I. 4. Spondanus ad Homerum Iliad. *α.* vs. 3. et Cellarius ad Eutrop. I. 11. Hoc est, quod Florus III. 9. dixit 'præcipere fata veneno.' Et certe dubium fuisse an fato an insidiis perierit testatur Suetonius c. 73. Quare cum certe una ex quatuor hisce conjecturis esset recipienda, *ferian* enim nemo intelliget, et certior lectio ad manus non sit, fortasse mihi æquior visus sum quam par est. Sed suam cuique relinquimus sententiam et liberum judicium. *Arntz.*

§ 2 *Preavus*] Augustus proavus Caligulæ per Juliam filiam et Agrippinam neptem. Agrippa avus maternus per Agrippinam filiam. Germanicus avus paternus, qui ex Antonia minore Germanicum Caligulæ patrem genuit, ipse Germanici et Agrippinæ filius. Quæ cum ita sint, adderem *paterno Drusus Germanici pater*, quod ab oscitante vel festinante scriba omissum videtur, si S. P. Q. literatus auctores fieri vellent. *Schott.* Bene monet Schottus interserendum *Agrippa, paterno Drusus.* Tale enim quid postulat sententia et veritas,

Grut. Sed quid opus vocem *paterno* hic velle interponere, cum ex seqq. verbis, 'pater, a quo is (sc. Caligula) oriebatur,' satis declaretur eum hic de genere paterno loqui, ut supra de materno? Adeoque hoc voluit omittere, ne videretur ταυτολογεῖν. *Arntz.*

§ 3 *Matris*] Agrippinæ, quam primum in Pandatariam insulam relegavit, oculoque per centurionem verberibus excusso mortuam inedia est criminosissime insectatus. Sueton. Tiberio c. 53. Neronem et Drusum fratres Caligulæ ab senatu hostes judicatos criminante Tiberio fames absumsit. Idem Tiber. c. 54. et Calig. c. 7. Tacit. Annal. lib. v. et Dio lib. LVIII. *Schott.*

§ 4 *Tantæ familiæ*] Afflictæ domus. Sueton. Calig. c. 13. *Schott.*

Similem fore sui] An *suis?* patri, avo, proavo: quod sequentia confirmant: an *similem sui?* uti de se Tiberius ambigue initio dicere solebat, 'similem se semper sui futurum.' Tranq. Tiber. cap. 67. Sed illud immane quantum præfero. *Schott.* Requirunt sequentia ut cum Schotto legamus *suis*. Grut. Et sic laudat Is. Casaub. ad Spart. Severo c. 20. *Arntz.*

Sapientum plures] Copiose hæc Ælius Spartianus extremo Severo. Nota autem agrestes, doctis opponi, ut infra Vespasiano, 'bonis indocti et prudentibus inertes.' 'Homine enim imperito numquam quidquam injustius,' Terentius Adelphis. *Schottus.*

§ 6 *Caruisse liberis utilius duxere*] [Vide Not. Delph.] Vel Ἡρώων τέκνα πήματα. Vide Erasmum in Prov. tit. 'Degenerantium in pejus.' *Arntz.*

§ 7 *Neque meliores famulos*] Veteres libri. Rectius tamen *meliorem famulum* ex Tranquilli c. 10. et Taciti Annal. lib. VI. qui Passieni oratoris dictum esse scribit, quem Plinius Nat. Histor. XVI. 44. et Seneca sæpe laudant. *Schott.*

Uti talia ingenia veteris solent] Dubites utrum legas in Mss. *recens* an *veteris solent anni mensibus:* illud ut referas ad imperii initium, hoc ad id tempus quod Tiberii mortem antecessit: ideo quod populares fere sint qui magistratus ambiunt, et simulant vultum, verba, preces, blanditias: deinde nacti quod cupierant, personam illam exuunt; ut Appius decemvir. Ita fere Q. Tullius de Petit. Consulatus. Sed huic repugnare videtur illud, 'nactus potestatem.' Quid si *veteris olim anni mensibus* legas? Petrus Pithœus, quem ego ob singularem doctrinæ conjunctam humanitatem pro eo ac debeo amore complector, *deteri solent* legendum divinabat. Et mox *inter Patres*, εὐστοχῶς. Quæ autem populariter, quæque liberaliter in populum et civiliter gesserit Sueton. cap. 15. deinceps et Dio l. LIX. *Schott.* Forte *verti solent*. Petrus Pithœus divinabat *deteri solent:* non male. Sed neque sic tamen, meo judicio, locus persanatur. *Gruter.* Neque hisce conjecturis locum hunc persanari recte meo etiam judicio censuit Gruterus, cum in altiori vitio cubare videatur, quod nisi ope Mss. quibus destituimur, tolli non possit. Quis enim, qui humane loqui velit, unquam dicet, aliquid mutari *anni mensibus?* Nam exponere uti quidam facit, 'talia ingenia verti solent perinde uti menses anni,' nihil est; duæ enim tantum sunt hujus principis mutationes, vel cum optimus esset famulus, vel cum atrocissimus dominus, neque semel factus tyrannus postea ad meliorem rediit mentem. Ipse tentabam *uti talia ingenia victis insolentia mentibus*, id est, uti talia ingenia gerunt res, faciunt, si per insolentiam majores spiritus sumunt, seu, quod infra dicit cap. 5, § 3. 'mutato per licentiam ingenio.' Errore calami scripserat librarius *insolentai*, unde alius omisso *in* ex similitudine præcedentis syllabæ, vel quod *insolent* scribentis errorem esse

crederet, fecerat *solent anni ;* cum ultima vox ita sæpe *ai* in Mss. reperiatur. Et sic deinceps error errorem traxit. De tali ellypsi verbi 'facere' et similibus vide Periz. ad Sanctii Minerv. IV. 5. num. 11. et Cortium ad Sallust. Catil. c. 30. § 2. 'Vincere' autem dicuntur omnes mali affectus, qui hominem in deteriora abripiunt. Ita 'victus voluptatibus' apud Arnob. Adv. Gent. IV. 141. 'victus cupiditate' apud Lactant. Div. Inst. III. 11. fin. cui opponitur 'invictus cupiditatibus animus' apud Livium XXXIX. 40. Quod Pithœus volebat 'inter Patres,' solennis quidem est illarum vocum varietas, de qua Demsterus ad Rosin. I. 18. Periz. ad Ampel. Mem. c. 25. et sup. apud Nostrum c. I. § 1. Neque tamen sic satis bene procedere videtur sententia. *Arntz.*

Prædicaret] 'Ανακόλουθον. Forte *prædicavit.* Confundit enim sæpe librarius *r* et *v* litteras, quisquis hæc descripsit. Sueton. cap. 15. extremo. *Schott.*

Cujus vita] Pro *nullius* congruentius fortasse legas *nullis* vel *nulli usquam.* Sylb. Tanquam innuat 'fidelissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam,' ut loquitur Plinius Paneg. ad Trajanum c. 49. Itaque recte scribit Dio Cassius apud Xiphilinum de Tito Imp. τάς τε δίκας τὰς τῆς ἀσεβείας οὔτ' αὐτός ποτε ἐδέξατο, οὔτ' ἄλλοις ἐπέτρεψεν· λέγων ὅτι, 'Εγὼ μὲν οὐδὲν οὔθ' ὑβρισθῆναι, οὔτε προπηλακισθῆναι δύναμαι· οὔτε γὰρ ἄξιόν τι ἐπηγορίας ποιῶ, οὔτέ μοι μέλει τῶν ψευδῶς λεγομένων· *De crimine impietatis nunquam cognovit, neque permisit aliis ut cognoscerent. Nemo enim, inquit, injuria me afficere, aut insequi contumelia potest, propterea quod nihil ago quod reprehendi mereatur : ea vero quæ falso de me dicuntur, prorsus negligo.* Gruterus.

§ 8 *Tanquam belluæ hausto sanguine*] Lucanus Pharsaliæ I. 330. 'Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum Durat, Magne, sitis: nullus semet ore receptus Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.' *Schott.* Recte hunc locum exponit Barth. ad Claudian. in Ruf. II. 8. Mox malim *exeruit,* id est, repente factis ostendit, aperuit quo esset ingenio : accommodatus est locus Senecæ Herc. Œt. vs. 255. 'Secreta mentis ore confuso exserit.' Quem jam adduxere Scheff. et Burm. ad Phædrum Fab. I. 12. de tali confusione agit Oudend. ad Lucan. III. 693. Licet diffiteri nolim probam esse locutionem 'exercere ingenium,' cum id jam docuerit Cort. ad Sall. Catil. c. 2. § 1. et Ovid. Am. El. I. 8. vs. 41. 'Nunc Mars externis animos exercet in armis.' Sed ille sensus huic loco minus videtur adcommodatus, præsertim cum minus conveniat quod additur 'repente exercuit :' quare prius præferam. *Arntzenius.*

§ 9 *Ob incestum*] Scilicet sororum. Suet. c. 24. 'Ex thoro autem Bacch.' impressi *e choro.* Supra *matronis nobilibus illudens* tentabam, sed bene habet. Sic enim Suetonius Julium Cæsarem ne 'provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse' dicit c. 51. et vulgata editio numero LIII. *Schott.* Exsulet illud *thoro,* quod hic nihil est: 'chorus' est illa turba hominum sacra Bacchi celebrantium Virgil. Æn. VI. 517. 'Illa chorum simulans, evantes orgia circum Ducebat Phrygias.' Tacitus Ann. XI. 31. 'Hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.' Eandem Antonii stultitiam referens, illud 'comitatum' appellat Seneca Suas. I. 5. 'Nam cum Antonius vellet se Liberum Patrem dici, et hoc nomen statuis subscribi juberet, habitu quoque et comitatu Liberum imitaretur.' Nec aliter Pelei et Thetidis nuptias referens, ubi homines Deorum etiam nomina adsumserunt, 'chorum' memorat Dict.

Cret. VI. 7. Porro de inepta illa aliorum etiam principum dementia, qui humanam naturam abdicantes, se Deos esse credi volebant, tum alios, tum consule Burm. ad Vell. Paterc. II. 82. fine: de Heliogabalo Lampridium in ejus vita c. 28. 'Junxit sibi et leones, Matrem magnam se appellans: junxit et tigres, Liberum se vocans.' *Arntz.*

§ 10 *Spe in Germaniam*] Credo *specie in Britanniam* scripsisse Victorem; librarii *spe;* illud tamen non damno: 'spem' enim de bello militibus fecerat. Et quod ad oceanum ageret, in Britanniam cogitasse propius a vero abest: nam Britannica expeditione hæc gesta Xiphilinus et Orosius aliique auctores sunt. *Schott.*

Conchas umbilicosque] Cicero de Orat. II. ait Scipionem dicere solitum se 'repuerascere cum ad Caietam una cum Lælio amico suo conchas legeret et umbilicos.' Eadem Valer. Max. VIII. 8. ubi in quibusdam Mss. *obeliscos* pro *umbilicos* legas. *Schott.* Hæc conjunguntur eodem modo ab Ovidio Am. El. II. 11. 13. 'Nec medius tenues conchas, pictosque lapillos Pontus habet: bibuli litoris ista mora est.' Apul. Apol. p. 297. 'Quæsisse de litore conchulam striatam, testam hebetem, calculum teretem.' Adde Erasmum in Prov. tit. 'Inanis opera' p. 329. et 'occupatio' p. 549. et Turn. Adv. XXIV. 46. *Arntz.*

Quis augendi omnia] De Græcorum vanitate multa Cicero pro Flacco, et Juvenalis Sat. X. 'Quidquid Græcia mendax Audet in historia.' *Schott.*

Nympharum lumina] Ὄμματα Græci forte appellarunt, quæ Latini *ocellatos.* Varro Marcipore: 'Altera exorat patrem libram ocellatorum; altera verum semodium margaritarum.' Apud Nonium. Sic apud Suetonium Octavius 'ocellatis nucibusque' ludit, cap. 83. ita enim ibi legendum e Mss. potius quam *oscillatis* vel *ossillis.* Hanc mihi conjecturam ocellus Europæ Scaliger suppeditavit, consultus a me in corona doctissimorum hominum, dum Lutetiæ pomeridianis horis tanquam in Athenæo convenire solerent. Propert. 'Et venit e rubro concha Erycina salo.' Sic apud Plautum Rudente servus ad Venerem de virginibus naufragis: 'Te ex concha natam esse autumant; cave tu harum conchas spernas.' Hispani hodie concham 'una Venera' appellant: Umbilicus herba, Italis quoque *umbilico di Venere.* Dioscoridi credo Κοτυληδών. *Schott.* Salmasius l. l. p. 496. legebat *quod hujusmodi calces* pro calculos. Ideo quod conchæ proprie non sint pisces, præsertim si in litore legantur. Alio plane modo Schottus Obs. III. 21. 'Quod hujusmodi specus g. d. q. a. o. s. e. nympharum duci accepisset vel nympharum limina.' 'Quod,' addit, 'ejusmodi specus cavitates sunt et cavernæ littorum maris, ubi fere conchæ et umbilici reperiuntur in piscatu.' Mira profecto ratio ideo 'conchas' dici 'lumina nympharum,' quod ab his in antris suis pedibus calcarentur; cur igitur non potius pedes fuissent vocatæ? Videtur certe aliquid vitii latere, nisi statuamus abusive Nostrum *conchas* appellasse *pisces,* et ideo *lumina* esse vocata, quod vario colore et fulgore corusco oculorum splendorem imitentur, et quidem *nympharum,* quo a mari expellerentur. Non videtur Victorem inspexisse Keuchenius ad Sammon. p. 166. cum dicat Aurel. Vict. lapidem specularem vocare ὄμματα νυμφῶν, qui sine dubio ex interpretibus sapere didicerat. *Arntz.*

Dominum] Congruentius legeris *dominum se dici,* vel *dominus dici.* Grut.

§ 12 *Auctore Cerea*] Scribendum *Chærea:* is erat 'Cassius Chærea cohortis prætoriæ tribunus, qui primas sibi partes trucidandi Caii depoposcerat.' Sueton. c. 56. Cæterum has

lectionum varietates, ut minuta, persequentem, ridebunt indocti magistelli: sed eos vicissim 'Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.' *Schottus.*

Prælatum Bruti facinus] Reddita populo Romano libertate et abolito imperio. Ita de Bruto et Cassio L. Florus l. IV. 'Brutus et Cassius sic C. Cæsarem, quasi Tarquinium regem depulisse regno videbantur.' De senatus in asserenda libertate consensu Suet. extremo Caligula. *Schott.*

§ 14 *Senatus decreto*] Paullo superius malueram *civis desidia:* quod libido incesserat externos in militiam legere propter desidiam civium. Vox enim ea singulari numero etiam multitudinem continet. Sever. in fragm. de Cicer: 'Abstulit una dies civis decus.' *Arntz.*

Forte unius ortus Epiri] Sic veteres codd. unde *unius cortis Epiri centurio,* pro, *cohortis*, tentabam: frustra; legendum enim *forte unus ortus Epiri*, pro *Epiro:* sic infra Severo, 'ortus Mediæ' et 'orto Syriæ Alexandro.' Quid si *Fortunius* nomen illi proprium fuerit? quem Suetonius gregarium militem, non centurionem facit, et usurpat τὸ *forte* Claudio c. 70. liberum judicium facio lectoris. 'Si quis tamen hæc quoque, si quis Captus amore leget.' *Schott.* Sed hunc locum pluribus conjecturis suspectiorem reddere non necessarium judico, cum vera sit lectio *forte unus ortus Epiri.* Sic enim *unus* pro 'aliquis,' 'quidam,' accipitur apud Sulpit. Sever. Vit. Mart. cap. 8. § 2. 'Unum e familia servulum laqueo sibi vitam extorsisse:' ubi conferendus Vorstius, Donat. ad Terent. Andr. I. 1. 91. et Pricæus ad Euang. Matthæi c. VIII. vs. 19. cum Comment. ad Petron. c. 26. *Epiri* autem constructione non infrequenti pro ex Epiro, de qua Dukerus ad Florum I. 18. § 11. et Cortius ad Sallust. Jug. cap. 15. § 1. *Arntz.*

Titum Claudium] Lego *Tiberium.* Est enim Tiberius Claudius Germanicus. Natus error, quod prænomen varie una alterave litera signaretur. Mirum tamen et in vulgatis quibusdam libris Victoris supposititii *Titum* appellari male. Ms. mox *patri Neronis;* restitue *patrui.* Schott.

Deformi latebra] Quia deforme et minus decorum videretur puerili adeo metu affici, ut cæcas latebras quæreret: vel potius, quod post vela parieti vel foribus præfixa non adeo mundus sit locus, quin plurimo pulvere sordeat; et sic cellam janitoris 'pudendam latebram' appellat Tacitus Hist. III. 85. *Arntz.*

§ 15 *Quia vecors erat, mitissimus videbatur imprudentibus*] Multa super talibus interpretationibus adduximus ad ista Taciti de Galba: 'Sed claritas natalium, et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur:' Histor. I. 49. *Grut.*

§ 17 *Mittunt ocyus ausum comprimere*] Supra pro *turbæ circumsistunt* mallet aliquis *turmæ*, sed male; cum *turbæ* plurali numero quoque pro multitudine hominum sumatur, ut apud Sulpit. Sev. in Vita Mart. cap. 8. § 2. 'Exclusisque omnibus turbis:' et c. 9. § 2. 'Dispositis jam in itinere civium turbis.' *Arntz.*

§ 18 *Vacuos a fortuna cassosque esse*] Id est, conatus hominum, si a fortuna destituantur, plane vacuos et irritos esse: *cassosque* ergo, id est, 'etiam cassos et vacuos esse.' Allusit etiam ad mimum Publii Syri: 'Fortuna unde aliquid fregit cassum.' Cujus me Pet. Pithœus admonuit. *Schottus.* Meo animo illud *que* notat 'quoque,' ut velit auctor quidquid conantur mortales, nisi et adjuventur a fortuna, cassum quoque esse irritumque. Sic usurpatur et Livio XLII. 5. 'Per eundem Appium eodemque modo compositæ in Perræbia res:' neque aliter Plinius Epist. IV. 19. sub finem: 'Nam cum matrem meam pa-

rentis loco venerere; meque a pueritia statim formare, laudare, talemque qualis nunc uxori meæ videor, ominari solebas:' itaque nihil ibi mutandum cum doctissimis viris: sic et Noster infra cap. 20. 'cum sanctique hujuscemodi, &c.' hoc est, cum etiam sancti, &c. itaque nec ibi aliquid mutandum. *Grut.*

Cap. iv. § 1 *Nobilitatis præcipue consiliisque metu colebatur*] Lege, ut edendum curavi, *nobilitatis præcipuæ consiliis quæ metu colebatur.* Schott. Non video rationem cur *præcipue* non adverbialiter potius accipiam; reddit enim ita caussam, cur vecors recte reip. consulere potuerit; et hoc retinet Barthius Adv. liv. 13. ubi etiam pro *proinde*, *perinde* laudat. *Arntz.*

Stolidorum ingenia proinde agunt, uti monitores sunt] Unde non frustra quæsitum prudentibus, num potior princeps fatuus, cui consilium sapiens, principe quidem bono, sed cujus consiliarii mali: de qua re nos plura ad Livium. *Grut.* Et Wasse ad Sallust. in omissis ad p. 442. *Arntz.*

§ 2 *Drysidarum*] Emenda *Druydarum* vel *Druidarum*. Suet. Claudio c. 25. 'Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit.' *Schott.*

Mauri accessere] Quomodo autem hic locus de Mesopotamia intelligendus sit tradit Lipsius de Magn. Rom. i. 3. p. 672. *Arntz.*

Demtis regibus post Jubam] Non a Caligula sed a Claudio Mauritaniam divisam esse in Cæsariensem et Tingitanam melius docuit Noldius in Hist. Idumæa p. 358. ed. Haverc. attamen in eo falli Victorem, quod Ptolemæum prætereat. *Arntz.*

Musulamiorum] De varia hujus vocis scriptura vide Rycquium ad Tacit. Ann. ii. 3. et Duker. ad Florum iv. 11. § 40. Ab his dictos esse hodiernos *Musulmannos* proceres Turcarum existimabat Barthius Advers. liv. 13. *Arntz.*

§ 5 *Pervagatis*] Paullo supra locus ita ex Epitoma est sanandus: *primo passim, quasi*, ut abjiciatur vocula *que*, utpote ex sequenti voce originem trahens. De similibus corruptelis, cum vel neglectum sit *que* vel frustra repetitum, consule Heins. ad Ovid. Epist. xiv. 91. sic *quoque* pro simplici *que* sæpe nobis dederunt scribæ, ut notatum est supra Vir. Ill. cap. 42. fin. Ita sententia erit: *primo sola libidinem exercuit, dehinc* alias etiam virgines et nuptas secum prostituit. *Arntz.*

§ 8 *Collubentes*] Nescias an et *cohibentes* in Mss. legas pæne fugientibus literis: pro quo *conniventes* J. Olivarius reponebat: forte et *colludentes* ferri queat. Et mox idem legendum censet *dum mirum videtur apud Imperatorem virum, viro quam Imperatori nuptam esse*, ut ἀρχαϊκῶς exaudiatur 'potius.' *Schott.* Præfero, quod ultimo loco conjecit Schottus *colludentes*: cujus verbi significatio apud JCtos maxime frequens et vulgo nota. *Arntz.*

§ 9 *Pellicum gratia*] 'Pellices' duas nominat Tacit. lib. xi. Calpurniam et Cleopatram, quarum Claudius corpori maxime insueverat, missas a Narcisso ad subeundam delationem. *Schott.*

Cum altero] Scio 'alter' passim poni pro quovis alio, quod dudum eruditi exemplis planum fecerunt, ut ad Phædrum Fab. i. 19. 3. Broukh. ad Tibull. El. iv. 1. 18. et Taubm. ad Virgil. Ecl. 3. 71. Non ineleganter tamen hoc loco scribi posse existimo *adultero*. Certe ita Silius vocatur apud Tacit. Ann. lib. xi. capp. 12. et 26. Hoc vitium potuit et infra irrepsisse cap. seq. § 11. 'Illa per alteros ad patrui nuptias, atque alienorum cruciatibus mariti exitium..... uterque in sui scelus processerunt:' ubi itidem malim *adulteros*: quæ sequuntur verba, sana sunt, nec ullam

emendationem desiderant, quasi dicat: non tam debere mirari, feminam, publicæ libidinis victimam, Inperatori nuptam fuisse, sed hoc multo magis mirum videri, eam, cum maritum haberet Inperatorem, ausam fuisse conjuge vivente adulterum sibi matrimonio conjungere, et hoc erit 'apud Inperatorem virum nuptam esse.' Et hoc confirmat inf. Epitome, cum dicat: 'Ut magis videretur sub Inperatore, viro quam Inperatori, nupta esse.' Id est, quod magis mirandum videretur, sub Inperatore marito, alteri eam, quam Inperatori nuptam esse. Vir enim speciali significatione notat maritum, quod notum ex Scopp. ad Phædr. I. 18. 4. Pricæo ad Matth. cap. I. vs. 6. et multis. *Arntz.*

§ 10 *Fratris filiam*] Germanici Agrippinam, matrem Neronis ex Domitio Ahenobarbo. *Schott.*

§ 12 *Anno quinquagesimo*] Expresse Ms. noster, vulgo editi *quingentesimo.* In annis mire variant historici, quos recensere non vacat. Vide Melam Pomponium, Plinium, Solinum, et Tacitum, qui VI. annali Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. phœnicem conspectum ait, qui fuit annus, ut opinor, U. C. IↃCCXXCVII. Mox *ex Arabia* inpressi libri. *Schott.* *Quinquagesimo* Schotti membranæ; nam Palatina bibliotheca isto auctore destituitur: sed malim cum ante editis *quingentesimo*, etsi enim mire varient in annis auctores; nemo tamen *quinquagesimum* posuit, multi *quingentesimum.* *Grut.* Maxime pervulgatum esse quingentorum annorum spatium auctor est Tacit. VI. 28. ubi Vertran. Cui præter ceteros adsentiunt Horapollo Hier. I. 35. et Scholiast. Lucani VI. 680. Confer quæ Salmas. Plin. Exerc. p. 388. et cet. Gatakerus Advers. Misc. I. 2. et Bochartus Hieroz. II. 6. 5. *Arntz.*

Insula ingens] Xiphilinus parvam insulam prope Theram insulam paruisse scribit ex Dione, qui et de solis lunæque defectione eleganter disputat in Claudio. Ipse Dio lib. XL. *Schott.* Hos annos non convenire, sed DCCC. U. C. annum vertere cum anno V. Claudii jam observavit Samuel Petitus Obs. I. 1. p. 5. adjiciens deceptum esse Nostrum, quod de phœnice referat ad annum DCCC. qui visus fuit DCCLXXXVII. sed errorem esse natum ex confusione duorum consulatuum Vitellii, qui in illos annos inciderunt. Potius dixeris, errare cum illis, qui existimarunt, volucrem illam, quæ anno DCCC. Romam allata est, fuisse phœnicem, quem errorem in Solino notavit Salmas. in Exerc. p. 390. et de errore in supponendo calculo annorum agit etiam Scaliger de Emend. Temp. p. 467. Ceterum quomodo tales insulæ nascantur pulcre colligitur ex Seneca Nat. Quæst. II. 26. 'Cum insula in Ægæo mari surgeret, spumabat interdiu mare, et fumus ex alto ferebatur. Nam demum prodebat ignem, non continuum, sed ex intervallis emicantem, fulminum more, quoties ardor inferius jacentis superum pondus evicerat. Deinde saxa revoluta rupesque, partim illæsæ, quas spiritus, antequam verteretur, expulerat, partim exesæ, novissime cacumen exusti montis emicuit. Postea altitudini adjectum, et saxum illud in magnitudinem insulæ crevit. Idem nostra memoria accidit.' Novarum igitur harum insularum caussa est, quod materia sulphurea et bituminosa sub maris fundo delitescens ignem concipiat, et se vi sua elastica exserens terram superinpositam secum in sublime ferat, quæ iterum decidens tantam molem facit, ut supra aquarum superficiem emineat. Nec hisce exemplis nostra tempora destituuntur, in quibus celeberrimum est, quod mense Julio MDCXXXVIII. contigit, quodque vir summus Petrus Gassendus sibi relatum narrat in Comment.

ad Diogen. Laërt. tom. I. p. 545. Posteaque accuratius descripsit Athanasius Kircherus in Mundo Subt. II. 12. qui locus omnino cum illo Senecæ conferri meretur, cum apud utrumque eadem phænomena appareant. Aliud exemplum, quod hujus seculi anno VII. accidit ex historia academiæ regiæ Paris. Expert. Nieuwentitius protulit, ut me monuit non infrequens harum deliciarum cultor Gulielmus Arntzenius, frater mei amantissimus. *Arntz.*

§ 13 *Tetrum funus*] Tu vide ne *cæterum* scripserit Victor: quo enim *tetrum* pertinet? Mors ejus celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Suetonius cap. 45. *Schott.* Adhæserim conjectaneo Schotti nostri, *ceterum funus.* Grut. Vel *tetrum* est, quia indigno modo, scilicet per venenum, sublatus fuit Claudius; similiter 'teterrimum genus morbi' est apud Valer. Max. I. 1. ex. 21. Vel potius *tetrum funus* est, cum cadaver jam putredinem contraxerit, et malum odorem spargat. Lucret. II. 415. 'In nares hominum cum tetra cadavera torrent.' Et VI. 1152. 'Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem, Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.' Quæ expositio ex eo etiam confirmatur, quod dicit, 'funus diu fuisse occultatum.' *Arntz.*

Cap. v. § 2 *Parem annis*] Quatuordecim. Suetonius Claudio et Nerone. Xiphilinus annos XIII. menses octo. Paullo minus XIV. annos, Tacitus Annal. lib. XVII. *Vitrico*, Claudio scilicet. *Schott.*

Polemonis] Urbem Ostia tenus promovere destinaverat. Excogitavit quoque ædificiorum formam novam, ædificatis ante insulas et domos porticibus. Tranquil. cap. 16. De Ponto Polemoniaco et Cottiis Alpibus præter Plinium, Ammianum, et Suetonium, meminit et Vopiscus Aureliano. Ex Victore hæc citat Paullus Diaconus lib. II. Longobardorum, quamquam, ut alibi dixi, editi libri corrupte legant *Hos dictores*, pro *Victoris revincit auctoritas.* Schott.

§ 5 *Psallere per cœtus*] Pro *dum* scribe *cum* ex iis quæ diximus ad Vir. Ill. cap. 8. § 4. *Arntz.*

More] Fortasse legendum, *cunctis festa sollemni more celebrantibus*, ut Suetonius cap. 28. dicit, 'Per sollemne nuptiarum celeberrimo officio:' vel, 'de more celebr.' *Sylb.* Sed simpliciter *more* pro 'de more,' 'solenni more,' dici docuit jam Heinsius ad Phædr. Fab. I. 12. *Arntz.*

Lecto ex omnibus] Doryphoro liberto, Sueton. cap. 29. Pythagoram Tacitus Annal. lib. XV. vocat unum ex illo contaminatorum grege exoletorum. *Schott.*

§ 6 *Narrantur scelera Neronis*] Locus diu nos torsit: veritatem tandem diu multumque quæsitam, ut ille clamabat, εὕρηκα, glossema nimirum esse, quod nota culpæ damna et obelisco fode. *Schott.* [Vide Lectt. Var.]

§ 7 *Noxiorum vinctis modo, pelle*] Transposita dure ut alias non raro pro *noxiorum modo vinctis*, id est more. Amicus quidam meus sic interpungebat: *noxiorum vinctis, modo feræ, pelle tectus:* non improbo; sed illud magis ad editi breviarii sensum, et Suetonii, qui ad stipitem deligatos non tamen sontes fuisse ait. Quid si *modo lusus* scripserit Victor, quod postea a librario omissum sit? Sic enim Tranquillus cap. 29. 'Quasi genus lusus excogitaret quatenus feræ pelle contectus emitteretur e cavea.' Sustineo. Mox *exsector marium* conjiciebat eruditus juvenis Petrus Pantinus: nihil tamen muto. *Schott.* Hunc locum melius exponit summus Gronovius Obs. I. 8. *Arntz.*

§ 10 *Nequaquam verecundiæ externæ*] Locus corruptissimus: accessit non unus medicus, sed qui tamen parum juvit adfectas voces, mea quidem sententia: interim apparet illud *ex-*

ternis minime mutandum; opponitur enim ei quod sequitur, 'in suos agens.' *Grut.* Locus in altissimo vitio cubans, quem vix nisi ope meliorum codicum sanari posse existimem. Tentabam tamen scribere *nequaquam verecundiæ externæ satietate humanis datur, &c.* id est, frustra conceditur peccandi consuetudo hominibus, qui satiati sunt inminere verecundiæ seu pudicitiæ externorum, sed illi ulterius progredientes, tandem etiam suos affectant. 'Verecundia' tribuitur illis, qui quamvis furta committant, illa tegere, et nullis consciis perpetrare cupiunt. Ovid. Am. El. I. 5. vs. 7. 'Illa verecundis lux est præbenda puellis, Qua timidus latebras speret habere pudor.' 'Satietas' quoque vox hac in re propria. Terent. Phorm. v. 5. 6. 'Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere.' Val. Maximus VII. 3. ex. 10. 'Infelicis animi inpetum satietate concubitus licentis resolutum:' quod scripsi *humanis* idem erit, quod *hominibus*, quo sensu hanc vocem sæpius occurrere monnerunt Vorstius ad Just. XLII. 3. § 2. et Drakenb. ad Sil. VII. 5. Porro 'peccare' in militia Veneris notat stuprum seu adulterium committere. Propert. El. II. 5. vers. ult. 'Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.' Eod. Eleg. lib. XXIV. vs. 107. 'Quam facere ut nostræ nolint peccare puellæ.' Tibull. El. IV. 14. initio: 'Rumor erat crebro nostram peccare puellam.' Adde El. VII. vs. 9. et El. I. 7. 16. Ovid. Epist. XVII. 41. 'At peccant aliæ, matronaque rara pudica est.' Et obvia talia, de quibus etiam Westerhovius ad Terent. Andr. v. 3. 25. Quo modo suo ἁμαρτάνειν et ἁμαρτωλὸς utuntur Græci. Lucæ Evang. c. VII. vs. 34. Elsner. ad Evang. Joann. cap. VIII. vs. 11. et Munckerus ad Anton. Liber. p. 337. Videant alii si quid melius. *Arntz.*

Nova et eo dulciora] Nam illicita prævalent. Tacit. lib. XIII. de Nerone. Et Lampridius Severo: 'homines illicita magis poscunt, prohibitaque furore prosequuntur.' Pueris perpetuo in ore natat, 'Nitimur in vetitum.' *Schott.*

§ 11 *Per alteros*] Pallantem libertum Claudii adulterum. Tacitus Annal. lib. XII. initio. *Schott.* *Adulteros* mihi scribendum videri monui jam supra cap. præc. § 11. *Arntz.*

Alienorum cruciatibus] Et mulierum et virorum, Lolliæ, Calpurniæ, Statilii, Tauri, Domitiæ, Lepidæ. Tacitus. Legendum *in mariti exitium*, vel *ad* ἀπὸ κοινοῦ repetendum. *Schott.*

Sacerdotem Vestæ] Vestali virgini Rubriæ vim intulit, Sueton. cap. 28. Ibidem de matris concubitu: de interitu vero cap. 34. et Tacitus Ann. lib. XIV. *Schott.*

§ 12 *Dati*] *Dari* Mss. quomodo inf. alibi loquitur. *Schott.*

§ 13 *Plures*] Senatores, equites, milites, feminæ quoque. *Schott.*

Varia tempestate] Romæ conjuratione Pisoniana Silio Nerva et Attico Vestino Coss. A. U. C. IↃCCCXIIX. Tacitus Annal. lib. XV. et Viniciana, Beneventi, Sueton. cap. 36. *Schott.* Hinc nummus Neronis cum inscriptione, JVPITER LIBERATOR in Thes. Brand. Begeri tom. II. p. 625. *Arntz.*

§ 14 *Quis proditis*] Per Milichum Flavii Scævini libertum, Tac. lib. XV. *Schott.*

Urbem incendio] Anno præcedente C. Lecanio, M. Licinio Coss. ibidem Tacitus. Inf. *pari modo* malim. *Schott.*

Pari morte] Melius scribes *pari more.* Mox vide an rectius foret *nova cæde regno quæsito;* id est, cum vellet acquirere regnum, idque firmius reddere interficiendo senatum et plebem. *Arntz.*

Quod liber sub imperio nullus haberetur] Unde ex decoro Alexander ad legatos Darii apud Curtium IV. 11. 'Eadem liberalitate dat mihi filiam suam; nempe quam scio alicui ser-

verum suorum nupturam:' verum nos etiam de eo statu plura, ad Taciti Histor. I. 16. sub finem. *Grut.*

§ 15 *Mandatum sui exitium*] Suet. Nerone c. 42. et Galba IX. Et de spadone Sporo, Neron. cap. 38. *Schott.*

§ 16 *Percussorem*] Rectius procedet oratio, si distinguas *percussorem diu, ne ad, &c.* Porro de Cæsarum gente exstincta, quæ in Nerone defecit, adi Spanhem. de Usu Num. diss. XII. p. 345. *Arntz.*

Ut his] Scriptum pro *iis*, ut *hisdem* pro *iisdem*. De loco Romæ 'Ad Gallinas albas' Suet. c. 1. Galbæ, P. Victor et Sex. Rufus in libello de Regionibus Urbis Romæ juxta Decem Tabernas collocant; ille in sexta regione, hic in regione Alta semita. *Schott.*

CAP. VI. § 1 *Galba*] *T. Galba* in Mss. relicto forte, ut solet, literæ spatio. Dictus autem 'Servius Sulpicius Galba.' Imperite quidam *Sergius*, quod gentile nomen. *Schottus.* Et ita stupido errore non ita pridem apud Sueton. edidit vir doctus *Sergius Sulpicius Galba* et Joberts in Cogn. Numism. Antiq. p. m. 403. Dudum enim 'Sergiorum' familia in Catilina defecerat. At agnoscendus est error sculptorum in illis nummis, in quibus scribitur SERG. GALBA, nisi et supposititios eos credamus. Duos tales protulit Ryckius ad Tacit. Ann. IV. 17. et Hist. II. 48. § 5. talem observavi in Thes. Brandenb. tom. II. p. 626. ΣΕΡΓΙ. ΓΑΛΒΑ. ΑΥΤΟ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. Certum tamen et hoc est, etiam post Catilinam Sergios memorari. Ita enim, ut reliqua mittam, Sergius Paullus notus est ex Sacris Litteris, Actor. c. XIII. vs. 7. verum facile crediderim eos libertinæ fuisse conditionis, qui ex illustrissima hac gente originem duxerint: quod genus hominum sæpe ad maximas etiam dignitates evectum esse, testantur abunde historiæ. Adde Relandi viri consultissimi Fastos Consulares p. 161. et 365. Sed priori loco æque *Servius* quam *Sergius* legi potest. Ceterum de pronomine 'Servius' suo more erudite disputat Spanhemius de Usu Numism. Diss. X. § 4. et nonnulla habet Schottus ad Vir. Ill. c. 47. § 7. *Arntz.*

Crudelitati] Interfectis Ciconio Varrone Cos. designato et Petronio Turpiliano consulari, Tacit. Histor. Aug. lib. I. trucidatis multis milibus inermium militum. Vide Suet. c. 12. de classiariis. 'Luxuriæ' autem suspecta vox, cum avaritiæ potius de eo fama percrebuerit. Ibidem Tranquillus, sed mox Victor pecuniæ cupidum vocat, quare nihil mutandum censeo. *Schott.*

Rupere, trahere] De hoc loco egit vir plurimæ lectionis Wasse ad Sallust. Catil. c. 21. Mox *dum* per 'proinde' exponit Casaub. ad Spartiani Severum c. 1. quod tamen necessarium non est. *Arntz.*

§ 2 *Pisonem*] Frugi Licinianum Suet. c. 17. Erat ergo in Calpurniam gentem adoptatus ex Licinia, ideo recte M. Licinio Crasso et Scribonia genitum intelligimus transisse in domum L. Calpurnii Pisonis: inde porro in Sulpiciorum gentem adoptatum a Galba Imperatore. *Schott.*

§ 3 *Ad Lacum Curtium*] Tacitus Hist. Aug. lib. I. 'Lorica tectus lintea' (inquit Suet. c. 10.) 'non profutura adversus ictus.' Tacitus 'pectus munitum tectumque' scribit. *Schottus.*

CAP. VII. § 1 *Salvius Otho*] Male qui 'Silvium' vocant reclamantibus nummis antiquis: Græcis Ὄθων, ut et in Mss. erat, forte quod N litera repeteretur. *Schott.*

Neroni quoque familiaris] Et Nero salutatus est, non recusans: et Neronis cognomen epistolis suis ad præsides quosdam provinciarum adjecit. Suet. Oth. capp. 2. 3. et 7. et Cornel. Tacit. Hist. Aug. lib. I. *Schott.*

Haud multo] Suetonius c. 11. 'Imperii xcv. die, ætatis tricesimo octavo:' duobus annis adolescente major, si modo quot pueritiæ, totidem adolescentiæ, anni octodecim, nec plures tribuantur. *Schott.* *Haud multo fine adolescentiæ grandiori*, id est, 'non ita dudum adolescentiam prætergressus:' fuisse tamen 'triginta octo annorum' prodidit Suetonius cap. 11. vitæ ejus: fuit ergo duobus annis adolescente major, si modo quot pueritiæ, totidem adolescentiæ anni, octodecim nempe adsignentur, ut recte annotatum Schotto nostro. *Grut.*

Veronensi prælio] Apud Betriacum Suet. Oth. c. 9. Vitellio c. 10. non procul a confluentibus Padi et Adduce fluminum. Tacit. Hist. Aug. lib. II. *Schott.* Et Scaliger ad Euseb. p. 198. *Arntz.*

CAP. VIII. § 2 *Legati Mœsiæ Pannonicique exercitus*] Octavo imperii Vitellii mense desciverunt. Tranq. xv. Vitellio. Legati Mucianus in Syria; Aponius in Mœsia; Fabianus in Pannonia; Tacit. Hist. v. extr. Ceterum *hortantium*, an *hortatum* legendum? Idem Cornel. Hist. lib. II. Mutiani suasionem vocat. *Schottus.* Minus commode procedit oratio, nisi admittamus *hortatum venerant*. Grut. Etiam *hortatum* præferebat Sylburgius, nec tamen magis emendatio hic necessaria, quam apud Terent. Eun. III. 3. 11. 'Huc evasit, quam pridem pater Mihi et mater mortui essent.' Et Justin. lib. IX. cap. ult. § 7. 'Misericordia in eo et perfidia pari jure dilectæ.' Sic hic Mœsiæ et Pannonici exercitus jungunt sibi genitivum pluralem pro singulari, notissimum syllepsidos genus, quas frequentissimas in Sallustio suo observavit accuratissimus Cortius et Sanctius in Min. IV. 10. Pro *Mœsiæ* non pejus legeretur *Mœsiaci.* Arntz.

§ 3 *Othonem prædem prætortis*] Schotti exemplar interjungit *prædem prætoriis*, et forte ita libuit loqui auctori. *Gruter.* Quid si ex eo facias *principem?* Sup. cap. 3. § 16. 'Si sapiant, adesse principem:' ceteroquin malim Schotto adsentiri, qui in sua ed. hanc vocem deleverat. *Arntz.*

Germanicianis Vitellium] Veteres libri: dubites igitur *Germanicis* ne, an *Germanianis* (qui exercitus in Albino Capitolini visuntur) legas: sed *Germanicianis* ut 'Illyricianis' Suetonio, haut dubie germana lectio est: quæ legiones a Germanico Caligulæ patre, et quia ex Germanis constabant, nuncupatæ: itaque vocat sæpius Tranquillus Oth. c. 8. hac eadem de re. Vide et Galba c. 20. Tiberio c. 25. et Vespasiano c. 6. ubi et de Mœsiaco exercitu. *Schott.*

§ 5 *Cremonam*] Tacitus Hist. Aug. lib. III. Legati autem Arrius Varus, Primus Antonius, et Mucianus. *Schott.*

Ipsum] Flavium Sabinum, quem inermem neque fugam cœptantem, cum a sordidissima plebis parte ad supplicium peteretur, Vitellius eripere non potuit. Neque confossum laceratumque et abscisso capite truncum in Gemonias tractum Tacitus narrat lib. XIX. Sed Tranquillum sequitur Victor, qui oppressum succenso templo Jovis Opt. Max. Sabinum exponit Vitellio, c. 15. *Schott.*

§ 6 *E tugurio*] Suetonius 'cellulam janitoris' vocat, Vitellio. 'Pudendam latebram' Tacitus Hist. August. III. *Schott.*

Quo se abdiderat, janitoris injecto laqueo, &c.] Laborat distinctio: malim *quo se abdiderat, janitoris; injecto laqueo:* nam *laqueum janitoris* non agnosco: videatur Tranquillus capp. 16. et 17. *Grut.* Atque ita hunc locum distinguit Barthius Advers. LI. c. 4. *Arntz.*

Quantum quisque valuerat] 'Minutissimis ictibus excarnificatus,' Sueton. *Schott.* Melius Suetonius Taci-

tusque, qui adtribuunt annos 'quinquaginta et septem.' *Grut.*

Septuaginta et quinque amplius] Inversus numerus Suetonii et Taciti, *quinquaginta et septem;* quem annum explebat, Tacito Hist. III. extr. Dio quinquaginta quatuor annos vixisse ait. Similem locum Pertinace vulgatæ ed. emendare memini, ubi pro *septem atque sexaginta, sex atque septuaginta* legendum. *Schott.*

Modica] Excusi *immodica*, non recte. *Schottus.* Sententiam Schotti et veram lectionem tuentur infra in Epitome duo codd. exhibentes *modica.* Dicit enim eorum eruditionem caussam fuisse, ut minora, quæ committebantur, vitia negligerentur, et eorum doctrinæ condonarentur, quomodo hunc locum legit et exposuit Guntherius de Off. Dom. Aug. I. 30. p. m. 166. *Arntz.*

In immensum progrediente] Forte hæc verba ita possunt exponi: adsumat seu adsciscat eam eruditionem; curet, ut ea doctrina sit tinctus, eaque utatur, qua vitam recte instituere, et auctoritatem sibi possit adquirere; sic genitivi illi pendebunt a vocula *satis.* Refertur autem 'elegantia' ad rationem et institutum vitæ Nep. Att. c. 19. § 2. 'Consecutus nulla alia re, quam elegantia vitæ.' Livius l. XXXV. c. 31. 'Magnæ tum ob eleganter actam vitam auctoritatis:' et Florus I. 5. 'Regnum ultro petens accepit ob industriam et elegantiam.' In aliis edd. hic male legitur *editionem* pro *eruditionem.* Arntz.

CAP. IX. § 1 *Sanctus omnia*] Velleius II. 46. § 11. 'Vir cetera sanctissimus immunisque voluptatibus:' ubi conferendus Schegk. Salmasius ad Trebellii Pollionis Triginta Tyrannos c. 33. Gronov. ad Senec. Consol. ad Marc. c. 25. et Davis. ad Cicer. de Nat. Deor. I. 22. *Arntz.*

Brevi refecit] [Vide Lect. Varr.] Sed *brevi refecit* infra etiam est in Epitome § 5. *Arntz.*

§ 4 *Divinis deditus*] Tacit. Hist. Aug. lib. II. 'Cæteri responsa vatum et siderum motus referre: nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et præscium palam habuerit.' Vide Suet. Vespas. cap. ult. unde hic *videbat* potius legendum discas licet. *Schott.*

§ 5 *Vitæ specie vitiorum plura aboleverat*] Sic et Tacitus Annal. III. 15. 'Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit; antiquo ipse cultu victuque: obsequium inde in principem et æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus et metus:' ubi de hac imitatione plura. *Grut.* Talia occurrunt apud Pacatum Paneg. c. 13. Casaub. ad Lamprid. Alex. Sev. c. 41. Baudium ad Plinii Paneg. c. 45. § 6. et Wasse ad Sallust. Jug. c. 89. *Arntz.*

§ 6 *Uti quidam prave putant*] Notare videtur Tranquillum c. 16. Eadem forma dicendi de Tiberio Tacitus Annal. lib. III. 'satis firmus adversus pecuniam:' quod idem alibi aliis verbis explicat. *Schott.*

Labe urbium] Eleganter pro *clade.* Sic infra in Severo 'labem publicam' vocat. Et in Gallieno, 'quos labes Mursina reliquos fecerat.' Et apud Diomedem Ennius: 'Certare abnueo, metuo legionibus labem:' quod ex oratione Fabii Cunctatoris sumptum esse videtur. Et Plautinus parasitus Capteiveis: 'Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido: Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas.' Puer mox interpretatur: 'Clades calamitasque et intemperies modo in nostram advenit domum.' Aliquando etiam hiatum terræ significat, ut Ciceroni interrogatione in Vatinium. *Schottus.* Eumenius pro Rest. Schol. cap. 9. § 4. 'Ne fana, longe omnium in hac urbe pulcherri-

ma, labes media deformet.' et c. 18. § 1. 'Cum videat omnia, quæ priorum labe conciderant.' Adde Mamert. Paneg. Maxim. Herc. c. 4. § 2. Heins. ad Silium Punic. VIII. 21. et Davis. ad Cicer. de Nat. Deor. II. 5. *Arntz.*

Claudii monumenta] Templum divi Claudii in Cœlio monte cœptum ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum. Item amphitheatrum urbe media, ut destinarat Augustus. Suet. c. 9. *Vologeses* autem eidem et Tacito dicitur, non *Vologesus.* Schott. *Vologesus* tamen est in hodiernis edd. Suetonii, utraque terminatione usurpatur a Tacito, attamen receptam tuetur Steph. Byzant. in Βολογεσιὰς et Spanhem. de Præst. et Usu Numism. Diss. VIII. p. 463. *Arntz.*

Ac forum] Meminit et hujus fori Vespasiani Symmachus Epist. x. 78. uti jam docuit Nardinus in Roma Veter. lib. III. c. 9. p. 1015. *Arntz.*

Mille gentes] *Mille gentes* recte exponit Casaub. ad Suet. Cæs. cap. 41. per mille gentes patricias, quæ et bellis civilibus, præterea cædibus et sævitia priorum Cæsarum admodum erant imminutæ. Livius v. 14. 'Indignum Diis visum honores vulgari, discriminaque gentium confundi.' VI. 40. 'Ex quo adsciti sumus simul in civitatem et patres, enixe operam dedisse, ut per nos aucta potius, quam imminuta majestas earum gentium dici vere posset:' et VII. 6. 'Ne deinde turbato gentium jure comitia haberentur.' *Arntz.*

§ 10 *Atque in provinciam Syria, Judæique*] Hunc locum culpat Casaub. Advers. Baron. Exerc. I. num. 6. *Arntz.*

§ 12 *Bonis indocti*] Hæc repetita sunt ex Schotto sup. c. 3. § 5. Sed 'bonus' hic idem est quod doctus; accipitur enim hæc vox de omnibus illis, qui artem suam intelligunt, qui scientes rerum sunt. Cerda et Emmen. ad Virg. Ecl. v. init. Grang. ad Juven. Sat. III. 71. &c. *Arntz.*

Insolens] Nunquam antea nisi ab equite Romano administratam, Sueton. Tito c. 6. *Schott.* Et Valesius ad Ammian. XIV. 10. p. 54. *Arntz.*

CAP. X. § 2 *Dum concessa per priores*] Ex instituto Tiberii; Sueton. Tito c. 8. *Schottus.* Scripsi *cum* ut auctor Epitomes § 8. *Dum* enim hic locum suum tueri non potest. Confer ad Vir. Ill. c. 8. § 4. *Arntz.*

Deductus] *Deductos* vulgata editio. Aliter Suet. c. 9. *Schott.* Cum videatur in Epitoma 'deductos in spectaculum, secum utrimque adsidere jussit,' non video cur non et heic locum suum obtinere possit. *Grut.* *Deductos* vera est scriptura, quæ etiam in Epit. ab omnibus codicibus confirmatur; sed quod censuit Gruterus, ex ea etiam hic locum suum obtinere posse illud *secum utrimque*, fallitur vir erud. cum illic vitiose contra Mss. et nostros et quos vidit Schottus edatur *secum utrimque*, cum esse debeat *se utrimque.* Solet enim 'adsidere' sibi etiam jungere quartum casum. Val. Flaccus v. 535. 'Cuperem haud tali vos tempore tectis Advenisse meis, quo me gravis adsidet hostis:' ubi videndus Heinsius et ad Silium IX. 624. et XII. 453. Cortius ad Sallust. Jug. c. 11. § 3. 'Dextra Adherbalem adsedit.' Appuleius Met. VIII. 206. 'Mentita dominæ tarditatem, quasi parentem, adsideret ægrotum, facile sepelivit ad somnum:' et IX. 225. 'Lanificio domestico destrictam inseparabilis adsidebat.' *Utrimque* autem est ab utraque parte, vel, ut dicit Suet. c. 9. 'circa se collocatis.' *Arntz.*

Petitoque] Vide Lipsium ad Tacit. Ann. III. Exc. G. et Sat. II. 19. Hoc enim moris erat, ut prius quam pugnam committerent, vel propositam patrarent necem, acumen gladii ten-

tarent. Sallust. Jug. cap. 106. § 4. 'Igitur se quisque expedire, arma atque tela tentare, intendere.' Suetonius Ner. c. 49. § 3. 'Duos pugiones, quos secum extulerat, (ita Ms.) arripuit, tentata utriusque acie:' et Othone c. 11. 'Arripuit duos pugiones, et explorata utriusque acie.' Mox malim *committeret*. Arntz.

§ 5 *Biennio post*] Videtur legendum *biennium*, pro *post biennium*. 'Menses' duntaxat 'duos diesque viginti' numerat Suet. c. 11. *Schott.* et *Sylb.* Sed commode tamen defenditur recepta scriptura, cum constet, particulas copulativas non raro connectere casus diversos. Vell. Paterc. II. 89. § 6. 'Tot extra Italiam domique opera.' Virgil. Æn. II. 457. 'Ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat.' Alia fortasse infra ad Epitomen c. 10. § 4. ubi scripti volunt, *Per theatra et castris invidiosa jactantes:* et Oudend. ad Lucan. VI. 154. *Arntz.*

Profecto opere] Quid si *perfecto?* Suetonius 'dedicato.' *Schott.* *Lauti* vox meis naribus parum elauta: quam enim habet sententiam? scribamque libens, *Amphitheatri perfecto opere Lautibusque*, vel *Lautiisque*. Censeo enim duo opera commemorari ab eo, Titi amphitheatrum et thermas, quas infrequentiori nomine *lautus* appellat, uti Festus, 'Lautulas, loca ubi lavandi usum exercebant.' Durum hoc mihi ipsi videretur, nisi Victorem cogitarem, et reliquam ejus adfectatæ novitatis phrasin. Hæc magnus Lipsius de Amphith. cap. 6. Ego cum illis non facio, qui tam secure novas voces usuque incognitas solent fingere. *Lautia* sunt munera legatis præberi solita, ut lautius et magnificentius epulas possint instruere, adeoque nihil commune habent cum thermis, quamvis et alii a lavando ea munera velint deducere. 'Lautulæ' apud Festum locus sunt extra urbem. Non pejus scribi posset *Amph. perfecto opere, ludisque*. Constat enim in dedicatione amphitheatri ludos eum exhibuisse dierum centum. Sueton. Tito c. 10. Eutrop. VII. 21. et alii. Attamen et vulgata lectio suum habet sensum, ut existimarit auctor, super cœnam veneno petitum esse Titum, adeoque ad indicandum tempus hoc, dicit, eum veneno interiisse, postquam se lavaverat, id est, cum mensæ accumberet. De ratione antiquorum, qui lauti cœnam sumebant, omnia sunt pervulgata. Demster. ad Rosin. Ant. I. 14. p. 63. Britann. ad Juven. Sat. I. 143. Adamus Obs. III. 35. Elsn. ad Euang. Joann. cap. XIII. vs. 10. et alii passim. Hanc expositionem videtur certiorem reddere Plutarchus de Tuend. San. p. 123. Πολλοὺς δὲ καὶ λουτρὸν ἀπώλεσεν, οὐδὲν ἐν ἀρχῇ μέγα κακὸν ἔχοντας, ἀλλ' ἢ τὸ μὴ δύνασθαι μηδὲ ὑπομένειν γεύσασθαι τροφῆς ἀλούτους· ὧν καὶ Τίτος ἦν ὁ Αὐτοκράτωρ. *Multos autem et balneum perdidit, nullum ab initio magnum malum habentes, sed quod non possent, neque sustinerent nisi lauti cibos gustare. In illis fuit Imperator Titus.* Arntz.

CAP. XI. § 2 *Deinceps retulere*] Lucem magnam intuleris sententiæ, immittendo literam, *deincipes retulere:* intelligit enim principes aliquot longo intervallo sequentes, Diocletianum et Maximinum, Domini Deique nomine impotenter abusos: de quo priore consulatur infra c. 39. Dixisse autem veteres 'deinceps, deincipis,' et notat diserte Festus, et nos exemplis probavimus in libellis Suspicionum. *Grut.*

Germanici superiorem] Supple *nomine*, pro *Germanicum:* nec insolens illi temporum casuumque mutatio conjunctione connexorum. Dicis caussa, infra Dioclet. 'Huic cultu numinis Herculii cognomentum accessit, uti Valerio Jovium,' pro Jovii. 'Post duos autem triumphos Germanici cognomine assumto, Septembrem

mensem et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit.' Suet. Domit. c. 13. *Schott.*

Multaque opera] Quæ de Capitolio a patre inchoato scribit, minus adcurata sunt; Vespasianus enim incœpit et dedicavit Capitolium, sed illud brevi post ejus excessum iterum flammis fuerat deletum, quare novum ædificavit et dedicavit Domitianus, uti melius docuit Plutarchus Poplic. p. 104. Hanc ἀνιστορησίαν in Nostro jam notarant Marcilius ad Sueton. Vespas. c. 8. et Lipsius de Magn. Rom. III. 5. p. 771. *Arntz.*

§ 5 *Segnisque ridicule remotis*] Torrentius legit e Suetonii c. 3. *stylisque ridicule, &c.* non ita absurde: haud temere tamen damnaverim lectionem receptam, quæ respicere videtur ad superiora illa, 'neque adeo iners domi, belloque tolerantior videbatur.' *Gruterus.*

Fœdum exercitum] *Exercitium* credo scripsit, ut vulgati præferunt: quos hac in parte mutilos esse docuimus. Suetonius: 'velut exercitationis genus;' c. 22. *Schott.* Κλινοπάλη vox petita ab arte palæstritarum, inter quos illi maxime laudabantur, qui quamvis jam in terram projecti succumberent, tamen arte sua adversarium possent superare. Eo respicit Martialis Epig. XIV. 201. 'Hunc amo, qui vincit, sed qui succumbere novit, Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.' Hæc lectio profecta est a Salmasio, Exerc. Plin. p. 206. nisi melius ex scriptis reponeretur, *Non amo, quod vincat, sed quod succumbere novit:* id est, non ideo amo quod vincit, sed quod succumbendo vincit. Quod autem hæc pugna erat in terra procumbentium, ad lecticariam luctam eam transtulit inpurus Inperator, quomodo et alii vocabulis palæstræ usi sunt in re amatoria. Exempla sunt apud Salas ad Petron. Sat. c. 21. et Lucian. Asino p. 80. *Arntz.*

§ 7 *Uxore non ignara*] Domitia Longina vel Domitilla. Tranquill. capp. 1. et 3. de Paride histrione. *Schott.*

Histrionis] *Viro* autem pro amore viri, ut apud Justin. II. 14. § 10. 'Atheniensium virtus ceteris prælata:' ubi plura Vorstius. *Arntz.*

§ 8 *Gladiatoris more funus ferri*] Bauldri ad Lactant. de Mort. Persec. cap. 3. hic malebat, uti est in Epitoma, *efferri;* sed sine ulla necessitate. Vide quæ notamus ad Vir. Ill. c. 61. fine. *Arntz.*

Auctores necis] Parthenium, Stephanum, Clodianum, Maximum, et Saturnium. Suet. c. 17. *Schott.*

§ 11 *Per se*] Sed deerant duces; Suet. cap. 23. *Schott.* Locus, si quid video, corruptus. Cur enim hic repetit milites bellum fuisse molitos, cum jam dixerat, eos in gratiam convenisse cum optimatibus? aut cur caussam addit amissionem prædarum? an hoc antea non exposuerat, commoda eorum dispendio publico largius procedere? Non dubito igitur rescribere conjunctis vocibus *Persæ,* qui ideo ægre ferebant inmutatum esse inperium, quod præcedentes Inperatores mittendis ultro muneribus pacem emissent, a qua re alieni fuerunt sequentes Cæsares Nerva et Trajanus. Jure igitur turpem hanc inertiam in Domitiano culpat, et Trajani industriam laudibus effert hac etiam in parte Plinius in Paneg. cap. 12. 'Accipimus obsides ergo non emimus, nec ingentibus damnis inmensisque muneribus paciscimur ut vicerimus:' ubi inspiciendi commentatores. Et illud est, quod dicit Florus Proœm. lib. I. 'sub Trajano principe inperium movisse lacertos.' Ad quem locum commode Begerus adfert nummum Trajani cum hac inscriptione: REX. PARTHIS. DATVS. Adde eundem in Thesauro Brandenb. tom. II. p. 649. et de Bie Numism. Aurea tab. XVII. Plinius iterum Paneg. c. 14. 'Non incunabula hæc tibi Cæ-

sar et rudimenta, cum puer admodum Parthica lauru gloriam patris augeres, cum ferociam superbiamque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes.' Nec minus gloriose de Trajano Martial. Epigr. XII. 8. 'Dixit præside gloriosa tali, Parthorum proceres, ducesque Serum, Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni, Possum ostendere Cæsarem, venite.' Suo igitur more *Persas* dixit pro *Parthis*. Anna ad cap. 13. § 3. c. 16. § 4. in Epitome c. 1. § 8. cap. 9. § 18. aliisque locis longo ordine. Quamvis hunc usum ignorantes sæpe *Parthos* obtruserint librarii, ubi *Persas* scripserat ipse auctor: ita apud Sextum Rufum in Brev. cap. 17. inveni in scripto: 'Is cum pacem, missa a Persis legatione, rogaretur.' Hodie in inpressis legimus *Parthis:* et c. 19. 'Persæ ad satisfactionem tam audacis admissi obsides dederunt.' Quo loco etiam *Parthi* circumfertur in vulgatis. Horatius Od. I. 2. 21. 'Audiet cives acuisse ferrum, Quo graves Persæ melius perirent:' ut monuerat jam ad eum locum Torrentius et Casaubonus ad Lampridii Alex. Sever. c. 55. initio. De pace vero hoc modo haud raro ab ignavis Principibus emta, ne multa congeram, adde solum Claudian. Consul. Stilic. I. 209. 'Illi terribiles, quibus otia vendere semper Mos erat, et fœda requiem mercede pacisci.' Non absimilis est correctio ingeniosissimi Burmanni ad Ovid. Epist. Her. I. 3. pro *certe* restituentis *per te:* 'Troja jacet per te, Danais invisa puellis.' Illa conjectura de Persis si recipiatur, sequens *his* non ad milites, sed ad Persas erit referendum. *Arntz.*

CAP. XII. § 1 *Quid enim Nerva, &c.*] Hæc et sequentia, ceu falsa ac portentosa, sugillat Josephus noster Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, ad annum MMCXIII. *Grut.*

Cretensi] Forte scriptum erat, ut in vulgata *Narniensi:* nam illud *maximeque* pro *magisque* indocti scribæ et somnolenti harpydiis unguibus fœdatum quis non videt? *Schott.* Neque hoc in textum recipere dubitavi, inepta enim est vox *Cretensi;* et *Narniensi* multis partibus prætulit etiam Spanhemius Orbe Rom. Exerc. II. 22. p. 525. Addidit autem *Narniensi*, ut doceat eum, quod ante dixerat, peregrinum fuisse. *Arntz.*

§ 2 *Quod appellatur Pervium*] Ita scriptum integre absque litura. Nic. Faber vir doctissimus repugnante libro *Nervium* reponebat. Nihil tamen demuto. Nam hoc forum quantumvis a Nerva dedicatum 'Nervium' appellari potuerit, dictum est 'Transitorium;' quod inde in tria fora transitus pateret. *Pervium* ergo ab usu, *Nervium* ab auctore. Lampridius Alex. Severo: 'In foro Divi Nervæ quod Transitorium dicitur.' In quarta urbis regione collocat P. Victor et Sextus Rufus in regione templi Pacis cum templo Divi Nervæ. μεθόδειον et ᾠδεῖον Græci appellant, Latine *Methodeum* et *Odeum;* quod a Domitiano primum exstructum: auctores Eutropius lib. VII. extremo, et Suetonius Domitiano c. 5. Postea 'Nervæ' dictum, vel 'Nervium,' a dedicatore, et 'Transitorium' seu *Pervium*. Certat igitur de probitate utraque lectio. *Schott.* Vide an aliquid receptæ lectioni subsidii sit in his versibus Martialis Epigr. X. 28. 'Pervius exiguos habitabas ante Penates, Plurima qua medium Roma terebat iter.' Agit de Jano, cujus templum fuit in foro Nervæ seu transitorio: locus hic jam laudatus est a Donato in Roma Vet. II. 23. et Lipsio de Magn. Rom. III. 7. Ceterum de abdicato a Nerva inperio confer Bauldry ad Auctorem de Mortib. Persec. c. 18. et Spanhem. de Præst. et Usu Numism. XII. 514. *Arntz.*

CAP. XIII. § 3 *Pileatis*] Πιλοφόρους vocat Xiphilinus e Dione; 'pilatos.'

vertit Merula: 'qui pileos gestabant' Blancus, ubi *pila* quidam impresserunt, qui et iter conditum ait per Ponticas paludes. Pro *Sacisque, Iazygisque* legendum ex Dione videtur. Mox 'de Decibalo rege ac Dardaniis:' *Dardanis, Sauromatis, Sarmatis* legendumne sit, aliorum esto judicium, nam *Sardonios*, quod in Ms. reperi, ut rectum sit vereor. *Schott.* *Sardonios* quoque suspectos habebat Ortelius in Thes. Nec displicet, quod censebat cultissima Anna [vide Not. Delph.] latere nomen reguli; quid si littera *s* a sequenti voce adhæserit, cum *Sardonio* scripserit auctor? Sed talia sunt incerta, præsertim cum nescio quo fato optimus principum non eos, quos ejus gesta meruerunt, nactus sit historicos, qua in re feliciores fuerunt alii ante et post eum Inperatores. *Arntz.*

Cui bello atque inperanti] Hæc Mss. lectio, quæ si placet, aliquid desit necesse est. *Schott.*

Persarum] Vide supra c. 11. § 11. *Arntz.*

Cosdroë] Suidus Χοσρόην vocat sine *d. Sylb.* Vide Spanh. de Usu Num. diss. XIII. p. 578. *Arntz.*

§ 5 *A Domitiano capta fora*] Pro *capta* legendum potius *cœpta*. Sylb. Præstat reponamus *cœpta*, uti etiam volebat Sylburgius noster. *Gruter.* Hanc conjecturam merito etiam secuti sunt Lipsius Elect. I. 8. et ad Plinii Paneg. cap. 51. et Nardinus in Roma Veteri VII. 9. Mox malim reponere *excoluit* ex voce præcedenti. *Arntz.*

Pistorum] Ex hoc loco colligebat doctissimus Lipsius Elect. I. 8. p. 667. jam a Trajano institutum fuisse, ut populo non annona, ut fieri solebat, sed panis distribueretur; a cujus sententia recessit, et ad Aurelianum hujus rei usum retulit Salmasius ad Vopisci Aurel. c. 35. Reliqua etiam illustrantur a Spanhemio de Usu Numism. Diss. XIII. p. 542. *Arntz.*

Simul noscendi socius] Emendabat *noscendis ocius* vere, litera una migrante, Puteanus consiliarius regius, cui dici non potest quantum debeam ob singularem humanitatem in communicandis Mss. quibus referta bibliotheca est: nec ego solum, sed omnes quotquot studio et industria nostra aliquando juvabuntur. *Schott.*

Admota media cursus publici] Vide apud Spart. notata a viris doctissimis. *Anna.* Scilicet ad c. 7. vitæ Hadriani. *Arntz.*

§ 6 *In pestem*] Arguunt leges et Constitutiones Imperatorum sequentium codici libro XII. insertæ. *Schottus.*

Præfecto medente Anatolio] Amm. Marcellinus lucidissime hanc rem lib. XIX. extremo exponit: 'Quodque Anatolio regente tunc per Illyricum præfecturam, necessaria cuncta vel ante tempus coacta sine ullius dispendio affluebant: nec enim dispositionibus unquam alterius præfecturæ (ut inter omnes constat) ad præsens Arctoæ provinciæ bonis omnibus floruerunt, correctione titubantium benevola et solerti, vehiculariæ rei jacturis ingentibus quæ clausere domus innumeras et censuali professione,' &c. Meminit et lib. XXI. *His annis* autem, scilicet ante Constantii decimum, Juliani autem tertium consulatum: cujus apud eundem Marcellinum mentio exstat lib. XX. initio. *Schott.*

§ 8 *Quippe qui Suræ familiari*] Eæ forte sunt Thermæ, quas Albertinus Syriacas dictas, nescio quo auctore, scribit: certe in Aventino fuerunt Palatinum versus, ut commemorat Victor, Volaterranus, et Martial. lib. VI. 'Quique videt propius magni certamina circi, Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.' In Spartiani Adriano corrupte olim legebatur *Suburano* pro *Sura*, teste Baptista Egnatio: huic autem ἐπιτρέπειν εἰῶθα τὰ πολλὰ γράφειν. Julianus Λόγῳ περὶ

Καισάρων. *Schott.*

§ 9 *Præfectum prætorio, Saburranum*] Nescio quid de Saburra saburrati ipsi cogitarunt, qui hanc lectionem commenti sunt. Ex Dione et Xiphilino idem hic est. 'Licinius Sura:' quare hic *Suburanum* vel *Suram nomine* a glossa esse crediderim. Sidon. Apoll. Carm. v. 'Vix habuit mores similes, cui teste senatu In se etiam tractum commiserat Ulpius ensem.' *Schott.* Pro *Saburano* substituendus fortasse *suranus*, qui a Panvinio bis consul ponitur; at 'L. Licinius Sura' ter. Schottus commation hoc per glossema intrusum esse putat. *Sylb.* Non injuria suspectæ sunt voces duæ postremæ viris eruditis. Per glossema intrusæ sunt, nam de Licinio Sura adhuc loquitur. *Grut.*

Angebatur] Vir summus Isaacus Casaubonus emendare ait *agebatur*, non ex mente Victoris. Nam is nativum illud vitium non parum molestiæ dedisse Trajano dicit, priusquam molliretur. Scite exprimit hoc verbo viri cordati naturam, qui quod tollere non potest, eo tamen vitio contristatur atque angitur. Ita eo verbo usi scriptores: quod si alioqui vexari et inquietari, ut loquitur Petronius, id solum expones, non erit opus correctione. Sidon. Epist. IV. 28. 'Occulte angere, quod filius publico mœrore conficitur.' *Barthius* Adv. XXIV. 19. Sed tamen non ea videtur mens Aurelii, ut molestiam, quam ipsum illud vitium Trajano adferret, his verbis exprimeret, sed potius vult indicare laborasse eum eodem malo, quo Nerva; quos ideo hic jungit, ut vitium ipsum, non vero mœrorem propter illud designaret; quare Casauboni emendationem malim amplecti. Sic enim mihi videntur distinguendæ voces 'agi' et 'angi,' ut *agamur* vitiis, quæ naturalia nobis sint; *angamur* iis malis, quæ aliunde obveniunt. Priori sensu 'agimur' libidine, cupidine, nativis vitiis; altero autem 'angimur' dolore, ægritudine, metu, &c. Seneca Herc. Fur. vs. 405. 'Sed ille regno pro suo, nos inproba Cupidine acti.' Sed confunduntur vulgo talia: ita apud Cicer. pro Arch. c. 11. recte Grævius defendit, 'Neque tot curis vigiliisque angeretur.' Apud Oros. IV. 12. retinendum 'Per totum annum doloribus et cruciatibus angatur,' licet Mss. quos alii et quem ergo contulere, malint *agatur;* quam vocem corruptam esse judico apud eundem IV. 18. 'gravissima pestilentia uterque exercitus agebatur.' Præferrem *angebatur,* quod vitium apud Curtium V. 3. § 21. optime sustulit Modius. Nec aliam magni Lipsii et Perizonii secutus judicium amplector lectionem apud Val. Maximum VIII. 11. ex. ext. 1. 'Athenæ solicitudine angerentur.' Appuleius de Habit. Doct. Plat. p. 22. 'Nec futuris modo angitur malis, verum etiam præteritis transactisque torquetur.' Ipse Aurelius infra c. 26. § 3. 'Quorum metu haud inane angebatur.' Comicus Phormione I. 3. 8. 'At non quotidiana cura hæc angeret animum.' Attamen non tantam inter has voces differentiam agnoscit Cortius ad Sallust. Catil. c. 5. § 7. et ad Fragm. Hist. I. 949. Casauboni emendationem reperies in notis ad vitam Hadriani c. 3. p. 25. Mox *longiores epulas* scio quomodo exponi posset; attamen necessarium non est, ut semper longiores epulas sequatur ebrietas. Commodior vox esset, si *largiores* scribamus. 'Largæ epulæ,' quibus genio et liberiori Baccho indulgetur. Livius XL. 14. 'Si die festo inter æquales largiore vino sum usus.' Curtius VIII. 6. § 14. 'Epulantium comitas provexit omnes ad largius vinum:' eodem libro c. 9. § 30. et c. 12. § 17. 'Super cœnam largiore vino usus.' Val. Max. II. 2. ex. 9. Horatius Od. III. 18. 6. Mar-

tial. Epigr. IX. 35. 'Atque inter mensas largo jam nectare fusus.' Et magnus Burmannus ad Phædrum Fab. II. 6. 15. *Arntz.*

§ 10 *Apud Antiochiam, ceteraque Syriæ extremis adficeretur*] Locus impeditus, mutilus enim. Terræ motum autem Dio in Trajano et Xiphil. describunt. *Schott.* [Vide Lectt. Var.] Sed hoc est vi mederi; quales conjecturæ ridiculum sæpe faciunt hoc studiorum genus, præsertim in illis locis, quæ sine multa difficultate exponi possunt. Itaque *extremis* sublato asterisco hic erit, extremis vitæ temporibus Trajani. Nepos Hamilc. c. 2. 'Sed extremo, cum prope jam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem Inperatorem fecerunt.' Tacitus Ann. XI. 37. 'Tanta inter extrema superbia agebat.' Integre dixerat Ovidius Met. VI. 675. 'Hic dolor ante diem, longæque extrema senectæ Tempora.' Et 'extremis temporibus' Nepos Phoc. c. 2. vel *extremis* erit extremo et gravissimo periculo. Conf. Cortium ad Sall. Jug. c. 23. Sed fortasse malles hoc loco *ceteraque Syriæ extrema;* uti 'extrema Libyæ' apud Lucan. IX. 598. 'extrema Galliæ' apud Florum III. 3. § 1. et passim. *Arntz.*

§ 11 *Abhinc*] Notatum hoc jam Gutherio de Off. Dom. Aug. I. 42. Bœclero ad Herodian. II. 15. § 5. et Spanhemio de Usu et Præst. Num. diss. XII. p. 352. *Arntz.*

§ 12 *Quamquam alii Plotinæ*] Et ita hæc non satis concinne cohærere censebat Bœclerus l. l. sed non opus est, ut ad superiora referamus, cum voluerit auctor ostendere, alios existimare tum temporis nondum ortam fuisse distinctionem inter Augustos et Cæsares, ideo, quod post obitum demum Trajani ex testamento exstiterit heres inperii favore Plotinæ. Sed alium mortuo Trajano fuisse suppositum fabulam esse fictamque historiam facile adsentior Dodwello in Prælect. XVII. § 4. *Arntz.*

CAP. XIV. § 2 *Pompilii Numæ*] Vide Salmasium ad Capit. Antonino Pio in fine. *Arntz.*

Athenæum] Ita emendavi, nam obscure in Ms. erat: meminit ejus Lampridius: 'Ad Athenæum, audiendorum et Græcorum et Latinorum rhetorum vel poëtarum causa, frequenter processit,' de Alex. Severo. 'Pertinax quo die processionem ad Athenæum paraverat, ut audiret poëtam, ob sacrificii præsagium distulit,' Julio Capitolino auctore. Idem Gordianis initio, 'Ubi adolevit, in Athenæo controversiis declamavit, audientibus etiam Imperatoribus suis.' Ex quibus colligitur publicum fuisse, in quo poëmata orationesque recitarentur. *Schott.* Et hanc lectionem confirmant Sirmondus ad Sidon. Apoll. Epist. II. 9. Salmas. ad Capit. Anton. Pio c. 11. et Nardin. in Roma Veteri V. 13. *Arntz.*

§ 3 *Quæ Eleusina dicitur*] An *Eleusinia dicuntur?* Illud ad cognomentum Deæ, plaustraque Eleusinæ matris; hoc ad initiorum nomen. *Schott.* Verisimile est, auctorem nostrum non recte intellexisse eos, quos secutus est, auctores, cum non hæc sacra Romam transtulerit Inperator, sed tantum hisce Athenis fuerit initiatus. Sic potius crediderim, quam adsentiri Salmasio ad Spart. Hadriano c. 22. qui putat, confudisse Aurelium sacra Cereris cum Eleusinis Initiis, et fortasse Inperatorem hunc aliquid mutasse in eorum sacrorum ritu. Sed de hac etiam re, perinde ac de translatione Initiorum silent antiqui scriptores. Porro eodem loco vir summus, ut et ad c. 13. legit, *Eleusina dicuntur,* pro quo ibidem *Eleusinia dicuntur* doctorum princeps Casaubonus. Neutrum necessarium duco esse. Quod enim 'Eleusinam' dicat Cererem, ideo est, ut hoc cognomine ab ea Cerere, quæ Romæ jam antea colebatur, posset distingui. 'Eleu-

sina' enim epitheton Cereris, a qua deinde dicta sunt 'Eleusinia,' (seu *Eleusina*, utrumque enim dicitur; vide Havercamp. ad Tertull. Apol. c. 7.) sacra celebrata in honorem Cereris Eleusinæ. Arnobius Adv. Gent. vi. p. 193. 'Celei virgines non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia.' Lactantius Divin. Inst. i. 21. 'Sacra vero Cereris Eleusinæ non sunt his dissimilia.' Servius ad Virg. Æn. i. 655. 'Atheniensium nobilissimæ virgines Eleusinæ Cereri sacra facerent.' *Arntz.*

§ 4 *Lucio Ælio Cæsari*] L. Ælii Cæsaris ab Adriano adoptati mentio est etiam in Panvinii Fastis, qui ante adoptionem 'L. Cæsonium Commodum Verum' appellatum fuisse scribit. In Schotti Ms. nunc *Elius* est, nunc *Helius*. Sed *Ælium* per diphthongum *æ* probat etiam apud Suidam Αἴλιος Ἀδρίανος. *Sylb.* Hisce in locis ob frigidam cœli temperiem hortos suos excolebant delicatiores Romani, in quibus se abdere consueverant tempore æstivo. Unde Tibur quidem pro villa Tiburtina simpliciter dixit Statius Sylv. i. 3. 1. 'Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci.' *Arntz.*

§ 5 *Beatis locupletibus*] Cuperus Obs. iii. 1. ostendens 'beatos' sæpe poni pro illis qui in re lauta versantur, qui divites sunt; existimavit hic vel excidisse particulam *et*, vel ultimam vocem suam glossatori debere originem. Hoc vix crediderim, cum ea significatio 'beati' notior sit, quam ut ab aliquo ex margine addi potuisset *locupletibus*. Ita Propert. El. ii. 16. 25. 'Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.' xix. 33. Horat. Od. i. 4. 14. Ovid. Am. El. i. 15. 34. Senec. Herc. Fur. vs. 166. 'Hic nullo fine beatas Componit opes, gazis inhians:' ita duo scripti nostri et alii apud Gronov. pro *beatus*. Claudian. Cons. Olyb. et Prob. vs. 47. Grang. ad Juven. Sat. i. 39. qua significatione μακάριοι Græcis adhibetur. Menander in Fragm. p. 104. et Munckerus ad Anton. Liber. Metam. c. 34. Quare si res mei esset judicii, alteram ego rationem ex hisce duabus præferrem, cum similiter et aliis hæ voces particula copulativa connectantur. Lactant. Divin. Inst. v. 22. 'Potentes, beatos et divites fieri sinat.' Arnob. Adv. Gentes vii. 231. 'Post cœnarum ditium et locupletium saginas.' Salvianus de Gubern. Dei i. 5. 'Nequaquam ergo pro his dolendum, quod non sunt divites ac beati.' Verum tamen optimum mihi videtur nihil mutare, cum ex ratione sui seculi locutus credatur auctor, quod duo epitheta idem significantia conjungit. Contraria plane notione Juvencus Presb. Euang. Hist. i. 102. 'Sustulit ille thronum sævis, fregitque superbos, Largifluis humiles opibus ditavit egentes.' Quamobrem neque quidquam mutat hunc locum citans Wasse ad Sall. Catil. c. 11. p. 45. Ita 'beati locupletes' conjungerentur eodem modo ac 'humiles egentes.' Si quis tamen interserere voluerit copulativam particulam, non vehementer pugnabo, et tueri se poterit auctoribus viris eruditis, qui centies id esse factum docuerunt, inter quos Gronovius, ad Melam Prœm. Perizonius ad Val. Maximum ii. 10. § 2. et egregie Burmann. ad Phædrum Fab. iv. 5. 44. quæque nos infra c. 20. § 5. Eadem opera restitue ex scripto cod. apud Oros. vi. 13. 'Quod contra fœdus Luculli et Pompeii, avaritia inductus, Euphratem transierit.' Fabricius, cujus sola ed. ad manus est, dederat nobis *Luculli*, *Pompeii avaritia*, apertissimo vitio. Alio modo *beatis* hic exponit per 'Imperatoribus' Savaro ad Sidon. Carm. v. 57. *Arntz.*

§ 7 *Voluntarium ad vicem*] Ἑκουσίου ψυχῆς ἔδεῖτο Xiphilinus, quem lege: hic et Adrianum ipsum divinationibus et magicis artibus cujusvis gene-

ris curiose usum scribit. *Schott.*

§ 8 *Suspectam æstimantes societatem ævi longe inparilis*] Egregie Plautus Persa: 'Scio fidei herili ut soleat impudicitia opprobrari: Nec subigi queant unquam, ut pro ea fide habeant judicem.' *Schott.* Ut enim placet Aristoteli Ethicorum VIII. 13. 'est amicitia tantum ætatis paris:' de qua re, nos non vulgaria, in Discursibus nostris. *Grut.*

§ 10 *Gressus levantem*] Scilicet ad Anton. Pium c. 2. Posset etiam legi *ut genitoris;* ut eadem pietate socerum sublevavit, qua parentem deberet. *Arntz.*

§ 11 *Cæsarem jubet*] Pro Cæsarem renuntiat, ut infra c. 39. § 17. et c. 41. § 55. Quamquam structuræ lex hic potius legendum dictat *Cæsarem appellari jubet.* Sylb.

§ 12 *Tube*] Salm. ad Spart. Hadr. cap. 23. et ad Anton. Philos. cap. 6. *Arntz.*

Senecta viridiore] Id est robustiori, ab arboribus ducta metaphora. Virgil. 'Cruda Deo, viridisque senectus.' Et Horatius, 'Virent genua.' *Arntz.*

§ 13 *Tantum admissus sui ordinis*] Ita vetus liber. Legendum tamen *amissos.* Interfectos enim falso putabant. Quos quia Antoninus servasset, Pii cognomentum sortitus est; Dio, Spartianus, Capitolinus. *Schott.*

CAP. XV. § 1 *Aurelio Antonino*] In Msc. pro *Aurelio, Attelio* male scriptum erat. *Schott.*

§ 2 *E Lanuvino municipio*] Casaub. ad Capit. Anton. Pio c. 1. et Gatak. ad Anton. de Reb. suis lib. I. § 16. *Arntz.*

Jugi pace ac longo otio] Confer Casaub. ad Capit. Anton. Pio cap. 5. *Arntz.*

§ 3 *Absoluta*] Vide Lindenb. ad Ammian. Marcell. XIV. 10. sub fin. *Arntz.*

Fortunatas urbes] Alludit ad divini Platonis sententiam lib. v. de Rep. Ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταυτὸν ξυμπέσῃ δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία· τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐφ' ἑκάτερον, αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν· δοκῶ δὲ, οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει. Quæ a Cicerone translata in eleganti illa epistola ad Q. Fratrem de provincia administranda: 'Ille quidem,' inquit, 'princeps ingenii et doctrinæ Plato, tum denique fore beatas resp. putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent; aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.' Quam etiam Antonino philosopho semper in ore fuisse, nec in ore tantum, sed et moribus expressisse, auctor est Capitolinus. *Schottus.* In quam sententiam Prudentius cont. Symmachum lib. I. vers. 30. 'Nimirum pulcre quidam doctissimus: esset Publica res, inquit, tum fortunata satis, si Aut reges saperent, aut regnarent sapientes:' ubi consulendus Weitzius et Gatakerus ad Antoninum de Rebus suis lib. I. § 14. *Arntz.*

§ 4 *Celebrato magnifice urbis nongentesimo*] [Vide Not. Delph.] Hæc minus subducta ratione scripsit bellissima fœmina, cum Antoninus non susceperit inperium anno DCCCX. sed DCCXCI. quem errorem jam detexerat accuratissimus Vignoli in Columna Anton. cap. 4. p. 64. Neque tamen alius hujus nongentesimi celebrati facit mentionem, cum tamen testimonia supersint de octingentesimo Claudii et millesimo Philipporum. Confer summum Scaligerum de Emend. Temp. lib. v. p. 493. *Arntz.*

§ 5 *Ostentandi sui*] Subauditur 'caussa,' vel 'gratia;' ut alibi quoque passim, cum apud historicos, tum apud jurisconss. *Sylb.*

CAP. XVI. § 1 *M. Boionium*] Sunt qui dubitent hic ne *Boionius* sit: ac Pium quidem *Boionium*, philosophum

Ceionium appellandum putant. Ego vero 'L. Ceionium Commodum' L. Veri patrem, qui ab Adriano adoptatus prior mortuus est, vocatum didici ex Capitolino. *Schott.* De 'Boionii' nomine dubitant hic nonnulli, ac Pii potius id, quam Philosophi esse censent, sicuti scilicet Epitome cap. 15. et Eutropius VIII. 8. 'Boionium Pium' nominant, præsertim cum et Capitolinus illum vocet T. Aurelium Fulvium Boionium Antoninum Pium, hunc M. Annium Verum Antoninum. Sed ferri Boionii nomen etiam hic potest propter adoptionem; qui Philosophus a Pio adoptatus nomen ejus sumpsit. *Sylb.*

Philosophandi] Vide tamen Paulum Voet ad Herodian. p. 34. *Arntz.*

§ 2 *Uti Campania sedens*] Inde reposui *ut in Campania sedens.* Quid si *in Campaniam secedens?* 'Faustinam satis constat apud Caietam conditiones sibi et nauticas et gladiatorias elegisse:' Julius Capitolinus. Dicta autem 'Arnia Valeria Faustina,' quæ in edito Eutropio 'Galeria,' qui et apud Lorium (numero singulari) mortuum socerum scribit. *Schott.* Vel *uti Campaniam secedens.* Nomina enim regionum ad morem urbium sine præpositione poni certissimum est, et vulgo notum, illud autem verbum huic rei proprium. Sueton. Aug. c. 98. fine: 'A desidia secedentium illuc e comitatu suo.' Appul. Met. v. 171. 'Ille quidem montano scortatu, tu vero marino natatu secesseritis.' Juven. Sat. III. 4. 'Janua Baiarum est, et gratum litus amœni Secessus.' Posset tamen *sedens* hac notione retineri, ut apud eundem Sat. x. 93. 'Principis angusta Caprearum in rupe sedentis:' ubi Vet. Schol. Frequenter enim tribuitur hoc verbum illis, qui otiosi agunt. Cicero ad Att. Epist. XII. 44. 'Quid enim sedere totos dies in villa ista?' Hoc jam multis exemplis docuere plures. Torrent. ad Sueton. Cæs. cap. 4. Vorst. ad Valer. Max. VII. 4. ex. 5. Comment. ad Justin. l. XXXI. c. 3. § 9. et ad Silium XII. 64. *Arntz.*

§ 3 *Lorios*] Jornandes de Regn. Succ. I. p. 695. 'Defunctus est in villa sua Loris nuncupata.' Cassiod. in Chron. 'Antoninus Pius apud Lorium villam suam moritur:' ita et alii: quare eam scripturam prætulere viri docti ad Capit. Anton. Pio cap. 1. et Scaliger ad Euseb. Chron. p. 220. *Arntz.*

Post quintum et septuagesimum] Adde Casaub. et Salm. ad Capit. Anton. Pium cap. 12. *Arntz.*

Fratrem Lucium Verum] Hanc in rem multa docte congessit Ezechiel Spanhemius ad Juliani Orat. I. 47. *Arntz.*

§ 6 *Lita veneno*] Totidem pæne verbis Capitolinus Antonino et Vero. Non dissimile in Plutarchi Artaxerxe, cujus mater Parysatidis nomine, Statyræ uxori ejus infesta, illam hoc modo sustulit, dissectæ in convivio avis, (ryntacen Persæ vocant,) eam partem quæ cultri alterum latus toxico oblitum attigerat, edendum præbuit. *Schott.*

§ 7 *Hæc in tanto viro credere, nisi animi ad scelus proni, non queunt*] Unumquemque enim vita ante acta; aut damnat aut absolvit. Hinc Sallustius Catilin. cap. 48. 'Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maximis divitiis, summa potentia; alii rem incredibilem rati,' &c. Quintil. Declamatione CCCX. 'Damnatus est adulterii; sed postea fortiter pugnando ostenderat, non eos esse mores suos, non suam vitam, ut in illo credibilia hæc crimina forent.' Acute igitur Publius noster Syrus (quid ni enim meum vocem, qui ei suum dedi habitum, suam habitudinem?) 'Probi delicta judex legens, deterit.' *Grut.*

§ 8 *Tantumque in arte sapientiæ*] Lego *tantumque Marco sapientiæ.* Schottus.

Philosophorum] Fortasse legendum *Philosophorum turba circumfunderetur, obtestantium, ne se exped.* Qua de re vise Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio. *Sylburg.* Nove dictum, pro 'circumfunderetur philosophis obtestantibus:' ideoque Casaubonus noster emendabat *obtestantium vi circumfunderetur.* Gruter. Reperies hanc Casauboni conjecturam cap. 3. *Arntzenius.*

§ 9 *Ita incerta belli ejus salute, doctrinæ studiis metuebantur*] Vel *belli* sumitur adverbialiter, quemadmodum usurpatur Plauto ac Sallustio, aut ea vox delenda: at idem amicus noster, rursum immissa præpositione, legebat *belli, in ejus salute metuebantur.* Grut. Salmasius ad Vulc. Gall. cap. 3. *ejus salute* exponit 'per ejus salutem;' cujus salus, doctrinæ studiorum salus esse existimabatur ab omnibus; vel rescribit *ejus saluti et doctrinarum studiis metuebantur;* id quod hoc loco secuta est doctiss. femina. [Vide Not. Delph.] Ego puto receptam lectionem cum Salmasio posse retineri et exponi, licet durius sit. Sed talia apud auctorem nostrum multa sunt. *Arntz.*

§ 10 *Vadimoniorumque solenni remoti*] An *sollenni more denuntiandæ litis?* an *sollenni more remoto, denuntiandæ litis?* Sustineo. *Schott.* Legerim littera unica mutata *sollemni remoto.* Grut. Simplicissima lectio est illa Gruteri et haud dubie vera, quæ etiam sententia est magni Gothofr. ad l. I. Cod. Theod. de Denunc. et Edit. Resc. et Marcilii ad § 15. Inst. de Action. Olim scilicet vadimonii condictio in usu erat, quam sustulit Antoninus inducendo litis denunciationem. *Arntz.*

§ 11 *Promiscue civitas*] Sic emendo: nam Mss. *promissi* vel *promissa*, utrumque abjudico. Illud rectum esse confirmat lex XVII. D. de Statu Homin. 'In orbe Romano qui sunt, ex constitutione D. Antonini cives Romani effecti sunt:' ita enim legendum docuit, non ut in vulgatis *in urbe Roma;* Andreas Alciatus Dispunct. lib. II. et hinc Roma communis omnium patria; l. 'Roma.' XXXIII. D. ad l. Municipalem. Catena Patrum Græca in D. Lucæ de Gestis Apostolorum cap. XXII. ubi se civem Romanum centurioni divus Paullus prædicat, magna temporis historiæque ignoratione, 'Tempore,' inquit, 'Adriani contigit, ut omnes Romani efficerentur.' Nam quamquam et Antoninus, Adrianus cognominatus; longo tamen post tempore quam Paullus fuit, regnare cœpit. *Schott.* Sed hæc civitas Romano orbi concessa non fuit a Marco Antonino, sed ab Antonino Caracalla, quo inperante Ulpianus, cujus est lex illa XVII. libros ad Edictum composuit. Maluit Burmannus de Vectig. p. 220. hunc Victoris errorem expositione mitigare, verum illis potius adsensum præbeo, qui appellationis similitudine lapsum esse Nostrum crediderunt. Confer Grotium in Flor. Spars. p. m. 102. Spanhem. in Orb. Rom. diss. II. p. 184. et Schulting. ad ff. de Stat. Hom. p. 79. Quæ pertinent ad veram illius legis lectionem post Alciatum confer Constant. Landum in Exerc. libello p. 1401. tom. III. Thes. Jur. et Anton. Augustinum de Excusat. p. 1578. tom. IV. ejusd. Thes. *Arntz.*

Nicomedia a Cereali] Repone *Nicomedia Cereali.* Consul fuit Cerealis Neratius cum Fabio Tatiano, A. U. C. M. CXII. post Constantii Augusti consulatum IX. qui annus hujus historiæ finem biennium antecedit, ut in Prolegomenis docui. De Nicomedia et terræmotu copiose Ammianus lib. XVII. *Schott.* Et Scaliger ad Euseb. Chron. p. 256. *Arntz.*

§ 12 *Regi Marcomanno*] *Marcomaro* disertim vetus cod., et *Carnuto.* Eutropius lib. VIII. 'Carnuntum,' et Spartianus Severo vocant. Nationes autem Quadi, Vandali, Sarmatæ, Su-

evi. *Schott.*

§ 14 *Qui sejuncti in aliis Patres ac vulgus*] Retineri lectio hæc potest, tum quia a Mss. est, tum quia Capitolino gemina dicit: 'Prius,' inquit, 'quam funus conderetur, quod nunquam antea factum fuerat, nec postea, senatus populusque non divisis locis, sed in una sede propitium Deum dixit.' Nic. Faber *quæ sejunctim aliis Patribus ac vulgus;* non improbo, sequitur enim *soli*. Schott.

Cap. xvii. § 1 *Majorum*] Mox scriberem *conversam*, ut significet in locum optimorum principum malos successisse rectores; vel certe *contraversam*, id est, 'oppositam,' si inter se conferantur facta majorum et scelera nepotum; hæc vox sæpius ita est corrupta, quod multis locis docuit ὁ πάνυ Salmasius ad Solin. p. 206. 225. 300. &c. postque eum Gronovius ad Ammian. Marcell. xxii. 8. *Arntz.*

§ 2 *Septembrem mensem Commodum appellaverat*] Vide ad Lamprid. Commod. quæ a viris doctissimis notata sunt. *Anna.* Scilicet ad Lampridii cap. xi. in vita Commodi, et Scal. ad Euseb. p. 225. *Arntz.*

§ 3 *Mœnia Romana potentia vix digna*] Jos. Scaliger in Animadversionibus Eusebianis reponendum putabat *Amœnia;* id est, loca vacantia in ambitu urbis. Glossarium ἀκτὰς vertit. Intelligit thermas Commodianas, de quibus et Lampridius: 'Opera ejus, præter lavacrum, nulla exstant.' *Grut.* Scaligeri nota est ad Euseb. p. 225. et Salmasii ad Lampr. Comm. cap. 17. locus difficillimus, ex quo me non expedio, neque enim capio acumen doctissimæ feminæ, [vide Not. Delph.] nam quo modo mœnia instituere notabit, thermas ædificare juxta mœnia, præterquam quod *Romana* non ad *mœnia* sed ad *potentia* referenda videantur? Ego potius cum Salmasio interpretor *mœnia* per opera publica. Confer eundem ad Tertull. Pall. p. 171. *Arntz.*

§ 4 *Ferrum objectum veronibus*] Lipsius Saturn. ii. 19. legit, '*Ipse ferro obtecto veronibus plumbeis uteretur.* Olivarii et Fabri conjecturæ apud Schottum minus videntur εὔστοχοι. *Sylb.* et *Grut.* Plumbei autem verones erunt gladii obtusi, uti apud Cicer. ad Att. Epist. i. 16. 'Cum illum plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret.' Conf. Salm. ad Lampr. Comm. cap. 5. *Arntz.*

§ 5 *Scæva nomine*] Mss. *sæva:* hinc error supra librariis objectus, ut *Sæva a principio* scripserint; tanquam proprium nomen *Sæva* fuerit, qui Commodus est. *Schott.*

Pugnandique arte pervidens] Puto legendum *Pugnandique arte pervigens* vel *perurgens.* Schott. Schott. legendum putat *pervigens* seu *perurgens.* Sed non minus aptum fortassis *perfidens* seu *præfidens.* Sylb. Grut. et Anna. Nisi potius mavis *prævalens,* uti supra Orig. Gent. Rom. cap. 7. § 2. Livium v. 15. et alios. *Arntz.*

Cibi per ministrum ungendi] Repone *ibi* vel *ubi.* *Alipten* Græci ἀλείπτην vocant. Narcissum autem Commodi Strangulatorem vocat Spartianus, quem adeo leonibus postea objecerit Herodianus lib. i. extremo. *Schott.*

Dum incestam mentem pravamque putant] Forte *brutamque,* de qua re diximus plura, ad Taciti Annal. xiv. 2. ubi inquit, 'Nec toleraturos milites profani principis imperium.' *Grut.*

Pacchiorum] An *Tusciarum?* Amicissimus Olivarius *brachiorum.* Schottus. Malim *bracchiorum,* aut *fasciarum* cum aliis, aut simile quid. *Grut.* *Brachiorum nodo* unanimi eruditorum consensu hoc loco fuit receptum; nec est cur de veritate hujus lectionis dubitemus post Salmasium ad Lampr. Comm. cap. 17. Scalig. ad Euseb. Chron. pag. 226. Vales. ad Ammian. Marcell. v. 2. fine, et Cuperum in Observ. i. 12. pag. 90. 'Nodus' seu 'nexus' est inplicatio illa brachiorum circa collum, qua athletæ adver-

sarios strangulabant. De qua arte vide quæ collegere Faber Agon. I. 20. Drakenb. ad Silium III. 33. et Oudend. ad Lucan. IV. 614. *Arntz.*

§ 10 *Ob festa Januariorum*] Eo die senatum ante lucem convenire solitum fuisse docuit Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. VIII. 6. pag. 500. *Arntz.*

Primo luci] Pro *prima luce* genere masculino, ut docent Fl. Charisius Sosipater et Non. Marcell. Plautus in Cistell. 'Cum primo luci nisi ambo occidero.' Terent. Adelph. 'Ceterum rus cras cum filio cum primo luci ibo hinc:' id est, simulatque diluxerit. Et Cicer. Offic. lib. III. 'Luce claro in foro saltet:' sic enim legit Nonius. Idem Aul. 'Luce claro diripiamus aurum matronis palam.' Paullo post 'Publius Ælius' vel 'Helvius' aliis dicitur, hic *Aulus Helvius.* Schottus. 'A. Helvius Pertinax' a Panvinio in Fastis dicitur *P. Helvius.* Itemque apud Jul. Capitolin. in Erasmi ed. in Egnatii vero ed. 'P. Ælius,' quam scripturam probat Lipsius Elect. I. 30. *Sylb.*

Cap. XIX. § 1 *At Didius an Salvius*] Puto *an Salvius?* scripsisse hæsitantem et quærentem prænominis veritatem et narrationis qua misere excidit. Proavus illi fuit Salvius Julianus bis consul, præfectus Urbi, et jurisconsultus. Orosius VII. 16. Imperatorem jurisconsultum facit, male. *Schott.* In Panvinii Fastis non dubitative alterutrum Juliani nomen ponitur, sed utrumque conjunctim exprimitur sic: 'Imp. Cæs. M. Didius Salvius M. F. Commodus Severus Julianus.' *Sylb.* Non male Orosius hunc Imperatorem 'jurisconsultum' dicit, cum ex hoc capite, ex Epitoma, aliisque, constet eum fuisse 'jure peritissimum.' Porro hoc loco Schottus ceterique eum secuti expresserant *At Didius* (*an Salvius?*) sed crediderim ego veram scripturam subodoratum fuisse Sylburgium, ejecta particula *an*, scribentem *Didius Salvius Julianus.* Hunc enim Imperatorem 'Salvium' etiam appellat Eutropius VIII. 17. cum 'Didium' dicat Spartian. in ejus vita c. 1. unde confici potest, utrumque hoc nomen ei fuisse proprium, quod latius demonstrare aggressus est, qui et hoc loco *Didius Salvius* restituebat, Schminckius in præfat. ad Syntagma Criticum. *Arntzenius.*

§ 2 *Qui primus edictum*] Bene monitum jurisconsultis, nepoti tribui heic perperam ab auctore quod proavi fuerat. Consulatur Spartianus Casauboni. *Grut.* Aperto seu auctoris seu librarii vitio hic laborat locus, quare etiam plurimorum eruditorum offendit oculos. Bertrandus in Vita Salvii Juliani et posteum Schminckius præf. ad Synt. Crit. scribunt *quippe qui pronepos Salvii Juliani, qui:* vel quod repetitio pronominis offenderet, *quippe pronepos* (seu *nepos*) *Salvii:* sed talis emendandi ratio mihi semper est suspecta, cum sic, si cui libuerit, omnia vel tollere liceat vel inserere. Faciliori ratione hanc rem adgressus est cultissimi ingenii et eximiæ doctrinæ Marcilius ad § 7. Inst. de Jure Natur. et amplitudine non magis quam eruditione clarior Corn. van Bynkershoek in Præterm. ad l. 2. de Orig. Jur. in fin. restituentes *quippe quod primum* seu *prius;* ut hæc particula ad ipsum genus, non vero ad solum Inperatorem referatur. Sed huic emendationi videtur obstare, quod sequitur, eum 'asperum præceptorem' fuisse 'rectius vivendi;' unde confici potest, præcedentia etiam illa de Didio Juliano esse capienda, ad eumque ab auctore nostro esse relata. Ego cum illis facio, qui similitudini nominum hunc errorem tribuunt, inter quos nomen etiam profitetur suum Casaubonus ad Spartiani Julian. cap. 1. et Spanhem. Orb. Rom. p. 184. et 265. edit. Londin. Pro *promebatur* conjiciebat po-

litissimus Bynkersh. l. l. *proponebatur*. Arntz.

Syriæ legatis] Constat ex Herodiano historico Græco et Spartiano, non Syriæ proconsulem, sed Pannoniis præfuisse Severum. Nam apud Carnuntum Pannoniæ opidum Augustus a legionibus dictus est. Spart. *Schott.* Ut Severus *Syriæ legatus* hic dicitur, ita in Juliano Spartiani, Erasmi ed. habet *Pescennius Niger in Illyrico, Septimius Severus in Syria.* Atque adeo cum hic apud Victorem mox sequatur *in extremis terris bellum gerebat*, Severus aut Syriæ aut Britanniæ, remotioribus scilicet provinciis, præfuisse videtur. Sed, si diligentius excutiamus, inveniemus in Spartiani verbis modo citatis vitiosam a librariis factam esse transpositionem, et cum Egnatio legendum, *Pescennius Niger in Syria, Septimius Severus in Illyrico.* Sic enim non modo Xiphilinus et Herodianus Nigrum Syriæ, Severum Pannoniis atque Illyrico, Albinum Britanniæ præfuisse tradunt; sed ipse etiam Spartianus in Severi vita Severum a Germanicis legionibus apud Carnuntum Imperatorem appellatum narrat. Nec repugnat quod sequitur, *in extremis terris.* Herodianus enim diserte scribit, Severum omnibus legionibus, quæ per Germaniam et Pannonias Rheni atque Istri ripis ad arcendas barbarorum incursiones erant impositæ, ducem præfuisse; et Noster hic paullo post, Rheno Danubioque Romanum imperium ad septemtrionem definitum fuisse docet. *Sylb.*

Prome] Forte *prone;* vel *Romæ*, quod propius a vero abest: nam ad balneas Palatinas Romæ est interfectus. *Schott.*

Cap. xx. § 1 *Commotior*] Msc. *commodior*, male : videatur oratio Pertinacis lib. ii. apud Herodian. Et quomodo exautorati milites prætoriani ultra centesimum ab Urbe lapidem exulare coacti sunt? *Schott.*

Helvium inter divos refert] Pertinacis cognomen etiam initio statim assumsisse Herod. auctor est, ut necis Pertinacis ultorem. Adhæc non modo Illyricis, sed Romano etiam populo gratissimum. lib. ii. Mox *execrationi auctoribus* legi etiam potest. Et inf. *Quæ fato quodam, bonorum partu fecunda, quos eduxerit, tamen quemque.* Scriptam tamen lectionem non damno. Rursum *quem quamquam exacta ætate* malim si per libros liceret, vel pro *astruentes* forte *statuentes* scripsit Victor. Vide Spartianum. Idem de Augusto elogium in impresso breviario. *Schott.*

Actoribus] Vel etiam *auctoribus.* Respexit ad isthæc Taciti de Cordo Cremutio: 'Libros per ædiles cremandos censuere Patres; sed manserunt occultati et editi: quo magis socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam: nam contra, punitis ingeniis crescit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam pepererunt.' Annal. iv. 35. fine. *Grut.* Post Schott. et Sylb. et edidi *auctoribus;* nam 'auctores mortis' sunt, quorum jussu et instinctu aliquis interficitur. Ovid. Met. viii. 449. 'At simul est auctor necis editus, excidit omnis Luctus.' Seneca Herc. Œtæo vs. 1177. 'O turpe fatum! fœmina Herculeæ necis Auctor feretur.' Sueton. Ner. c. 33. 'Cujus necis, etsi non auctor, at conscius fuit:' et in Tito c. 9. 'Nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius.' Noster hoc cap. § 9. Nec novo exemplo illud facimus, cum jam aliis observatum sit ita voces 'auctor' et 'actor' inter se confundi. Heins. ad Claudian. Stilic. ii. 3. Gronov. ad Liv. ii. 56. Duker. ad Florum iii. 5. § 20. Drakenb. ad Silium xvii. 490. et Cortius ad Sall. Catil. c. 3. § 2. *Arntz.*

§ 5 *Qui jure ortus tenuique indocto patre*] Casaubonus faciebat *ortus tenui, atque indocto, &c.* tentabam et ego *qui rure ortus tenui, quamquam docto patre.* Grut. Locus sine dubio varie corruptus, quem diversis etiam modis tentare adgressi sunt eruditi. Mihi ex parte plurimum arridet sententia Casauboni ad Spartian. Sever. cap. 17. attamen in omnibus adsentiri nequeo. Pauci credo dubitabunt, quin corrupte legatur *tenuique indocto.* Scilicet hæc profecta sunt a librario, qui ita scripsit secutus morem sui seculi, cum voces diversæ, quæ conjunctione distinguendæ erant, connecterentur adjecta copula ad primam vocem. Hanc rem sæpe corruptelæ ansam præbuisse docuit Cortius ad Sall. Jug. c. 55. § 1. et c. 62. § 9. quare et hic scriberem *tenuique et indocto.* Eodem modo peccatum apud Celsum de Vita Cæs. pag. 221. 'Quibus olim consul teque tuum regnum honestavi:' lege *teque et tuum.* Erroris caussa ultima præcedentis et prima littera sequentis vocis. Alii transpositis vocibus *te tuumque.* Deinde illud *tantis* retineri recte potest; pro, quæ tam magnum quid et præclarum possunt efficere, quæ tantum valent inter mortales. *Arntz.*

§ 6 *Ad celsa habet*] An *adhibet*, aut aliud quid substituendum? Sylburgio placet *subvehit.* Grut.

Qui quamquam] Malebat Schottus, plaudente Syburgio, *quem quamquam;* cum offenderet insolentior locutio. Sed non litant viri eruditi; ratio enim loquendi est, quam Græci ἀνακόλουθον appellant; si præcedat nominativus, ubi ex ordine constructionis alius casus videretur requiri. Terentius Hec. III. 1. 6. 'Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos, Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est:' quo loco hæsitarunt docti interpretes, cum viderent requiri dativum *omnibus nobis,* quod etiam post Faërnum in textum nuper admisit vir magnus; melius Donatus nominativum hunc *absolutum* (hæc enim vox non mutanda est in *solœcum*) dixerat. Hirtius Bell. Afric. c. 25. § 1. 'Rex Juba, cognitis Cæsaris difficultatibus copiarumque paucitate, non est visum dari spatium convalescendi:' quo loco inspiciendus Davisius et ad Bell. Gall. I. 18. Lucanus IX. 777. 'Vincula nervorum, et laterum textura, cavumque Pectus, et abstrusum virus vitalibus omne, Quidquid homo est, aperit pestis:' offendit et hoc eo loco virum doctissimum, cum *laterum texturam* debuisset scribere poëta. Confer Burmannum ad Phædr. Fab. III. 20. 6. et V. 9. Græcis hoc admodum est familiare, de quibus Casaub. ad Polyæn. Strat. I. 18. et Perizon. ad Ælian. Var. Hist. II. 11. Et hæc ita possent construi: 'qui quamquam exacta esset ætate, cum moreretur, mortuum tamen, &c.' *Arntz.*

Illum justum nasci] Vide Salmas. apud Spartian. *Anna.* Cap. 18. Nisi mavis construere, 'justum esse, minime convenisse, illum nasci aut mori.' *Arntz.*

§ 9 *Pertinacis auctor occidendi*] Quod literas Commodi in Albini odium idem Pertinax publicasset. Quare Albinus occidendi Pertinacis Juliano auctor fuit. Jul. Capitol. Albino. Est inf. Clodius quidam Balbinus, ut in Gordiano extr. notavimus. *Schott.*

§ 10 *Ipsum magis adscivisse*] Nomen scilicet Pertinacis. Quid si *parsimoniam senilem* pro *similem?* Avaritia enim senum propria. Et illud verbum in parcum et avarum apte cadit. Plautus Capteiveis: 'Quid tu ais, tenaxne pater ejus? PH. immo ædepol pertinax.' Et extrema Casina: 'quo argumento? OL. nimis tenax es.' Qui versus in libris quibusdam abest: at auctori nostro altera notio placuit. 'Cognomentum Pertinacis non tam sua voluntate quam ex morum parsimonia videtur habuisse.'

Ælius Spartianus, qui hic adeo aut mutilatus aut corruptus, ut absque libris veteribus et Mss. restitui posse desperem; quos ubi nactus ero, auctores illos licet minorum gentium aggrediar. Infra *mens ad credendum* lege, non *metus*, licet in Ms. comparet. *Schott.* Sed *similem* vera est lectio; talis nempe parsimonia, quæ et in Pertinace fuerat culpata. De adsumtione hujus nominis videSpanhem. De Usu Num. diss. XII. pag. 508. *Arntz.*

§ 11 *Uti bellis civilibus*] Ut de Q. Ligario M. Tullius. *Schott.*

Conditio loci ad Albinum detulerat] Ita est: sæpe apud alium sumus corpore, apud alium animo: deprehensus enim aliquis incendio bellico, quid, quæso, faciat saluti suæ convenientius, quam ut eas sequatur partes, inter quas versari cogitur? Egregie Ammianus de Juliani decreto XXI. 23. f. 'Nigrinus, ut acerrimus belli instinctor, exustus est vivus. Romulus vero post eum et Sabostius curiales, convicti, sine respectu periculi, studia sevisse discordiarum, pœnali consumti sunt ferro: residui omnes abierunt innoxii, quos in certaminum rabiem necessitas egerat, non voluntas: id enim æquitate pensata statuerat placabilis imperator et clemens.' Verum nos de ea necessitate abunde multa congessimus ad Taciti Annal. I. 55. extremo. *Grut.*

Quid, quæso, faceres, si tu esses] Terentius in Andr. II. 1. 'Tu si hic sis, aliter sentias,' nisi propius ad ductum litterarum mavis scribere *is esses*. Arntz.

§ 12 *Quo dicto factoque durius nihil bonis: cum sanctique hujuscemodi, &c.*] Casaubonus noster, *nihil: cum boni sanctique, hujuscemodi, &c.* Grut. Sed vir eruditus suo libro adscripserat *sancti quique*, quod ferri potest, nisi malles *quoque*, de qua varietate vidimus ad Vir. Ill. c. 42. Sed neutrum necesse est, si *que* exponamus per 'quoque,' uti supra hanc significationem exemplis illustrare voluit Gruterus ad Cæsar. c. 3. fin. *Arntz.*

Studiosius cæptas] Ita vet. lib. Restitue *studio susceptas fortunæ increpent;* id est, 'imputent.' *Schott.*

Magisque in protegendis, quam ad perdendum cives, verum corrumpi patiantur] Ergo nec boni sunt, nedum sancti, quibus alia omnia placent: et certum est non esse; uti luculenta diatriba ostendi apud Livium XXXII. 22. ipso fine; alteraque XLII. 29. p. sed et eandem æquitatem propugnavimus abunde ad illud Taciti III. 69. m. 'Subierunt obsidium etiam fœminæ; inter quas maxime insignis Verulana Gracilia, neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta.' *Grut.*

§ 13 *Animos intelligebat*] Ego loco subveniebam syllaba addita, *animatos intelligebat;* aut adeo *animosas intelligebat.* Gruterus. Non repudiarem reponere ex similitudine vocis, *agi animos* pro animos incitari, inpelli. Senec. Herc. Fur. vs. 406. 'Sed ille regno pro suo, nos inproba Cupidine acti.' Hippol. vers. 541. 'quæque succensas agit Libido mentes.' Cic. de Senec. cap. 21. 'Cum semper agitetur animus.' Burm. et Scheff. ad Phædrum Fab. IV. 12. vs. 3. *Arntz.*

§ 14 *Nullo congressu nisi victor*] Male hoc loco edunt *decesserit* nonnulli. Vide Cortium ad Sall. Catil. cap. 49. § 2. et Torren. ad Val. Max. III. 2. § 8. *Arntz.*

Rege Agarro] Non me fugit 'Abagarum' ab Ælio Spartiano appellari: verum quia de lectionis illius integritate etiam Baptista Egnatius dubitat, exempli veteris scripturam bona fide repræsentavi. *Schott.* Non dubitandum de integritate lectionis Spartianeæ, rescribendumque *Abgaro:* visantur modo animadversiones Casauboni. *Grut.* et *Anna.* Multa de hoc rege disputavit Spanhemius de Usu Num. diss. VIII. th. X. p. 534. sed quod pace tanti viri dixerim,

non æque, ut mihi quidem videntur, omnia accurata. Primo enim loco confundit hunc Abgarum Septimii Severi, cum alio, qui sub Alexandro Severo vixisset. Nummi tamen, qui illic loci adferuntur pertinent ad Septimium, non autem ad Alexandrum Severum, quos nollem confudisse virum harum rerum peritissimum. Deinde p. 536. existimat Spartianum et Victorem, vel errasse utrumque, quod Persarum regem fecerint, qui dicendus tantum esset 'Edessenorum' vel 'Œsrhœnorum,' qualis revera exstitisset; vel librariorum esse vitium, qui *Persarum* posuerunt, pro *Edessæ, Edessenorum* vel *Œsrhœnorum*. Sed non cogitavit vir præstantissimus usum illius vocis apud scriptores hujus temporis, qui Persas pro populis Asiæ et præsertim Parthis accipiunt. Qua de significatione nos aliquid supra cap. 11. § 11. et alibi. Potuit igitur esse, ut latius fines suos hic rex prorogarit, quam quidem sui præcessores. Admisi igitur post alios, tum etiam Bœclerum ad Herodian. III. 9. § 5. *Abgaro*. Attamen contra hanc lectionem ea moveri posset difficultas, quod apud Herodian. l. laud. dicatur Severo obsides dedisse filios, magnumque sagittariorum numerum auxilio misisse. Præterea quod in nummis nostri Inperatoris honorifice semper de eo mentio occurrat, ut BACIΛ. ΜΕΓ. ΑΒΓΑΡΟC. Rex magnus, vel simpliciter BACIΛΕUC. qui titulus devictis regibus non dabatur. Sed dicendum eum in fide non mansisse et post mota infeliciter arma esse devictum. Qua in opinione confirmat me nummus apud Begerum Thes. Brand. tom. II. p. 693. in quo ab una parte legitur SEPT. SEV. . . . . . XI. PART. MAX. quæ litteræ respiciunt ad cognomen 'Parthici;' in altera parte Inperator equo insidens prostratum hominem telo minatur cum hac inscriptione VIRTVS. AVG. Hic prostratus idem erit 'Abgarus,' quod ex tiara seu tegmento capitis colligo, nam et eo ornatu in ceteris nummis depingitur ut apud Spanh. dicto loco et Patinum in Num. Inper. p. m. 284. latius patet. Adde Casaub. ad Capit. Anton. Pio cap. 9. et ad Spart. Sev. cap. 18. Scalig. ad Euseb. Chron. p. 231. et Ryckium ad Tacit. XII. 12. § 3. *Arntz.*

§ 17 *Arabicum, Adiabenicum, Parthicum*] Et Scaliger ad Euseb. Chron. p. 228. de Arabibus victis Sext. Rufus in Brev. cap. 21. 'Arabas interiores obtrivit et Arabiam provinciam fecit:' ita restituo ex Ms. cod. pro *obtinuit*. Jornandes de Regn. Succ. 'Arabes quoque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam faceret provinciam.' Zosimus etiam I. 8. *Arntz.*

§ 18 *Muro*] Hæc Salm. ad Spart. cap. 18. et Scalig. videndus ad Euseb. p. 229. *Arntz.*

Per transversa inter insulam] Emendavi primum ab ingenio quomodo excudendum curavi; mox a Spartiano totidem verbis eadem scribente meam conjecturam confirmari libenter legi. Non illud silentio prætereundum, integram hanc paginam, quod mirere, in Spartiano legi, quem cum his comparans lector, oleum operamque bene collocatam existimet. Videbit sane quantum sibi scriptores antiqui in alienis mutuandis indulserint. *Schott.*

§ 21 *Aut etiam præfectorum*] Sed an 'præfecti' non etiam inter 'duces' numerandi erunt? Multis partibus melius erit rescribere *per factionem;* cum titulo seu nomine factionis et partium innocentissimum quemque spoliarent. Burm. ad Ovid. Epist. Her. XX. 140. 'Candida per caussam brachia sæpe tenet.' *Arntz.*

§ 22 *Abs se texta*] Emendabat Casaubonus noster *abs se gesta*. Grut. Scilicet ad Spart. Sev. cap. 3. *Arntz.*

Ornatu et fide paribus composuit] [Vide Not. Delph.] Quæ ea sublegit Casaub. ad Spart. cap. 3. et Salm.

cap. 18. *Arntz.*

§ 23 *Uxoris probra*] Juliæ. 'Domi tamen minus cautus, qui famosam adulteriis Juliam uxorem tenuit, etiam conjurationis consciam.' Spartianus. *Schott.*

§ 24 *Cui ipsa vitia concessere*] Qui vitia superasset. Olivarius 'pedum vitium' intelligit, quo laborabat Severus; ut Lampridius 'vitium concionis' dixit de surdastro. *Schott.* Vitia pedum videlicet, ut recte interpretatus Olivarius. *Sylb.* et *Grut.*

Cum pedibus æger bellum moraretur] Hæc Salmasius pluribus apud Spartianum. *Anna.* Et Scaliger ad Eusebii Chronicon p. 226. *Arntz.*

§ 26 *Sentitisne, inquit, pulsans manu, caput potius quam pedes imperare*] Videtur excidisse vox, bisque scribenda, hoc modo, *manu caput, caput potius quam:* quomodo item video placuisse Casaubono; lætorque carum illud caput mecum conspirare: sum enim longe diversus ab eis, qui in emendatiunculas hasce adeo scrupulose inquirunt, a sene primum, an ab alio prius conceptæ natæque sint; tanquam si eorum forent filiæ, magnamque etiam ipsis paraturæ forent hæreditatem: cujus frigidissimi certaminis, ita me profecto pudet, ut cæcus esse cuperem ac surdus, ne id aut viderem aut audirem; nisi pusillas illas animas arbitrarer, videri magis criticos, quam esse; imo ne videri quidem, nisi sibi. *Grut.*

§ 27 *Annis regni duodeviginti*] De isto loquendi genere dictum supra ad c. 1. § 1. *Sylb.*

§ 28 *Ortus Mediæ humili*] Olivarius legendum putabat *ortus enim ex humili,* ex Lampridii Severo: quid si, ut Ni. Faber, *ortus familia humili,* seu potius *ortus in æde humili?* Msc. enim *Mediæ humili:* qualis sitne in agro Leptitano vicus aliquis *Media* dictus, ignorare me fateri non pudet; nec cur pudere debeat video. Infra sane sic loquutus de Alexandro: 'Syriæ orto;' ubi forte 'urbe' exaudiendum. *Schott.* Alii aliter: ego suspicabar legi posse *Ortus medio humili,* ut velit e medio hominum statu, quamvis et eo humiliore ortum; tanquam nimirum parentes neque domi nobiles fuerint, neque a fæce plebis: sic Victoris Epitome cap. 35. 'genitus patre mediocri.' *Grut.* [Vide Not. Delph.] Ita emendavit Casaub. ad capp. 1. et 18. Salm. autem ad cap. I. quem ut minime mutantem expressi. In tanta varietate suum cuique sit judicium, nec alias conjecturas coacervare necesse est. *Arntz.*

Uti rebus artis solet, dum tentat aut exquirit] *Res artæ* (sic enim Mss. fere et meliores libri, vulgati *arctæ*) sunt angustæ et modicæ. *Schott.*

§ 30 *Sepulcro . . . adeo*] Asterisco notare satis habui dum jactura sarciatur, et lacunæ Victoris impleantur ex alio exemplari; quale in Ubiis Coloniæ Agrippinæ apud Jo. Metellum Sequanum esse audio ex bibliotheca Corn. Gualtheri v. c. Spartianus: 'quem ex omnibus Imperatoribus tantum coluit, ut et Commodum in Divos referret.' Hinc hiatum implendum censeo, ut *hunc,* vel *quem adeo percoluerat* legas. Iterum Spartianus; 'Iratus senatui Severus Commodum inter Divos referendum esse censuit, quasi hoc genere se de senatu posset ulcisci, primusque inter milites Divum Commodum pronuntiavit.' Post: 'Commodum in senatu et concione laudavit; Deum appellavit; infamibus displicuisse dicit.' *Schottus.* Neque mihi post Salm. ad Spart. cap. 19. dubium est, quin interseri debeat *quem:* aperta enim est imitatio. Itaque ut aliquis huic loco sensus constaret unculis inclusi. *Arntz.*

Addiderat] Potest et *indiderat* legi. *Schottus.* Ovid. Met. IX. 356. 'At puer Amphissos (namque hoc avus Eurytus illi Addiderat nomen) ma-

terna rigescere sensit Ubera:' uti recte defendit Burm. Pueri sciunt illud Virgilii, 'At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur.' *Addiderit* reponit loco laudato Salmasius ὁ πάνυ. *Arntz.*

Patrocinio fisci deinde laborantibus] Quid si referamus ad ea, quæ codice scribuntur de Proximis Sac. Scrinior. l. 'Hac lege.' Item de Palatinis sacrarum Largitionum l. 'Scriniis.' Sed hæc refero ad ætatis nostræ Papinianum, Jacobum Cujacium, doctorem meum. *Schott.* Casaubonus tolli posse putat asteriscum, dum modo rescribatur *proinde laborantibus;* ut *proinde* ponatur pro 'adeo,' quemadmodum idem infra dixerat in Caro: 'proinde arduum, fatalia devertere:' videatur ipse: absit enim ut non eam pedibus in ejusdem sententiam. *Grut.* [Vide Not. Delph.] Ita recte hunc locum ex mente summi Casauboni exposuit bellissima femina, quem vide ad Spartianum c. 1. *Arntz.*

§ 32 *Quasi bellum inter se mandatis accepissent*] Id est, 'mandatum eis esset bellum ultima parentis voluntate:' quemadmodum Dido apud Virgil. Æneid. IV. 622. 'Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis; cinerique hæc mittite nostro Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunto, &c.' *Grut.* 'Mandata' enim hic sensu speciali pro ultima voluntate seu testamento accipiuntur. Propertius El. III. 5. 9. 'Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis.' Virgil. Ecl. v. 41. 'Mandat fieri sibi talia Daphnis.' Justin. XII. 15. § 3. 'Quibusdam mandata ad parentes eorum dederit:' XXXIX. 3. § 11. Florus I. 9. § 1. Apul. Met. X. 251. Burm. ad Ovid. Tr. El. I. 2. 55. Ad præsentem locum facit Livius XXI. 5. 'Velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum ei mandatum esset.' Lucanus IX. 84. 'Tu pete bellorum casus, et signa per orbem, Sexte, paterna move, namque hæc mandata reliquit.' Et Silius XV. 805. 'Mea si suprema referre Fratri verba paras, mando Capitolia Victor Exurat.' *Arntz.*

§ 33 *Papiniani exitio*] Refellit Spartianus, et fabellam vocat, quod præfecti non esset orationem dictare: sed quasi fautorem Getæ cum pluribus occisum. In Caracalla, Severo, et Geta: vide et Zosimum Hist. Novæ lib. I. ubi et de Ulpiani J. C. exitio. Illius exstare Romæ in urna argentea dicitur hæc inscriptio: AEMILIO. PAVLLO. PAPINIANO. PRAEFECTO. PRAETORIO. JVRISCONSVLTO QVI. VIXIT. ANNOS. XXXVI. DIES. X. MENS. III. PAPINIANVS. HOSTILIVS EVGENIA. GRACILII. TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO. HEV. PARENTES. FECERVNT. FILIO. OPTIMO. *Schott.*

Destinando Romam] Credidi aliquando scripsisse Victorem *dictando orationem quam celerrime componeret;* cujus conjecturæ nondum me pœnitet: *orationem* alii exaudiunt, alii *destinanda* legunt. *Schott.* Accedo illis qui malunt *destinanda;* sensus enim maxime sic patet. *Grut.* Confer virum summum ad Spart. Caracall. c. 8. et Guil. Grotium de Vit. Jurisc. II. 9. Ego existimo majus latere vitium, cum non verosimile mihi fiat, in re tam aperta errare potuisse Nostrum. Certum enim est in ipsa urbe occisum fuisse Getam; adeo ut dici non possit Papinianum dictasse quæ Romam mittenda erant. Nisi longius a ductu litterarum abesset, mallem legere *monitumque uti motum excitatum Romæ quam.* Certe ingentem motum Romæ fuisse tradit Herodian. IV. 4. § 11. Videant eruditiores. *Arntz.*

Neque incondite illum virum, &c. cui amori et magisterio erat] Legendum videbatur Casaubono, immissa adhuc negatione, et addito nomine, *Neque non incondite, qui amori et magisterio Getæ erat:* ego heic nihil video, nihil explico, quod tolerabilem constituat sententiam. *Grut.* Ita Casaub. ad

vitam Carac. cap. 8. Licentior est correctio, quæ neque sic sensui satisfacit. Unde enim patebit Papinianum Getæ *magisterio* fuisse? Nescio quid alii judicent, mihi non improbabile videtur pro *magisterio* reponere *ministerio*, ut sit sensus: illum virum (sc. Papinianum) non potuisse tantopere acerbis verbis lædere et contumelia afficere Inperatorem, a quo ipse amabatur, et in cujus ministros numerabatur. Erat enim præfectus prætorio; sed et huic expositioni obesse videtur vox *amori*, nisi dicamus ideo hoc posuisse Victorem, quod Bassianus et Geta fuerint a Severo moriente Papiniano, commendati, ut hac re postea multum apud utrumque valuerit. Certum tamen est ideo interfectum fuisse Papinianum, quia crederetur Getæ favisse. *Arntz.*

Cap. xxi. § 1 *Adjiciens*] Pro 'augens,' forsitan *adiens*. Schott. Fortasse legendum *adficiens*, vel adeo *adliciens*, quod et Casaubono nostro venerat in mentem. *Grut.* Mox legendum est *demissa* pro *dimissa* ex Spartiani Carac. c. 9. 'A vestimento quod populo dederat demisso usque ad talos:' et Ovid. Am. El. iii. 2. 25. 'Sed nimium demissa jacent tibi pallia terræ:' uti recte defendit Burmannus. Val. Maximus iv. 5. ex. 8. 'Siquidem utraque togam manu demisit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur.' *Arntz.*

Vesti Antonianas] Puto legendum *vestes Antoninianas:* ut 'thermas Antoninianas' appellat Eutropius. De 'communis' notione ad vulgatam editionem in Pertinace dicere memini. *Schott.* Ad Carac. c. 9. Sed de *Antoninianis* nec apud Eutropium sibi constant exemplaria. Confer Scalig. ad Euseb. Chron. p. 230. Libentissime autem in emendatione hujus loci Casaubono adsentior. Jornandes Regn. Suec. p. m. 696. 'Ejusmodi vestium genera Romæ de manibus erogans, sibi nomen Caracalla et vesti Antoniniana dederit:' scribe *de manubiis.* Infra ex Gallia eas devexisse tradit epitomator. Similis mutatio est in Vir. Ill. c. 33. § 9. Et hoc igitur loco *Antoniniana* retineri posset. *Arntz.*

§ 2 *Alamannos*] *Alamannos* seu *Alamanos* per *a* in secunda syllaba scribunt etiam Eusebii membranæ. Itemque apud Suidam in Juliano Apostata est Ἀλαμανικὸν οὖδας. *Sylb.*

§ 3 *Juliam novercam*] Salm. ad Spart. Sev. capp. 18. et 20. atque Casaub. ad Spart. Carac. c. 9. et Bauldri ad auctorem de Mort. Pers. c. 39. *Arntzenius.*

Quæ pudorem velamento] Supra paullo *uti* redundare videtur; ut infra deesse *si libet.* Apud Herodotum Clio de uxore Candaulis Gyges: ἅμα κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή: *Mulier cum tunica pudorem ponit.* Schott.

§ 4 *Ægypti sacra*] Ea sunt Isidis, quæ aut primus Romam deportavit, aut celebritati eorum majorem reverentiam addidit. Spart. *Schott.* Sed magna cum varietate hæc Ægyptiorum sacra Romæ fuerunt culta, ab his enim admissa, ab aliis iterum rejecta, præsertim si non auctoritate publica invaluerant. Ita libera rep. 'Isidis et Serapis fana Romæ diruenda censuit senatus' apud Val. Max. i. 3. ex. 3. Sed hujus Deæ sacra deinde Romæ restituta fuisse patet ex Ovid. Am. El. i. 8. 74. 'Et modo quæ caussas præbeat Isis erit.' Et Tr. ii. 297. Queritur id de suo tempore Lucanus viii. 831. 'Nos in templa tuam Romana recepimus Isin.' Adde Propertium Eleg. ii. 24. 3. 'Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente Misit matronis Inachis Ausoniis.' Rursum Ægyptiacos ritus conpescuisse Tiberium narrat Suet. in ejus Vit. c. 36. Adde Havercamp. ad Tertull. Apol. cap. 6. Sine dubio Caracalla aliquid in hisce sacris mu-

tavit et ceremonias magis Ægyptiorum ritibus convenientes instituit, vel ante se damnatas iterum revocavit. *Arntz.*

Viæ novæ] Non illius quæ a Velabro inter Capitolium et Palatinum montem ducebat in forum; de qua Ovid. Fastor. lib. vi. 'Qua via Romano nunc nova juncta foro.' Sed quæ prope Severi Septizonium declinans ab Appia Aventinum versus, et rursus in eam sub thermis Antoninianis incidens inter plateas Romanas omnium fuit pulcerrima. Spartianus. *Schott.* Et Nardinus in Roma Vet. vii. 6. *Arntz.*

Ad lavandum] Tanta mole et artificio structæ hæ thermæ fuerunt, ut etiam docti architecti tales fieri posse negarent. Idem Spart. Caracalla. *Schott.*

§ 5 *Moritur*] Sed de genere mortis omnes non eadem scribunt. A Martiali interfectum tradit Herodian. iv. 13. propria morte obiisse Sext. Rufus in Brev. c. 21. Ab hostibus circumventum fuisse occisum Orosius vii. 18. auctorem cædis nunquam fuisse cognitum Zosimus vi. 9. Non addito nomine 'militem' necis auctorem statuit epitomator noster c. 21. Alii aliter; vide Scalig. ad Euseb. p. 231. Quod addit Rufus eum 'ibidem sepultum fuisse,' de sola crematione intelligendum est, quo sensu 'sepelire' passim occurrere alibi vidimus. Inde cremata ossa et cineres dicebantur 'reliquiæ,' vel ut Noster hic *reliquia;* de quibus Vorstius ad Just. ix. 4. § 4. Hinc superstitiosus ille circa reliquias sanctorum cultus apud pontificios. *Arntz.*

Cap. xxii. § 1 *Diadumenus*] *Diadumenianus* dictus est, postquam in gentem Antoninorum transiisset, quæ ratio mutandi ea occasione nominis apud Romanos notissima est. Antea *Diadumenus* appellabatur. *Arntz.*

Cæsar a legionibus appellatur] In nummis, quæ certissima sunt antiquitatis monumenta, *Cæsar* appellatur; certe in illis quos videre licuit. Apud ill. tamen Spanhem. de Usu Num. diss. xii. pag. 509. exstat hæc ἐπιγραφή: M. OPEL. ANTONINVS. DIADVMENIANVS. AVG. *Quibus* autem, quod sequitur, expone 'per quos milites:' vel quod jam magis placet, minorem distinctionem tolle post *quibus;* et sic apertior evadet sententia, si tertium casum referas ad 'desiderium erat.' *Arntz.*

§ 3 *Horum nihil præter sævos atque inciviles*] Capitolinus aliquot exempla crudelitatis Macrini commemorat, ut qui et 'Mezentius' populari dicto, et domestica appellatione 'Macellinus' dictus sit, ut cujus domus specie macelli sanguine servulorum cruentaretur. *Schott.*

Cap. xxiii. § 1 *Palatia constituit*] Prior vox inepte repetita superat, quamobrem uncis inclusi, dum melius aliquid eruatur. *Schott.* Uncis circumsepitur illud *Palatia*, ceu supervacuum. Sed enim si scribamus *pallacia*, locum suum belle tuebitur; ut dicat auctor, lupanaria constituisse Heliogabalum in penetralibus palatii: *pallacium* fictum a 'pallacibus' seu 'pellicibus:' de re ipsa Lampridius c. 14. 'Lupanaria domi amicis, clientibus, et servis exhibuit.' *Grut.* [Vide Not. Delph.] Recte erud. fœmina vitium emendationis Gruterianæ observat, pro qua ego malim, nec majori cum mutatione, *palam*. Constat enim, eum voluisse neglectis reliquis Diis, solius hujus Dei sacra inducere, quare *palam* hujus simulacrum constituit, ut ab omnibus coleretur. Lampr. c. 3. 'Id agens ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus coleretur.' *Arntz.*

Visendis tractandisve artibus libidinum ferendarum] Erit fortasse qui *libidinum ferarum* reponet. Olivarius noster ita legendum videri consultus respondit: *fingendis tractandisque artibus libidinum non ferendarum.* Et sic

Lampridius de eodem Elagabalo: 'Coëgit scriptores nonnullos nefanda, immo potius non ferenda ejus dicta de libidine disputare.' Alibi, egregie vasatos perquisivisse. Petrus vero Pithœus *visendis tractandisve partibus* (vel *artubus libidinum fœdarum*). Sic supra Nerone, ut et in Epitoma excusa, 'Genitalia vultu contrectabat.' Eruditus lector arbitrabitur. *Schott.* Cum non unus medicus huic accesserit loco, quid vetat et meam me adferre symbolam? conjeci olim *Perquirebat visendos tractandosve artubus libidinum verendarum:* videtur enim respexisse ad illa Lampridii cap. 8. 'Idque diligenter curatum est, ut ex tota penitus urbe, atque ex nauticis monobelos quæreret; sic eos appellabat qui viriliores videbantur.' Ex quo loco apparet et heic rescribendum, non, ut hactenus receptum, *quippe orbe toto;* sed magis *quippe urbe tota.* Gruter. Ego probo *partibus libidinum nefandarum.* Eo enim nefanda turpissimorum monstrorum libido processit, ut quod re ipsa perficere nequirent, inpuris violarent contrectationibus. Sed auribus parco. *Arntz.*

§ 2 *Pompilii*] Legendum procul dubio *Opilii*, Macrini scilicet. Sic enim Lamprid. totidem verbis: 'quem Cæsarem senatus Macrino interemto appellaverat.' Victor nobilitatem pro senatu dixit, quo de alibi. De asylo sacerdotii Syriæ Solis, vel, ut alii, Jovis, idem Lamprid. gemina refert; quem vide, et Herodianum lib. v. *Schott.*

Cap. xxiv. § 1 *Syriæ orto*] Forte *urbe* exaudiendum. Vide Septim. Sever. § 28. *Schott.* Et quis dubitabit veram esse hanc constructionem? vulgare enim est nomina regionum poni eodem modo ac nomina urbium. Vide quæ sup. cap. 3. § 16. *Arntz.*

Cæsarea et Arca nomen est] Mss. disertim *Archa.* Flavio Josepho lib. v. Antiquitatum Judaicarum Ἀρκὴ est, et Ἀκτίπους, Judææ urbs in tribu Aser. 'Arcena' vero Lampridio initio Severi alia. *Schott.* Illustrat hæc ipsa Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, anno MMCCXLII. *Gruter.* Sed summum Scalig. falso Nostrum accusare patebit ex Lamprid. c. 13. *Arntz.*

§ 2 *Adversum Xerxem*] De expeditione in Persas, qua victus Xerxes, Eutropius lib. VIII. et Orosius VII. 18. Herodianus vero 'Artaxerxem' nominat et Lampridius, et tam re quam nomine potentissimum regem fusum fugatumque scribit. *Schott.* *Dassem* pro *Xerxem* in scripto cod. apud Sext. Rufum inveni cap. 22. adde Casaub. ad Lamp. cap. 55. *Arntz.*

Cui vocabulum Sicila] Ita repono: nam Msc. hac parte mendosus *in vocabulum Sicilia.* 'Agentem cum paucis in Britannia; ut alii volunt, in Gallia in vico cui Sicila nomen.' Lampridius totidem verbis. *Schottus.* Et Scaliger ad Euseb. p. 233. *Arntz.*

§ 5 *Celebrio fabricatus est*] Assentior doctissimo Olivario, quem honoris causa sæpius usurpo, qui *Serapium fabricatus est* legebat, vel *Isium et Serapium.* Sup. quoque *nam dum tantæ severitatis vim.* Opera Alexandri sunt thermæ et circus. Ita Lampridius: 'Isium et Serapium decenter ornavit additis signis et deliacis et omnibus mysticis. In matrem Mamæam unice pius,' &c. *Schott.* Puto *Opus urbi florentissimum et celeberrimum fabricatus est.* [Vide Not. Delph.] Nihil aliud succurrit. *Anna.* Nec mihi, nisi faciliorem esse emendationem *celebreque;* sed res eodem redit. *Arntzenius.*

§ 6 *Paulloque*] J. C. tum laudat, cujus ut et Ulpiani mentio frequens apud Lamprid. Alexandro et Elagabalo. *Schott.*

Inter exordia patriæ reddito] [Vide

Not. Delph.] Quam ultimam sententiam, et per se satis verisimilem, etiam amplectitur Guilielmus Grotius Vit. Jur. lib. II. c. 10. *Arntz.*

Atque æqui studio esset] Forte *studiosos;* nisi intelligas *quantus æqui studio esset*, pro 'quanto studio amplecteretur æquum et bonum.' *Schottus.* Cum Schotto legendum *æqui studiosos*, vel expungenda conjunctio *atque.* Sylb. [Vide Not. Delph.] Vereor ut acutior sit bellissimæ feminæ expositio, cum turbatior verborum ordo eam respuat; certe si ita intelligi voluisset, natura rei postulabat *auctoribus atque æqui studio edocuit, quantus.* Sine dubio *studiosos* vera est lectio, et ita jam olim conjeceram, postea a viro doctissimo confirmatus. Nisi mavis *æqui studium*, vel *atque* exponere per 'præsertim.' *Arntz.*

§ 8 *A Romulo ad Septimium certatim evolans*] Non recte *certatim evolans* interpretatum per 'vix servata est;' cum esse deberet, per varios gradus, et celeriter ad summum dignitatis fastigium adscendens, cum in eum locum pervenisset, ut ulterius non haberet quo progrederetur, celeriter iterum corruisset malis Bassiani consiliis, nisi Alexander successisset. Et eam expositionem firmant sequentia. *Arntz.*

§ 9 *Ac barbari*] Ms. *ac barbaræ*, ut illud Flacci Epist. II. 'Græcia barbariæ lento collisa duello.' Mox *Sparsa confusaque* pro *passim* vidi qui audacter reponerent. *Schottus. Barbariæ* pro *soli barbarici* excusari Græco more potest. Sunt tamen qui malint *Barbari multi.* Sylb. Erat cum cogitarem *barbariæ æmuli;* nunc nihil muto. Ovid. Trist. El. V. 1. 45. 'Pœnæ modo parte levata, Barbariem, rigidos effugiamque Getas.' ex Pont. Ep. III. 1. 5. 'Nam mihi barbaria vivendum semper in ista.' Tr. El. IV. 1. 22. Lucan. VIII. 811. 'Adde subactam Barbariem gentesque vagas.' *Abrupte* autem dixit, quomodo Ammian. XIV. 1. 'Quæ abrupte mariti fortunas trudebat in exitium præceps.' Ceterum *passim* egregie tuetur Wass. ad Sall. Jug. c. 21. p. 283. Bronkh. ad Tibull. El. II. 3. 41. Coler. ad Val. Max. V. 3. ex. ext. 3. et Schulting. ad Quinctil. Decl. IV. 13. Idem est ac si dixisset, 'indistincte,' 'sine ullo ordine,' 'sine ullo delectu.' Ovid. Met. XIV. 680. 'Nec toto passim vagus errat in orbe.' Curtius V. 6. § 6. 'Passimque obvii cædebantur.' Justin. V. 6. § 4. 'Cæduntur passim, aut fugientes capiuntur:' et centum aliis locis. *Arntz.*

Scientia] *Inscientia* qui reponunt, sic explicant: 'quique fas putant,' (pro unusquisque fas et licitum putat,) 'uti per turbam, rapere aliena officia,' cet. Autographum tamen *scientia* præfert. *Schott.* Cum sequatur infra *etiam infirmis genere institutoque publica permisit*, non abs re est suspicari restituendum *et inscientia:* nam certe scientia bonarum artium nullam unquam corrupit rempublicam; multas potius correxit et erexit, verum de ea re nos plura ad illa Taciti Agricolæ c. 4. 'Memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima juventa studium philosophiæ, acrius ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset, &c.' *Grut.* Hæc lectio vera erit, vel certe reponendum *scientiam.* Nihil enim est, quod litterarum studia fœdius corrumpit, quam si in indignos amplissimi magistratus conferantur, nec suus sit eruditioni locus; quis enim sublatis præmiis virtutem amplecteretur? Hoc, ut propiora tempora, quæ invidiæ subjacent, prætercam, ex multis unus docet Claudianus Cons. Manlii Theod. vers. 261. 'Crescite virtutes, fœcundaque floreat ætas. Ingeniis patuit campus, certusque merenti Stat favor, orna-

tur propriis industria donis: Surgite sopitæ, quas obruit ambitus, artes:' ubi inspiciendus Barthius. *Arntz.*

Cap. xxv. § 1 *Caius Julius Maximinus*] Casaub. ad Capit. Maxim. init. *Arntz.*

Præsidens Trebellicæ] Sic vetus codex. *Triballicæ* alii: forte *Triballis Isauriæ*, e qua ipse oriundus. Nic. Faber *rei bellicæ* legendum videri suggesserat; et vero Capitolinus omni exercitui præfectum scribit; Herodianus vero lib. vi. legionibus tyronum Alexandri. *Schottus.* Merito Fabri emendationem laudat Salmas. ad Capit. Maxim. c. 7. Nisi quis vellet existimare latere nomen istius alæ, cui eum præfuisse scribit Zosimus i. 18. *Arntzenius.*

Primus e militaribus] 'Maximinus primum e corpore militari et nondum senator, sine decreto senatus, Augustus ab exercitu appellatus est.' Julius Capitolinus. Inf. glossema in insulam deportetur: ex ora in seriem, ut fit, irrepsit. *Schott.* Intelligit scilicet *C. J. Maximinus.* Quare etiam ediderat Schottus *Nomine* [*Caius Julius Maximinus*] *Cæsar*, ut illa tria nomina uncis includerentur; quod tamen cur sequerer, nullam vidi necessitatem. *Arntz.*

Cap. xxvi. § 1 *Apud Thydri oppidum*] 'Tisdrum' opidum et 'Tysdrum' vocat Capitolinus Maximinis, qui hæc paullo aliter: 'invitum purpuram accipere coactum Gordianum, a militibus armis telisque obsessum:' supra Ms. *summis potitus*, male pro *potitis*; vel *qui* legendum. *Schottus.* Varia est ubique hujus urbis scriptura, ut solet esse in illis vocibus, in quibus *h* reperitur, quæ ex una syllaba in alteram rejicitur; nec quidquam etiam familiarius, quam litterarum *y*, *u*, et *i*, confusio. Vide quid de vera scriptura sentiant Casaub. ad Capit. Maxim. c. 14. et Davis. ad Hirtium de Bell. Afric. c. 36. quem tamen non sequor, quod eo loco *Tisdræ* scribat, cum omnes faciant secundæ flectionis. *Arntz.*

§ 2 *Tanquam care creatus*] Repone *ea re*; id est, 'ideo,' 'idcirco.' Mox *qua imita*, quidam *inita* restituunt propter perfidiam Punicam: mihi *linita* pro *lenita* antique scriptum videtur. *Schott.*

Solitis ageret] Sed nihil mutandum: intelligitur enim vel *temporibus* vel *moribus:* vide supra ad Orig. Gent. Rom. c. 20. et ita si exponeretur, minus fortasse offendisset Bulengerum de Sortibus i. 6. prope fin. qui ideo *sollicitus* hic reponit; frequentius tamen numero singulari *solito* adhibent optimi scriptores. Supra pro *inane* malim *vane*. Arntz.

§ 4 *Verum liberis pariturum imperium*] [Vide Not. Delph.] Et hisce cultissimæ feminæ conjecturis facillime potuissemus carere: 'liberi' enim, licet plurali numero efferatur, significationem tamen habet singularem pro filio vel filia. Florus iv. 3. § 2. 'Nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar heredem reliquisset.' Atqui unus tantum supererat Sextus. Ibi segetem exemplorum contulit decus nostrum Dukerus et ad i. 7. § 10. Schottus infra ad Epit. c. 12. § 9. l. 148. ff. de V. S. 'Non est sine liberis, cui vel unus filius unave filia est.' l. 101. § 1. ff. de Cond. et Dem. 'Volo restituas si sine liberis decedas, conditio deficit ex voluntate, vel uno filio superstite relicto.' Ita de uno filio Seneca Œdip. vs. 880. 'I, perge propero regiam gressu pete, Gratare matri liberis auctam domum.' Westerh. ad Terentii Hec. ii. 1. 15. et Cort. ad Sall. Jug. c. 10. in fine. *Arntz.*

Liberi quoque exitum] Pro filii numero singulari, ut et typis editum breviarium in Nerva num. 25. Ulpianus l. 'Nemo prædo.' 126. De Reg. Juris: 'locupletior non est factus, qui liberum acquisivit:' et Modestinus l. 'Jus autem.' 35. D. de Pactis: et Justin. Instit. lib. iii. tit. vii.

de Servili Cognat. Contra l. 'Non est.' 148. D. de Verb. Signific. *Conjectu* autem dixit pro *conjectura*, ἀρχαϊκῶς. *Schottus*. Et Munckerus ad Hyginum Fab. IX. *Arntz.*

Urbi præfectus] Forsan rectius *judices*, latiori videlicet significatione pro *magistratus*, ut alibi non raro. *Sylb.*

Genus hominum pecuniæ cupidius, fidumque ac bonum solo quæstu] Multum huic scriptori debent viri militares; adeo sæpe moribus eorum notandis liberalis est; quemadmodum et supra c. 18. et 11. *Grut.*

§ 7 *Potestatum vices*] Quasi Cæsarum legatos, vicarios, et locum tenentes. Sic infra in Æmiliano 'summam potestatum' dixit, pro imperio. *Schott.* [Vide Not. Delph.] Sed si ita exponatur; quid sibi volunt duæ voculæ *primo* et *mox*, quæ certe diversa tempora denotant? et apud Herodianum μερίσαι τὴν ἀρχὴν non est, *per vices inperium administrare*, sed *pari potestate inperium tenere*. Voluit auctor noster indicare speciem fuisse interregni, cum ante, quam hi duo Inperatores fuerint electi, viginti constituti sint viri, qui remp. curarent. Capitol. in Gord. c. 22. 'Ex viginti viris, quos ad remp. tuendam delegerant, Papienum sive Maximum et Clodium Balbinum Augustos appellavit.' Adde Zosimum I. 15. *Arntz.*

Clodium Cupienum, Cæcilium Balbinum Cæss.] Sic Msc. noster: et post, *Clodio Cæcilioque*, a cujus fide temere abire religio sit. Ille *Maximus Pupienus*, non, ut hic, *Cupienus* Capitolino vocatur. In Mss. tamen et vulgatis edd. omnibus *Pupianus*, per primam vocalem scriptum constanter reperi: hic vero *Clodius Balbinus* eidem est. Nec clam me est Græcos 'Maximum' fere appellare, Latinos 'Pupienum;' sed diversa nomina a diversis attributa in unum quadrant. Unus igitur idemque est 'Maximus' et 'Pupienus.' Nummi antiqui utrinsque, quales aliquot apud me servo, sic exprimunt: IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS. AVG. Altera ex parte duæ dexteræ junctæ, FIDES. MVTVA. AVGG. In aliis, IMP. M. CLOD. PVPIENVS MAXIMVS. AVG. Altera ex parte, CONCORDIA. AVGG. S. C. Quomodo et Pomponius Lætus, non malus auctor, appellat. Unde necessario efficitur in utroque nomine peccatum; leg. quod in Victore, *Clodium Pupienum, Cælium Balbinum Cæss. constituit*, non *Cupienum*, neque *Cæcilium:* nec recte a Capitolino 'Clodium Balbinum' vocari, nata haud dubie de *Cælio* voce corrupta *Clodii:* ridicule vero Orosius l. VII. qui fratres fuisse scribit, cum alter nobilis, ignobilis alter fuerit, Capitolino auctore. *Schott.* Mendose etiam *Cupienum* hic vulgari notavit ὁ πάνυ Salmasius ad Vopisci Div. Aurel. c. 41. ad Capit. Max. et Balb. c. 1. et ad Tertullian. de Pall. p. 167. quod quidem verum, non etiam illud, quod adfert contra illos, qui ad hunc locum putant 'Maximi' nomen esse prætermissum in nummo cui hæc ἐπιγραφή: IMP. C. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. Quæ inscriptio ex viri magni sententia ita esset legenda: *Caius Maximus Clodius Pupienus Augustus*. Pace tantorum manium in re levissima apertus error, cum hæc potius sit illarum litterarum expositio: *Imperator Cæsar Marcus Clodius Pupienus Aug.* Litteram enim *C. Cæsarem* indicare, patet ex multis numismatibus hujus Inperatoris, in quibus clarius legitur IMP. CAES. Secundo loco cognomen 'Maximi' nunquam præponitur in inscriptionibus, sed post Pupienum collocatur. Multa reperies apud Occonem auctum a Biragio Num. Inper. pag. 334. Begerum Thes. Brand. tom. II. p. 722. Patin. Num. Imp. p. m. 366. ceterosque. Nec dubitare amplius sinunt illi nummi, in quibus et littera M. et cognomen MAXIMI reperitur, uti IMP. C. M. CLOD. PVPIEN. MAXIM. AVG. id est, *Imperator Cæsar*

Marcus Cl., &c. quales sunt in Nummis ducis Croyïaci et Arschotani tab. LVII. et De Wilde Num. Aur. tab. XL. Ceterum nihil certius est, vel ex his ipsis antiquitatum monumentis, quam pro *Cæcilium* verum nomen fuisse *Cælium*. Sed cui ille error sit adscribendus, auctori nostro an descriptorum ineptiæ, malim hoc loco dubitare, quam intempestive quidquam in ipso textu mutare. Monuisse sufficiat. *Arntz.*

Cæsares constituit] Imo Augustos, hoc est, Imperatores. *Anna.* Attamen uterque titulus, ut jam vidimus, in nummis conjungitur. *Arntz.*

CAP. XXVII. § 1 *Gordianum Gordiani filium*] Contra omnes et Græcos Augg. scriptores, qui tres Gordianos agnoscunt, ut Gordiani filium XLVI. annos agentem. Cætera Capitolinus. *Schott.* Varie hoc loco, ut sunt apud alios historicos res Gordianorum maxime turbatæ; etiam Nostrum errasse docet Cuperus in Hist. trium Gordian. p. 31. et in doctissima dissertatione de Gordianis Spanhemius de Usu Num. Diss. XI. pag. 243. Puto tamen auctores suos secutum esse Nostrum, qui hunc Gordianum 'filium' non 'nepotem' faciebant, cui sententiæ favet Capit. in Max. et Balb. c. 9. 'Merito avi et avunculi, seu patris, ut quidam dicunt:' nisi mavis cum Salmasio posteriores voces delere; id quod vix crediderim. *Arntz.*

§ 4 *Aquilæ obsidione*] Credo *Aquilejæ* legendum ex Capitolini Maximinis. *Schott.*

§ 7 *Lustri certamine, quod Nero*] Tranquillus Nerone: 'instituit et quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, musicum, gymnicum, equestre: quod appellavit Neronia.' c. 12. et Vespasiano c. 4. Tacitus 'ludicrum quinquennale' in morem certaminis vocat. Idem Suet. Neroneum agona Neron. capp. 11. 21. et 23. et Tacitus Annal. lib. XIV. instituisse referunt. Aurelius Victor supra 'psallere per cœtus, Græcorum invento in certamen corona cœpit.' *Schottus.* [Vide Not. Delph.] Accuratius de hoc certamine disputat Scaliger de Emend. Temp. p. 469. *Arntz.*

Jani ædes] A. U. C. IↃCCCCXCIIII. Prætextato et Attico Coss. 'Gordianus aperto Jano gemino, quod signum erat indicti belli, profectus est contra Persas ingenti exercitu.' Jul. Capitolinus Gord. Juniore et Cassiodorus. Ducta uxore Tranquillina, Eutropius lib. IX. quem etiam auctorem laudat Orosius lib. VII. cap. 19. 'Admodum puer, inquit, 'in orientem ad bellum Parthicum profecturus, sicut Eutropius scribit, Jani portas aperuit: quas utrum post Vespasianum et Titum aliquis clauserit, neminem scripsisse memini: tamen eas ab ipso Vespasiano post annum apertas Cornelius Tacitus prodit.' Taciti locus hodie, quod sciam, non exstat. *Schottus.* Confer Casaub. ad Suetonii Aug. c. 22. *Arntzenius.*

Quas Marcus clauserat] Hæc Casaub. ad Capit. Gordian. c. 26. *Arntzenius.*

CAP. XXVIII. § 1 *Sumto in consortium Philippo filio*] Sed distinguenda tempora, cum non initio, sed ludis secularibus dictus sit Augustus. Occo Num. Imp. p. 350. unde est, quod in nummis ludos istos antecedentibus 'Cæsar' appelletur: ita postea SAECVLARES AVGG. numero multitudinis monumenta exhibent. Et talia apud Numismaticos quotidie obvia. Ante sæculum igitur milliarium 'Cæsaris,' postea 'Augusti' nomine decoratur. *Arntz.*

Philippopoli] Scaliger ad Eusebii Chron. pag. 235. et Spanh. de Usu Num. Diss. XI. p. 254. *Arntz.*

Centesimo consule] Melius, ut eden-

nisi ἀπὸ κοινοῦ *centesimus* exaudias. Mirum profecto et millesimo anno *Philippos* AA. *coss.* fuisse. Similis de anno centesimo sine ludis celebrato querela apud Zosimum historiæ novæ lib. II. ab initio, quem legisse delectabit. Philippus autem et Salia Coss. fuere anno CIↃCI. post U. C. si Fasti Consulares non fallunt, triennio ante Constantii Augusti consulatum quinctum. De bestiis vero quas exhibuit Philippus, lege Capitolinum extr. Gordiano Juniore. *Schott.*

Nullis, uti solet, sollennibus frequentatus] Multa de neglectu ludorum, et auctoris nostri querela Scaliger ad Euseb. Chron. pag. 234. et 235. de Emend. Temp. pag. 390. et Leibnitii Diss. de Numis Gratiani p. 318. qui inter alia hic reponit *cura minuitur Romanæ urbis*. Sine necessitate offendit virum doctum vocula *minima*, quæ hic sensu comparativo capienda est, pro *cura minor reip. Rom.* Sulp. Severus Hist. Sacr. II. 3. § 5. 'Inperium quartum, idque Romanum intelligitur, omnibus ante regnis validissimum.' Apuleius Metam. VII. 195. 'Omnibus ille quidem puer deterrimus:' quem locum varie viri docti tentarunt, sed tamen hæc est scriptura codicum; eamque contra alios melius recepit, quam defendit Beroaldus. Adi Vossium Gramm. VII. 17. *Arntz.*

§ 5 *Solutionem posterorum*] Dissolutionem, mores dissolutos et effeminatos significat. Post, *frustratum* puto dividendum in *frustra tum iri*, pro *tum frustra iri* æstimans, cui alterum *tum quia* respondeat: nihil tamen pronuntio. Ita contra *pro-merito* in unam dictionem coalescere debere per ὑφὲν existimo, ut ea forma dicatur qua 'pro-consule,' 'pro-prætore:' designetque puerum meritorium, ut conjicio; neque enim legere alibi memini. Eruditores velim de hoc loco arbitrentur. *Schott.* Casaubonus legit *similem pro meritorio ephebum*, ut intelligatur locus ubi prostituebantur. *Grut.* Vult auctor, Philippum virilis scorti consuetudinem removisse duas ob caussas, et ut haruspicum responsis solutisque moribus occurreret, et quod inter pueros inpuros quendam conspexisset forma filio suo quam simillimum. Sed sic offendunt voces *pro merito*, quæ an Schottus ex aliorum sententia recte exposuerit, ego nescio; mihi certe non satisfacit: nemo enim ita potuit loqui. Hæc est ratio, quamobrem pedibus in eorum sententiam discedere maluerim, qui *pro meritorio* scribunt; inter quos Barthius Adv. lib. XLVIII. c. 6. Casaubonus ad Lampr. Alex. Sev. c. 24. et Salmasius ad Vopiscum in Tacit. c. 10. Est enim *meritorium* locus ubi nefarium illud hominum genus prostituebatur. Spartian. Pesc. Nigro. c. 3. 'Pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria.' Diligentissimus etiam Tollius huic loco manum admovit in Add. ad Ausonium p. 776. substituens *meritorium ephebum*, vel *stupro merentem ephebum*. Verum illi adeo felici esse non licuit, quod et hic aliisque, præsertim in Præfatione, locis profitetur, ut per librorum non admodum opulentam copiam aliorum bene inventis obtemperare potuerit. Quare hæc conjectura, ni fallor, multis pro illa priori sordebit. Interim nescio, quid huic, uti et reliquis viris eruditis in mentem venerit, quod hic *existimans* laudent, pro *æstimans*, cum hæ tamen voces idem designent, et 'æstimare' judicandi sensu ponatur. Phædrus Fab. IV. 17. 15. 'Turpe æstimantes aliquid commissum a suis.' Val. Max. V. 1. ex. 11. 'Jacentem non hostem, sed civem, deposito æstimans odio:' ita plurimorum codd. consensu melius reduxit Torrenius pro vulg. *existimans*. Suetonius Aug. cap. 35. Plinius Paneg. cap. 38. 'Effusio, et quidvis potius quam liberalitas æstimanda:' quæ

lectio est Ms., vulgo corrupte. Male putavit magnus Bentleius ad Phædr. Fab. III. 4. et Ryckius ad Tacit. Ann. XIII. 17. 'æstimare' nondum temporibus Taciti pro existimare dixisse. Exempla post viros doctos non congero: ex multis vidisse satis sit Davis. ad Cæsar. Bell. Civ. III. 95. et 102. Cort. ad Sall. Catil. cap. 8. § 2. Burmann. ad Phædr. loc. laud. Scheff. ad Just. III. 7. § 4. et X. 1. § 3. *Arntzenius.*

Quippe conditione loci mutata, pejoribus flagitiis agitur] Vide Lamprid. in Alexandro Severo. *Anna.* Capite scilicet 24. *Arntz.*

§ 8 *Bonis parte plurima jacentibus*] Hoc est, virtutibus *parte plurima* prostratis. *Anna.* Vel potius 'bonos' opponit 'mollissimis' et hominibus perditis. *Arntz.*

§ 9 *Pudore amisso, tamen fortunatus*] Egregie: hinc et Lucretia apud Livium I. 58. rogata 'satin' salvæ?' 'minime,' inquit: 'quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia?' a cujus moribus mirum quantum diversa Sempronia apud Sallust. Catilin. c. 25. 'ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit,' &c. *Grut.*

§ 11 *Filius interficitur*] Contra Zosimus filium cum patre in prælio cæsum dicit. *Anna.* Sed ab interprete Zosimi in errorem abducta est doctiss. femina, in Græco enim textu præcedit patrem cum multis in prælio cecidisse, et deinde etiam periisse filium: Ἔπεσον πολλοί, καὶ αὐτὸς δὲ σὺν αὐτοῖς ἀναιρεῖται, καὶ τοῦ παιδὸς ἀποσφαγέντος. Et hoc confirmant Eutropius, Orosius, Eusebius, Cassiodorus, aliique. *Arntz.*

Annos potentiæ quinque] *Septem* numerat Orosius et Jornandes. *Arntz.*

CAP. XXIX. § 1 *Lætiorque*] Vide an non melius sententiæ satisfaciat, si pro *lætiorque* transpositis litteris *elatiorque* refingamus. De Vir. Illustr. cap. 24. § 5. Pricæus ad II. Epist. ad Timoth. cap. III. vs. 2. Val. Maximus IX. 5. ex. ext. 3. 'Cannensis pugnæ successu elatus.' *Arntz.*

§ 2 *Jotapiani*] Casaub. de defectu historiæ inter Gordianum et Valerianum, quæ leguntur post notas ejus ad Capit. Vitam Max. et Balb. *Arntzenius.*

Ora] Pro capite dixit, ut et alibi Capitolinus; locus tamen non occurrit. Sic post paullo 'nobilitas' pro senatu et patribus accipitur, ut et supra Gordiano filio et inf. Gallieno, opponiturque militibus et cohortibus prætoriis. Mox *parvum videri* malim, quam *parum.* Schott. Non erat insigniendus locus asterisco * *ora, &c.* omnia quippe cohærent. *Ora* enim pro ipso capite usurpat, ut Capitolinus, alii, sicut recte annotatum a Schotto. *Grut.* Virgil. Æn. VIII. 196. 'Foribusque adfixa superbis Ora virum tristi pendebant pallida tabo:' ubi Servius, 'Ora virum, id est, capita.' Lucanus II. 122. 'Cujus laceris pendentia canis Ora ferens miles festæ rorantia mensæ Inposuit.' IX. 138. et 279. 'Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno.' Ex quibus simul patet, abscisa ducum adversariorum capita victoribus oblata fuisse. *Arntz.*

Lucio Prisco] Sed multi talem nummum videre cum Spanhemio de Usu Num. Diss. XI. p. 254. Fortasse desiderabunt frustra, apud quem alia multa in Nostro hoc et sequenti capite lucem accipiunt. *Arntz.*

§ 3 *Julius Valens*] *Licinianus* vulgata Epitomæ editio. *Schott.* Phrasis quæ sequitur, Sallustiana Jug. cap. 84. § 1. 'At Marius cupientissima plebe consul factus.' *Arntz.*

§ 4 *Bruti fraude cecidere*] Sic etiam Eutropius, sed perperam: quod enim mirum est, nomen loci in nomen hominis descivit? in Abruto enim Decii periere, ut liquet ex Geticis Jornandis, ex Cassiodoro, et Eusebii Chronico, ubi consulatur noster ille Scaliger. *Grut.* Non inspecto Eutropio

male Scaligerum intellexisse videtur Gruterus. Nihil enim de Bruto Eutropius, neque hoc voluit indicare Scaliger. Si hic nomen loci lateret, cur additum est *fraude*, quod nemo illorum tradidit, qui ab hostibus necatum vel in palude submersum scribunt. Cum varie Decii mors narretur, cur potissimum apud Nostrum aliquid mutem, cum reliquis omnibus de hac re dissentire concedatur? Vide Nic. de Nourry ad Auct. de Mort. Pers. cap. 7. art. 1. Si velis corrigere, leviori mutatione scriberes *Abruti*, quæ constructio nota satis. Toinardus ad Lactant. Mort. Pers. cap. 4. p. 355. *Arntz.*

§ 5 *Detrimentum unius militis parum videri sibi*] Reponendum cum Schotto *parvum:* celsissimi animi vocem jure miremur: neque etiam degener Crassus amisso filio, apud Plutarchum in vita ejus: Ἐμὸν, ὦ Ῥωμαῖοι, τοῦτο τὸ πένθος ἴδιον ἐστιν· ἡ δὲ μεγάλη τύχη καὶ δόξα τῆς Ῥώμης ἐν ὑμῖν ἕστηκε σωζομένοις· *Meus est, milites, privatus hic luctus: inclita fortuna et gloria urbis Romæ in vestra consistit incolumitate.* Grut.

Cap. xxx. § 1 *Gallo Hostilianoque*] Unum eundemque facit Eutropius lib. ix. *Schott.* et *Sylburg.* Sola distinctione sanari potest Eutropius: *Gallus, Hostilianus, et Galli filius.* Emendatio Casauboni est post notas ejus in Capit. Vita Max. et Balb. Cum sequatur in Eutropio *ambo profecti;* id nil Casauboni, vel nostræ (quam video jam præoccupasse Rupertum) obest, si illud de Augustis, non Cæsare etiam intelligatur. Multa eleganter Spanhemius disputat de Usu Num. Diss. xi. p. 256. *Arntz.*

§ 2 *Pestilentia oritur*] Qua sola imperium nobilitatum. Eutropius, Orosius. Vide quæ ad Epitomam notavi. *Schott.*

Cap. xxxi. § 1 *Æmilius Æmilianus*] Unde hoc nomen 'Æmilii,' præterquam ex Nostro, petierit optima Daceria, nescio, neque apud alium legere memini. Ego prius *Æmilius* crediderim vitium librarii ex propria voce ortum, vel legendum *C. Julius Æmilianus;* sic enim appellatum volunt. Et mox *Æmiliano.* Arntz.

§ 3 *Biennio profecit*] An *biennium præfuit?* Sic videtur. Deinceps *cum eum proceres.* Excusa ed. *quatuor menses;* Noster *tres.* Schott. Sed fortasse non minus apte legerimus *biennium suffecit.* Sylb. Non male Schottus, sed melius Sylburgius, *biennium suffecit;* nisi nimium abiret a literis vocis vitiosæ. *Grut.* Nisi mavis expositione lenire, hisce omnibus imperium profecit seu utilitatem adtulit tantum ad biennium. Et hoc malo, ni præferas *biennium.* 'Proficere' pro utile esse Symmach. Epist. ii. 89. 'Ut commendationi eorum adjecta pagula proficiat:' et sic optimi etiam scriptores. *Arntz.*

Cap. xxxii. § 1 *Qui contractu undique*] *Contracti* ut legatur auctor sim. *Schott.*

Militiam] Ad unum Valerianum pertinet; lege igitur meo periculo *sequebantur.* Deinde *adulta æstate* pro *ætate.* Non illud celabo lectorem *Illicinio Valeriano* pro *Licinio* scriptum fuisse. Inf. rursus glossema, quia locum reddit impeditum, stylo verso expungendum. *Schott.*

Æstate diluvii facie] Pro *ætate* procul dubio legendum *æstate*, uti monuit Schottus noster. *Sylb.* et *Grut.* Neglexi lectorem monere, me pro *ætate*, quod alias edd. fœdabat, facillime admisisse *æstate*, nec de veritate ne tyro quidem dubitabit. Tacitus Ann. ii. 23. 'Æstate jam adulta legionum aliæ in hybernacula remissæ:' ubi eam dictionem recte ex Servio exponit Lipsius, cui adde alium ejusdem grammatici locum ad Æn. iii. 8. 'Aut prima pars æstatis, quia est et adulta et præceps.' Ceterum nonnihil conferet Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. iv. 8. et Zinzerlin-

gius Prom. Crit. c. 9. Nec abludit Longus in Pastor. lib. II. init. τῆς ὀπώρας ἀκμαζούσης. *Arntz.*

§ 5 *Pater*] Post hanc vocem in vulgatis edd. legebatur *dolo erat circumventus*, sed illud, ut e sequentibus natum, rejiciendum censuerunt viri docti et Anna, quorum judicium sum secutus. *Arntz.*

Persarum regis dolo circumventus] Dissensum historicorum hoc dedecus tegere conantium examinat Barthius ad Statium Theb. II. 713. *Arntz.*

CAP. XXXIII. § 2 *Ingebum*] 'Ingenuum' Trebellius Pollio et Eutropius lib. IX. quorum hic 'Trebellianum' vocat, quem 'Regallianum' Noster, qui et 'Regillianus' aliis est. *Pannenos* scriptum erat in vet. lib. unde vel *Pannonios* vel *Pannonas* effici queat. *Schott.* Falli hic auctorem, cum hoc bellum ab adolescente Gallieno gestum sit, docet Salm. ad Treb. Poll. Trig. Tyr. c. 9. *Pannonos*, quod judicio Schotti in *Pannonios* erat mutatum, reduxi. Si enim a 'Dacia, Dacus,' ab 'Italia, Italus,' &c. cur non eodem modo et a 'Pannonia' fieri posset 'Pannonus?' quamvis nesciam alios ita esse locutos. Inf. Epit. c. 37. § 3. ita unus cod. Sed tamen contra Ms. tantum non debemus nobis sumere in eo scriptore, quem vel in singularibus aliisque inusitatis verbis gloriolam captasse diceres. *Arntz.*

§ 3 *Adeo uti Thraciam*] Vel *ut in Thraciam.* Arntz.

Latrones] Syri. Vopiscus in Aureliano. Mulier vero Zenobia Odenati uxor, qua de Pollio in Tyrannis. *Schott.*

Alemannorum vi, tunc æque] Olivarius hæc a superioribus interpunctione sejungenda monuit, et sic concipienda: *Alemannorum tunc equi Italiam, Francorum gentes direpta Gallia Hispaniam possiderent*, (nam in vet. *possiderunt*, non recte,) deletque illud *vi.* Supra certe in Caracalla 'Alemannorum gentem populosam, ex equo mirifice' (ut hodieque, nam peditatus inutilis) 'pugnantem' laudat: qui locus facit conjecturæ Olivarianæ confirmandæ. De his totidem pæne verbis Eutrop. lib. IX. 'Alamanni,' inquit, 'vastatis Galliis in Italiam irruperunt; Germani usque ad Hispanias penetraverunt et civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt.' Ergo iidem olim Franci qui Germani. De Alemannis vero in præsens hoc monebo: *Alamannos* prima vocali in secunda syllaba fere in antiquis libris scribi: hodie vero *Alemannos*, et Gallica lingua *Allemans*, quod nobis sonat, quasi 'omnium horarum homines.' Olim justius Germani a fide integritateque dicti, quæ præcipue in sacramento militari præstanda est. De his sic Agathias Græcus Histor. lib. I. Latine loquens: 'Alemanni, Asinio Quadrato viro Italicensi fides habenda est, qui res Germanorum diligenter perscripsit, adventicii sunt, et ex varia hominum colluvione, quod sane eorum cognomento præfertur.' *Schott.* Legi potest *Alamannorum vis.* Sylb. Olivarii conjectura ingeniosior fortasse quam verior. *Grut.*

§ 5 *Grassabatur*] Dictum videtur pro *vastabat*, vel *populabatur:* nove. Legendus Pollio de hac lue et strage. Supra *ventis undique* corruptus ibi falsa interpolatione Ms. *Schott.*

§ 6 *Lenonum ac vinariorum*] Forte *mimorum:* hos enim conjungit Trebellius Pollio Salonino: 'Semper,' inquit, 'noctibus popinas dicitur frequentasse, et cum lenonibus, mimis, scurrisque vixisse.' Emendandus et in hac voce Suetonius de Illustr. Gramm. in Melisso: 'Libellos ineptiarum qui nunc jocorum scribuntur, instituit absolvitque centum et quinquaginta: quibus et alios diversos postea addidit:' in Mss. est *quibus et animos diversi operis addidit:* forte legendum *mimos diversi operis.* Et in

Capitolini Maximinis legitur *minus scurra* in omnibus editis; repone *mimus scurra*. Schott. Sed dextere interpretatur *vinarios* istos Dousa ille noster in Plautinis Explanationibus suis ad Pœnulum. *Grut.*

Saloninæ conjugi atque amori, &c.] Salm. ad Pollion. Gall. c. 3. sed ille minori mutatione *amori flagitioso* retinet; quod etiam non erat mutandum: et potest sincera lectio conservari, si locutionem statuamus ἓν διὰ δυοῖν, pro amori conjugali flagitioso. Apud Justin. II. 2. § 9. 'Lanæ et vestium' pro vestium lanearum: ubi Græv. et Gron. ad c. 3. § 7. Ovidius Am. I. 14. 25. 'Quam se præbuerunt ferro patienter et igni.' Juvenal. Sat. I. 72. 'Per famam et populum nigros efferre maritos.' Cerda ad Virg. Ecl. II. 8. Pompon. Mela I. 8. 'Ture atque odoribus abundat.' Ita apud Græcos Act. Apost. c. XIV. vs. 13. ταύρους καὶ στέμματα. Palæph. de Incred. c. 6. Ἄνδρές τε καὶ ὅπλα· ubi Toll. et Paull. Pater. *Arntz.*

Pipæ nomine] 'Pipara' vocatur Pollioni. Ex quo et *Lolliani bello* legendum, non, ut est in veteri exemplo, *Leliani belli*. Qui hic *Germanorum* rex Attalus, *Marcomannorum* est in vulgata ed. *Schott.*

§ 8 *Posthumus*] Neque tamen talem nummum vel inter meos, vel alibi licuit reperire. Testatur tamen idem, unde hæc hausta, Casaub. ad Poll. Trig. Tyr. cap. 3. cum omnes POSTVMVM referant, et LATIENVM, pro LABIENO, qua de re etiam non debuerat dubitare F. Meierus de Postumo Aureo p. 205. male infra in Epit. distinguitur *Cassius, Labienus, Postumus;* cum conjuncte legendum sit, *Cassius Latienus Postumus*. Arntz.

Quod flagitantibus] Veram scripturam corrupit dubio procul vir doctus; ego potius apud Pollionem Trig. Tyr. cap. 5. reponerem pro *Lollianus, L. Ælianus*. Video tamen *Lolliani* nummum exstare apud Occonem Biragi p. 396. de Numm. Inper. sed dubiæ fidei. In Epitome inf. cap. 32. § 4. sine varietate Mss. omnes *Ælianus* exprimunt, quod exemplum et hic sequi fas erat, potius quam ex *Leliano* facere *Lollianum*. Separa modo litteras, et sua sponte *L. Elianus* seu *Ælianus* evadet. Et quid facilius? Laudo igitur Havercampum, qui in Eutropio IX. 9. *L. Ælianus* exprimi curavit, nec aliter ibi volebat Heumannus. Conf. Spanhem. de Numism. diss. XI. pag. 264. Sed non *L. Ælianum*, verum contractis in unum litteris *Lælianum* scribit Bandurus Numism. tom. I. p. 315. idque numismatum inscriptionibus defendit, in quibus est IMP. CLAELIANVS, quod exponit *Imp. C. Lælianus*. Sed eodem jure distinguere licet *Imp. C. L. Ælianus*, præsertim cum ipse adferat nummum, in quo est *Imp. C. Ælianus*. Magis illi faveret, si vera esset inscriptio, quam exhibet, IMP. C. VLP. COR. LAELIANVS. De qua tamen dubitare non desino; immo potius repudio. *Arntz.*

Maguntiacorum] Restituo *Moguntiacorum*. Aliam porro causam reddit Pollio Tyrannis; occisum nimirum a militibus suis Postumum, quod nimio eos labore fatigaret. Pro nobis facit Eutropius. *Schott.*

§ 11 *Marius*] De ea disputat Wasse ad Sall. Jug. cap. 67. *Arntz.*

§ 12 *Post biduum*] 'Triduum' Pollio, sed nihil pugnant; nam tertio die interfectus: breve, hercle, regnum; quantus fere consulatus Caninii Rebeli, de quo Ciceronis jocus apud Macrobium Saturnal. II. 3. et Tacit. Hist. lib. III. Suetonius Cæsare cap. 76. et Nerone cap. 15. *Schott.*

Actitiani conjugem] Mox duplici *tt Attitianum* nuncupat, et addendum esset *actuarii*, nisi post aperte diceret. Corruptus hodieque et Eutropius lib. IX. 'Agrippinæ occisus est Acturio quodam machinante dolum, imperii sui anno secundo:' lege, me

auctore, *actuario quodam*, Pollione calculum addente, vel *Attiliano quodam*, nam in Ms. Eutropii *Autheriano* reperi. *Schott.*

§ 13 *Actuariorum*] *Actuarii* iidem qui notarii: inde dicti, quod acta notis exciperent. l. Actuarii; et L. Pæn. C. de Erog. Mil. Anno. De his Titulus lib. XII. Cod. extr. De numerariis et actuariis et chartulariis et adjutoribus. Sueton. Cæsare cap. 4. ‘Orationem pro Q. Metello non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis.’ *Schott.*

Ut arduum petentibus malitia patraretur] Ipse tentabam *altilia*, ut intelligerentur quibus animalium et ceterorum alimentorum in exercitu cura esset commissa. Du Cange in Gloss. Med. Lat. hac voce. Sed meliora me docuit Gronovius de Pecun. Vet. II. 7. ‘utilia’ et ‘utensilia’ notare alimenta et cibos militum: adi ipsum, nec de veritate dubitabis. Hi autem actuarii poterant annonam curantibus infesti esse, quia ipsi eam a conductoribus acciperent, et militibus erogarent. Du Cange in ‘Actuarius;’ ad quod genus actuariorum respicit Noster, potius quam ad eos de quibus Schottus hic et Lindenb. ad Ammian. XXV. 10. *Arntz.*

§ 14 *Victoria*] Matronæ nomen proprium, quæ et ‘Victorina’ Pollioni: ‘Mater castrorum’ appellata est, et Augustæ nomine affecta. *Schott.*

§ 15 *Inprobe suadebat*] Videtur legendum *persuadebat;* sensus enim exigit. *Schott.* Nil muta: simplicem namque vocem pro composita ‘persuadere’ frequenter adhiberi ostendit Barthius ad Claudian. Cons. Manlii vers. 212. *Arntz.*

Ludos ac festa triumphorum] Vecordior iste adhuc Vitellio Taciti, ‘qui nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione, remedia potius malorum quam mala differebat;’ Hist. III. 54. ubi nos, de hujusmodi principum stultitia, plura. *Grut.*

§ 21 *Qua causa*] Ita scriptum: forte *quo casu* legendum. Aurelianus hic postea Imperator effectus. *Schott.*

Aureliani] Vulgatæ edd. mox *honore*, male. *Arntz.*

Nocte intemperata] Pro ‘intempesta:’ quod non temere alibi reperias. *Schott.* Ita ‘intemperantia cœli’ pro intemperie observat apud Saxon. Grammat. in Notis Stephanius p. 180. *Arntz.*

§ 22 *Auctoris necis nec rore an quia*] [Vide Lectt. Var.] Egregie locum constituit Schottus noster; et omnia adhuc clariora forent, ejecto illo *ne*, ut et ipse quoque vidit. *Grut.*

§ 23 *Eo sunt prolapsi mores, uti suo quam reipublicæ, magisque, &c.*] De hac querela, non adspernenda accumulamus ad Taciti ista: ‘Paucis judicium, aut reipublicæ amor,’ &c. Histor. I. 12. *Grut.*

§ 24 *Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta*] Similiter Cato apud Sallust. Catilin. cap. 52. § 1. ‘Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri,’ &c. Sed et nos de ea falsa nominum interpretatione plura apud Tacitum Annal. XI. 17. f. ‘Falso libertatis vocabulum obtendi,’ &c. *Schott.*

Dum plerumque] Locus lectu quam intellectu difficilior: ‘Rerum,’ inquit, ‘vis et nominum corrupta: nam qui flagitio potior est, is si armis superior sit, tyrannos amotos, damno publico oppressos, vocat.’ *Schott.*

§ 25 *Aliquanti*] Dictum pro ‘aliquot.’ *Schott.* Veget. de Re Mil. II. 3. ‘Præterea necesse est morbo aliquantos debilitari atque dimitti, aliquantos militiam deserere:’ ut apud eund. III. 23. init. et IV. 23. Spartian. Hadr. cap. 7. ‘Pessimis aliquantis multa largitus est.’ Eutrop. IV. 27.

Barthius Adv. xxv. 13. et qui non? Adi supra de O. G. R. cap. 18. *Arntz.*

Dum urbs erit] Vidi qui legendum censerent, ut de Roma duntaxat intelligatur. *Schott.* Ego malim *dum urbes erunt*, quam ut quidam conjecerunt *Urbs*, ut de Roma intelligatur: nocuit enim toti imperio luxuria Gordiani: itaque nulli non urbi memorandus cum infamia. *Grut.*

Quisque pessimus erit] Pro 'quisquis' vel 'quicunque.' *Schott.* Davis. ad Minuc. Felic. Octav. c. 13. et Cortius ad Sall. Catil. c. 17. § 7. Plinius Paneg. c. 68. 'Quisque est dignior; cum sit nemo non dignior, omnes timentur:' ita eo loco scripti. *Arntz.*

§ 30 *Optimi*] 'Optimos mortalium' vocare videtur, e quorum corpore Imperator legi solet, et unde status optimatium Romæ constituebatur; qui Græcorum aristocratiæ respondet: post paullo 'optimos nobilium' vocat. *Schott.*

Quantum conjiciatur] Præstare ausim fuisse *conjicitur;* hoc est, 'hominum judicio.' *Schott.*

In curiam perduci] *Perducto* J. Olivarius auferendi casu, et fortasse ad auctoris sensum accommodate. *Schottus.* Facile mutaveris illud *perduci* in *perducto*, sed ita non sanabitur loci vulnus, quo etiam forte adficitur vox *pependisse:* certe stare vix potest, permanente illo *perduci*. Grut. Sed hic locus ab ingenio melius tentari potest, quam sanari. Simplicissima mihi videtur Olivarii conjectura. Sed desperatis locis sine Ms. inhærere non libet. Durius erit si *per duces*, uti tentaveram, scribamus, ut duces et principes senatus intelligantur. *Arntz.*

§ 34 *Ne imperium ad optimos nobilium transferretur, senatum militia vetuit*] Non quævis obvia de ignavionibus istis prompsimus ad illa Taciti: 'Clarum inde inter Germanos Frisium nomen; dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret.' Annal. IV. 74. *Grut.* Salmas. ad Capit. Anton. Phil. c. 22. *Arntz.*

§ 35 *Novem annorum*] Gallienus post patrem Valerianum solus imperium obtinuit annos novem. Eutrop. lib. IX. Cum patre septem, et solus octo annis imperavit, vixit quinquaginta, inquit vulgata Epitoma. *Schottus.* Et Salm. ad Poll. Gallien. c. 1. *Arntz.*

CAP. XXXIV. § 1 *Perditæ res subjungunt*] Eadem quoque ratio vulgi, e quo genere hominum fere constituitur militia. Sallust. Catilin. c. 23. f. 'Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere,' &c. Consulatur Thucydides non longe a limine libri septimi. *Grut.* Schotti emendationem amplectitur Wasse ad Sallust. Catil. c. 24. fine. *Arntz.*

§ 5 *Vitam R. P. dono dedit*] Ut Codrus Atheniensis et Decii Romani qui se pro republica devotarunt. Cicero. Eutropio autem hic morbo absumptus est. *Schott.*

CAP. XXXV. § 3 *Prodito ipso duce*] Jurare liquet *proditore* scripsisse Aurelium in Aureliano, flagitante historiæ veritate apud Trebellium Pollionem Tyrannis, et Flavium Vopiscum Aureliano, et Eutropium lib. IX. usus autem tumultuantibus militibus in literis hoc Virgiliano, Æneid. lib. VI. 'Eripe me his invicte malis.' *Schottus.*

§ 5 *Post celsum biennii Imperii*] [Vide Not. Delph.] Valde εὐστόχως Schottus *ipse post celsum biennii imperium;* ut sublimitatem et summam potestatem intelligamus: nam sic et infra c. 41. dixit, 'post biennii augustum imperium fusus.' *Grut.* Nolo dubitare, an *celsus* hic nomen sit an adjectivum, cum hoc verissimum; sed in eo hæreo, an *imperii* hoc loco retineri non possit, ut neutrum, quomodo frequenter alibi, secum habeat genitivum. Livius XXI. 33. 'In immen-

sum altitudinis dejecit.' Solinus Polyh. c. 32. 'Inter objecta rupium.' Grang. ad Juven. Sat. I. 135. et Sciopp. Veris. III. 1. Porro *celsus* de ampla dignitate et honore accipitur. Symmach. Epist. III. 69. 'Celsum virtutibus et honoribus virum:' et Epist. X. 32. 'Ille semper magistratibus suis celsior.' De hac emendatione etiam videndus Columbus ad Auctorem de Mort. Persec. cap. 20. p. 295. Similiter de illa voce an nomen sit an adjectivum dubitatum etiam fuit apud Juven. Sat. VIII. 198. *Arntz.*

Correcturam Lucaniæ] Sic et Vopiscus Aureliano; Trebellius vero Tyrannis, 'correctorem' totius Italiæ factum scribit; id est, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Umbriæ, Piceni, et Flaminiæ, omnisque annnoariæ regionis. Infra Diocletiano. 'Venetiæ correctura.' De 'correctoribus,' qui aliquam provinciæ partem regendam susceperant, vide Cassiodorum lib. III. Variarum, qui nunc doctorum hominum opera integrior prodiit. Mox *senatorium* legi posset quinque syllabis, et *cooptavit* positum pro 'impetravit.' Vopiscus non senatu motum sed relictum filium ait. *Schott.*

Felicissimo rationali] Sic Entropius. Ei 'fisci procurationem mandatam' Vopiscus scribit, appellatumque servorum ultimum in epistola ad Ulpium patrem, ubi nescio quos monetarios commentus est J. Baptist. Egnatius, quem et Eutropius, et Victor noster refellunt: nam de nummaria nota disertim uterque et Suidas voce *Μονιτάριοι*, ubi et felicissimi hujus infelicissimi exitus meminit; vide Const. Impp. Cod. lib. XI. tit. 'de Murilegulis et gynaciariis et procuratoribus.' Et lib. IX. tit. 'de falsa moneta.' *Schottus.* Salmas. ad Vopisci Aurel. c. 38. et Gutherius de Off. Dom. Aug. III. 19. Veritatem historiæ firmabit Eutrop. IX. 14. si pro *interfecto* legere licuerit *præfecto.* Arntz.

§ 7 *Fanum Romæ Soli magnificum*] Ille locus exstat c. 39. cum idem dixisset c. 35. 'Templum Solis fundavit, et pontifices roboravit.' Lege levi mutatione et transpositione litteræ *cooptavit*, quæ vox, uti norunt omnes, de lectione pontificum propria. Scaliger ad Euseb. p. 239. volebat *porticibus roboravit:* quod merito displicuit Salmasio, qui nescio an melius receptam defendere fuit conatus. *Arntz.*

Laxiore ambitu circumsepsit] 'Ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitus teneant.' Fl. Vopiscus, qui de his omnibus copiose. *Schott.*

Quadruplatores] Vopiscus etiam delatores quadruplatoribus addit: quem lector cum his Victorianis componet, et tanquam cum Bitho Bacchium committet. Asconius Verrina lib. III. 'Quadruplatores, accusatores sive delatores criminum publicorum sub pœna quadrupli: sive quod ipsi ex damnatorum bonis quos accusaverant, quartam partem consequebantur.' Eadem ille in divinationem Ciceronis. Plautus Persa, 'Ubi quadruplator quempiam injexit manum.' *Schott.*

Consumptis igni tabulis, monumentisque hujuscemodi negotiorum] Nimirum, ut pessimi principum obliterata ærarii monumenta e latebris suis protrahunt; sic eadem bonæ potestates igne consumunt, tanquam calumniandi materiem unicam: ut prolixe probavimus ad Taciti Annal. l. XIII. c. 23. *Grut.* Et similem in aliis principibus liberalitatem laudat Gronovius de Pec. Vet. IV. 3. *Arntz.*

Ad gratiæ morem] Adulterata lectio: quare res sibi suas habere jubeo ademptis clavibus. Repono invito Msc. *ad Græciæ morem*, id est Atheniensium. Significat enim totiens decantatam legem *ἀμνηστίας* Atheniensibus primum Thrasybulo auctore

usurpatam, de qua M. Tullius Philippica I. quem Cic. locum hic Vopiscus et Orosius II. 17. et VII. 6. laudant, et M. Velleius Paterculus lib. II. 'Et illud,' inquit, 'decreti Atheniensium celeberrimi exemplum relatum a Cicerone oblivionis prœteritarum rerum decreto Patrum comprobatum est.' Plutarchus Polit. τὸ τῆς ἀμνηστίας ψήφισμα scitum illud Atheniensium vocat. Subscribo igitur sententiæ Fr. Fabricii eruditissimi viri; vehementer falli eos qui in Cicerone μὴ μνησικακεῖν pro ἀμνηστίαν substituerunt: lege Val. Max. IV. 1. Corn. Nepot. Thrasybulo, et Xenoph. lib. II. Ἑλληνικῶν. Justin. lib. V. *Schott.*

Quantum spectabatur] Puto legendum *sectabatur*, vel potius *insectabatur*, omissa præpositione a librario in præcedenti voce *quantum* absumpta. 'Fures provinciales repetundarum ac peculatus reos ultra militarem modum est persequutus, ut eos ingentibus suppliciis cruciatibusque puniret.' Vopiscus: ubi Noster *contra militarium morem* legisse videtur. *Schott.* An fuit *suspectabatur?* aut, ut Schotto videbatur, *sectabatur* vel potius *insectabatur*. Gruter. et Sylb. Et hoc sequitur Salmasius quoque ad Vopisc. Aurel. c. 39. *Arntz.*

§ 8 *Ministri scelere*] Olivarius *Mnesthei* legendum censebat: et sane 'Mnestheus' a Flavio Vopisco appellatur, notarius secretorum, qui breve nominum conscripserit et manu Mucaporis interficiendum curarit. *Schott.* Nil muta. Vopisc. in Tacit. c. 2. 'Interfecto fraude Aureliano calliditate servi nequissimi.' *Arntz.*

Cænofrurium] *Cænophrurium* (sic enim imprimitur) mansionem inter Heracleam et Byzantium. In Antonii Schoonhovii viri diligentissimi Eutropio *Zenophrurium* ex Mss. reperias. *Schott.* Scalig. ad Euseb. pag. 240. Comm. ad Lactant. de Mort. Pers. c. 6. et Jornandes de Regn. Suec. p. 699. *Arntz.*

§ 9 *Omisso principe*] Pro 'amisso,' ut alias sæpe, c. 11. Inf. contra *amisso* posuit pro 'omisso,' nisi mendosus liber, c. 37. sic et *retracto* pro 'detracto,' alibi, nisi forte scribæ culpa, quam præstare non debeo, acciderit. *Schott.* et *Grut.* Burman. ad Phædr. Fab. I. 13. *Arntz.*

Deligerent] *Dilegerent* malo ex Sexto Pompeio de Verb. Signific. lib. IV. *Schott.*

§ 10 *Ipsorum potissimum convenire munus*] Illud *convenire* hic quoque expunxit Casaub. ad Vopisc. Aur. c. 40. Laborat sine dubio sententia, cui leviori opera succurri posset, si scribamus *ipsorum uni*, quæ ultima vox ob similitudinem duarum præcedentium litterarum absorpta est, ut velit munus Inperatoris potissimum convenire uni ex militibus. Petierant nempe legiones, ut senatus 'ex suo ordine Principem legeret' apud Vopiscum in Tacit. c. 2. illi hoc detrectarunt, cum renunciarent, ex militibus potius hoc fieri debere. *Arntz.*

§ 11 *Ita utrimque pudore ac modestia decertabatur*] Inde 'honestissimum certamen' appellatum Plin. Ep. VII. 7. 'speciosum' vero eidem Panegyrico ad Trajanum capite 79. m. videatur et Symmachus Epist. I. 86. f. Epist. IV. 39. m. P. Syrus: 'Humanitatis optima est certatio.' *Grut.*

§ 12 *Simulata dubiis*] Pro *nequeat* male in Ms. *neque:* quod mendum ex compendiis natum quis non videt? forte repererat *nequit*. Tacitum autem Corn. prudentissimum scriptorem est imitatus, ut verba prope appendere voluisse videatur: sic enim ille de Vespasiano Annal. lib. III. re altius propter elegantiam a nobis repetita: 'præcipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque: obsequium inde in principem, et æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus et metus; nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur:

nec omnia apud priores meliora; sed nostra quoque ætas multa laudis et artium imitanda posteris tulit.' Reliqua luxata et mutila. De rerum omnium conversione disputat eleganter Pythagoras apud Ovid. Transformat. lib. xv. ubi περὶ μετεμψυχώσεως ... 'Nihil est toto quod perstet in orbe. Cuncta fluunt, &c.' Mitto et Platonicum annum magnum. *Schott.* Neque hæc verba ad quemquam alium, quam ad ipsum Aurelianum sunt referenda, qui vitæ integritate tantum effecerat, ut etiam mortis ipsius auctores deinde punirentur. *Ejus* enim pro 'suus' et vice versa sæpe poni notum est, et docuerunt Ernstius ad Nepot. Att. c. 10. § 4. Barthius ad Rutilium I. 292. viri docti ad Justin. XI. 11. § 2. et nos supra ad Vir. Ill. c. 22. § 2. Si de nece cum Schotto cogites; non video quomodo recte dicatur, eam 'metui, desiderio, insolentiæ et ostentationi' fuisse. Quænam enim quæso esset *insolentia* vel *ostentatio* culpa aliorum interfici? nec mors ejus *desiderio* erat, cum optimus quisque longiorem ei vitam precaretur, multo minus pravis *metui*, qui hac re potius delectabantur. Refer igitur ad Aurelianum, et scribe *stimulo dubiis;* id est, incitamento fuit, calcar dubiis subdidit, ut virtutem sequerentur. Ita passim 'stimulus' ponitur. Pro omnibus videatur Broukh. ad Tibull. El. II. 4. 29. 'Dubii' erunt, qui in utramque partem versantur, nescientes quid potius amplectantur, virtutes an vitia, inde eos medios inter 'pravos' et 'optimos' collocat Victor. Nota Casauboni et Salmasii, quos memorat Anna, [vide Not. Delph.] videatur ad Vopisci Tacit. init. *Arntz.*

§ 13 *Cuncta in orbis modo verti*] De eo naturæ tacito recursu, multa nos ad Tacit. Annal. III. 55. 'Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis; ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.' *Gruter.* Salm. ad Spart. Sev. c. 18. *Arntz.*

CAP. XXXVI. § 1 *Militari ferocia*] Apertior esset sententia, si interserere liceret *a militari ferocia*, pro 'post.' In sua manu habebat senatus id, quod antea feroces milites faciebant. *Arntz.*

Legendi jus Principis] De contentione senatus et militum, et de sententia Taciti Imperatoris Vopiscus Aureliano: de interregno Aureliani cædem sequuto idem initio Taciti. *Schott.*

§ 2 *Auctores Aureliani necis*] Hoc quidem verum est, sed ille tantum reliquias interfectorum delevit, qui post Tacitum supererant. Vopiscus in Probo c. 13. *Arntz.*

CAP. XXXVII. § 1 *Retentata*] Sic veteres, pro *retenta*. Infra quoque *Tarsum* absque spiritu. Vopiscum autem sequitur; nam Tarsi mortuum Tacitum auctor vulgata Epitoma. *Schott.*

Ab suis interficitur] Adeoque hic reponendum, *Ab suis interficitur, postquam Probum*, conjunctis vocibus, quæ vulgo divisim leguntur, contra mentem auctoris, cum 'occisus sit Florianus a militibus, qui Probum audierant inperare, quem omnis exercitus legerat,' uti est apud Vopisc. in Florian. c. 1. et in Probo c. 10. *Arntz.*

§ 3 *Ut ille oleis*] Ita reposui; nam Mss. *ut ille utile olei*, corrupte altera voce repetita. Nequis autem in Italia novellaret, cavit Domitianus. Sueton. cap. 7. et causam alibi reddit Philostratus. De oleis quoque vide quædam in Alexandro Severo Lampridii. Mox forte melius *ductoribus*, quam *doctoribus*, et *ab exercitu*. Schott.

Otium reip. atque doctoribus suspectum] Non male Schottus *ductoribus;* et vero otium militare omnium aliorum progenerare negotium, non parce ostendi ex Græca Latinaque historia in Commentariis ad Annal. Taciti, I. 16. m. *Grut.* Adde Berneccerum ad Justin. XX. 1. § 1. *Arntz.*

Saturnino] Hic alius ab eo qui Gal-

lieni temporibus imperium invasit: dux fuit limitis orientalis, quo de Fl. Vopiscus: de altero Treb. Pollio, hunc vero Bonosum natum dicebat Aurelianus, ut biberet, non ut viveret. Vopiscus Bonoso et Probo. *Schott.* Hunc locum ita scribit Theod. Marcilius ad Sueton. Domit. cap. 7. 'Cæso Saturnini per orientem, Agrippinæ Bonosi exercitu (n. u. d. t.) sumta, cui duces præerant manu, eaque caussa,' &c. *Arntz.*

§ 4 *Palustri solo*] 'Paludes plerasque siccavit, atque in his segetes agrosque constituit,' Vopiscus. *Schott.*

§ 6 *Amisso*] Pro 'omisso:' ut ante contra usurpare diximus. *Edicto,* quo vetabantur militare Patres supra. *Schott.*

§ 7 *Simulque divitiis pavent, quarum usum affluentiamque æternitate majus putant*] Unde et apud Sallust. Catilin. cap. 52. Cato: 'Sed per Deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam rempublicam fecistis,' &c. Adeatur Tacitus Annal. vi. 27. m. ubi nos de hac desidia prolixius. *Grut.*

Æternitate majus] Nihil muta; est enallage generis optimis quibusque scriptoribus usitata 'usum et affluentiam putant majus;' duo substantiva diversi generis sibi adjungunt neutrum adjectivum, de qua constructione vide post alios Wopkens Lect. Tull. ii. 7. p. 162. *Arntz.*

Cap. xxxviii. § 1 *Augusto habitu*] Omissum forte 'induitur,' vel simile: mutila alioqui oratio. Post, lege *opportuna invaserant* accusandi casu, id est, sibi et finibus suis proxima. *Schott.*

§ 2 *Opportune*] Ita fere fit; mutato Principe ostenditur licentia turbarum, tam domesticis, quam extraneis. Domesticorum discordias examinavi ad Taciti Annal. i. 16. extraneorum ad illa ejusdem auctoris ii. 64. 'Rhescuporis audita mutatione Principis, immittere latronum globos,' &c. *Grut.* Frustra hunc locum tentavit Schottus, ea enim sententia, qua voluit Gruterus, exponendus est; ut *opportune* sit opportuno tempore, idonea occasione. Cicer. pro Cluen. cap. 60. 'Opportune adest homo summa fide.' Curtius vi. 6. § 12. 'Cujus materia opportune alebatur.' Symmachus Epist. ii. 81. 'Ut opportune singulis, quæ missa sunt, offerantur.' Et ita passim Terent. Necesse non fuisset addere Victorem barbaros *opportuna* loca invasisse, cum illud vel ipso tacente intelligi potuisset; quis enim tam amens hostis, qui talia negligeret, ut nemine resistente proxima quæque finibus suis occuparet? *Arntz.*

Pergit pretinus] Quid si *protenus* scripserit? quomodo veteres litteratores adverbium loci distinguunt. *Schott.* Si veterum grammaticorum acumen sequamur, non quidem hic *protenus,* sed *protinus* scribendum erat; id est, 'statim pergit in Mesopotamiam.' Sic enim Servius ad Virgil. Ecl. i. 13. '*Protenus* per *e* adverbium loci, per *i* *protinus* adverbium temporis,' quæ ultima significatio ad hunc locum pertinet. Adde clarum grammaticum de Latin. p. m. 239. Brantium ad Cæsar. Bell. Gall. ii. 9. Dausq. de Orthogr. part. ii. p. 255. et Barthium ad Statium Theb. iii. 43. Hæc distinctio si vera est, multa loca in optimis quibusque edd. erunt depravata; sed malim credere, figmentum esse grammaticorum; neque enim possum excogitare, cum utraque vox ex *tenus* sit constituta, cur illa *e* retineret, hæc vero in *i* mutaret. *Arntz.*

Urbem Parthiæ] Persarum. De Ctesiphontæ urbis fato Vopiscus Caro extremo, et Pomponius Lætus in Diocletiano. Post, *futuri notio perflua* Ms. depravate pro *superflua.* Elegans de divinatione sententia, qua de eodem modo Cicero et Ammianus lib. xxi. initio. *Schott.*

§ 7 *Quis casum detulit*] Quibus

Apri insidiis caussam et occasionem detulit Numeriani oculorum dolor. *Schott.*

CAP. XXXIX. § 1 *Domesticos regens*] Vopiscus Numeriano. Hi Comites dicti, viri illustres Ammiano libb. XXI. et XXVI. vide Tit. de Domesticis Prorectoribus XII. Codic. Suidæ οἰκειακοὶ στρατιῶται dicuntur. *Schott.*

§ 2 *Vim plantis*] *Plantis* expone pro 'pedibus;' et lege Commentatores ad Vopisci Aurel. cap. 49. *Arntz.*

§ 4 *Post Caligulam post Domitianumque*] Veteris libri scriptura hæc est, alterutra præpositio delenda. Mox *communem habitum supergressi* dixit, pro, de privatis facti illustres, et in omnium oculis versantes, dignitateque præstantes. Nostrate proverbio eleganter hæc exprimuntur: *Als niet coemt tot iet: Kent iet hem selven niet.* Claudianus: 'Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.' *Schott.* Schottus edidit *omnium Caligulam post, Domitianumque*, eumque secutus Scaliger ad Euseb. p. 244. et Casaub. ad Vopisci Numer. cap. 13. nescio an melius. *Arntz.*

Domitianum] [Vide Not. Delph.] Et Joannes Rhodius ad Scribonium Largum p. 12. *Arntz.*

§ 5 *Compertum habeo, humillimos quosque maxime, ubi alta accessere, superbia atque ambitione inmodicos, &c.*] Ratio in promptu: minus idonei sunt ferendo eam mutationem rerum, quæ fit ita subito et præter rationem, uti fere loquitur Cleon apud Thucydidem lib. III. deinde, immodica elati spe, ita majora semper appetunt, tanquam nullæ exstarent in rerum natura vicissitudines rerum, quemadmodum innuit apud eundem scriptorem Lacedæmoniorum legatio, libro IV. tales videlicet si non ore, at corde tamen, iterant, 'Major sum, quam cui possit fortuna nocere.' Verum nos felicitatem istam subitam probe excussimus in Dissertationibus nostris ad Taciti Annal. III. 66. 'Junio Othoni literarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Sejani potentia senator, obscura initia impudentibus ausis propellebat;' uti etiam ad Histor. V. 9. ubi est, 'Antonius Felix per omnem sævitiam ac libidinem jus regium, servili ingenio, exercuit.' *Grut.*

§ 7 *Molestiarum, queis agitatur, remedio, eminere paullulum pluris habet*] Non absurda profecto ratio, quam pluribus examinavi ad illa Asinii apud Tacit. Annal. II. 33. 'Nisi forte clarissimo cuique plures curæ, majora pericula subeunda; delinimentis curarum et periculorum carendum est,' &c. *Grut.*

§ 8 *Hæc in Valerio obducta ceteris bonis*] Casaub. ad Vopisc. Numer. c. 13. *Arntz.*

Parentem egit] Se gessit tanquam parentem. Justinus I. 6. § 16. 'Nepotemque in illo magis, quam victorem egit.' VII. 5. § 9. *Arntz.*

§ 9 *Spe facilius erumpentis metus*] Lege et interpunge *spe facilius erumpentes, motus sedatum iri:* et supra *officere.* Non infitior tamen scriptam lectionem *efficere* defendi posse: mox *ageret* pro 'regeret' positum. *Schott.* Pro *metus* cum Schotto prætulerunt *motus* omnes, qui huic scriptori admoverunt manus legitimo consensu. 'Motus' de bello tumultuario dici norunt pueri. *Arntz.*

§ 11 *Ilico Marcum juxta*] Ita scriptum diserte. Quidam *Murgum*; 'Margum' alii in Eutropio lib. IX. impresserunt. 'Murtium' est in Vopisci Carino, qui et occubuisse ait victum a Diocletiano, quicum antea multis præliis feliciter conflixerat. *Schottus.* Cellar. Geogr. Ant. II. 8. Cassiod. in Chron. 'apud Margum victus.' *Arntzenius.*

§ 12 *Quo prosperius cedente, metu ne hujusmodi ingenium magis magisque victoria insolesceret; sese ulti sunt*] Ergo caveant sibi principes isti Venerei; cum ne felicitas quidem ipsos

tueatur, sed magis præcipitet: attendat item prudens; et metuat mutationem status sub rege suo, maxime alioquin florente, si vitiis istis addinis fuerit. *Grut.*

§ 13 *Narbone patria*] [Vide Not. Delph.] Hæc Salmasius ad Vopisci Carum cap. 4. Adde Spanhem. de Numism. diss. XII. 357. et Havercamp. ad Eutrop. IX. 18. *Arntz.*

§ 14 *Ad exercitum concione*] Jornandes p. 700. 'Ilico Aprum in militum concione percussit.' Eusebius Chron. pag. 178. 'Inperator electus statim Aprum in militum concione percussit.' *Arntz.*

§ 15 *Aristobulus*] Eodem anno consul cum Diocletiano. *Schott.*

§ 16 *Quæ res post memoriam humanam nova atque inopinabilis fuit*] Equidem mi Victor, magni facio judicium tuum: et næ principes magno suo cum fructu Cæsares tuos sæpe evolverent: utinam modo aut clariore usus stylo, aut meliore: verum omnia uni data non sunt. *Grut.*

§ 17 *Multos*] Agnosce et hic imitationem Sallustianam in Catil. c. 13. § 1. 'Nam quid ea memorem, quæ nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt?' ut monuit etiam diligentissimus Cortius. *Arntz.*

Helianum Amandumque] *Ælianus* eidem Eutropio est. *Schott.* *Helianus* itidem in Leid. cod. est apud Eutrop. sed *Ælianus* apud Oros. VII. 25. quod dubio procul præferendum, testibus etiam antiquis monumentis. Hi enim duo in Numismatibus dicuntur: IMP. C. L. ÆLIANVS. P. F. AVG. et IMP. C. CN. SAL. AMANDVS. P. F. AVG. apud Occonem a Biragio auctum pag. 428. et Spanhem. diss. XI. de Numism. p. 264. *Arntz.*

Bagaudas incolæ] Lectio vetus. 'Bagaudas' vocat Eutropius extremo lib. IX. Orosius VII. 25. 'Vacaudas:' 'Baccharidæ' in Eusebii Chronicis reperiuntur. Sed hæc quia diligentissime Vinetus ad Eutrop. notavit, laborem nobis ademit, neque necesse habeo repetere: quibus adde 'Vargos' Arverniæ dictos indigenas latrunculos; auctor Sidonius Ep. VI. 4. *Schott.* Adcuratius hæc Scaliger ad Euseb. p. 243. Rittersh. ad Salvian. de Gubern. Dei lib. V. p. 166. et Du Cange in Gloss. *Arntz.*

§ 18 *Herculei*] Ita vetus liber, ab *Hercule,* quem religiose colebat, mox tamen *Herculius* scriptum. Et *Jovium* pro *Jovii* positum, sed casuum commutatio, ut supra proxime, et in Domitiano non infrequens auctori nostro. *Schott.* Refer *Herculei* ad *numinis,* ut dicatur a cultu numinis Herculei Maximianum accepisse nomen Herculii. Prop. El. IV. 7. 82. 'Et numquam Herculeo numine pallet ebur.' Porro ad ea, quæ de Bagaudis § præc. diximus, adde Lipsium ad Tacit. Ann. lib. III. Exc. H. qui ibi egregie rem gerit, nec hodie quisquam sanior dubitabit, quin apud Eumenium pro Rest. Scholis cap. 4. *Latrocinio Bagaudicæ rebellionis,* pro corrupta lectione *Batavicæ* erit reducendum. Ad eum locum docti commentatores adeundi, et ad Panegyricum Flaviens. nom. cap. 4. § 2. nec non Jac. Nicol. Loënsis Miscell. V. 24. *Arntz.*

Nomen inpositum] [Vid. Not. Delph.] Non debuerat in re notissima dubitare feminarum decus. Ammian. Marcell. XXII. 3. 'Præsentibus Jovianorum Herculianorumque principibus et tribunis.' Alia Stewech. ad Veget. de Re Mil. I. 17. et Spanhem. de Usu Num. diss. XII. p. 495. *Arntzenius.*

§ 20 *Corausius*] 'Carausius' Eutropio per primam vocalem, et 'Carausio' nominandi casu vulgatæ editioni. *Schott.* Rectius per primam vocalem 'Carausius' Euseb. Orosius, Jornandes, reliqui; et ipsi nummi id testantur, quos vide cum apud alios, tum apud Begerum Thes. Brand. tom. II. p. 783. *Arntz.*

Gubernandi] Mox *adolescentiam exercuerat* sequitur Sallust. Catil. c. 5. § 2. 'Ibique juventutem suam exercuit:' ubi Cortius. *Arntz.*

Propulsandis Germanis] Francis et Saxonibus, idem Eutropius: 'cum apud Bononiam,' inquit, 'per tractum Belgicæ et Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis.' Unde conjicio mox legendum *cum non parum multos*; vel potius *cum barbarorum multos*, e vestigiis scripturæ veteris odoratus hanc lectionem; *barum* enim præfert. Muto tamen sententiam cum ejusdem hæc lego: 'consulto admittebantur ab eo barbari cum transeuntes cum præda exciperet, atque ita se ditaret.' Sed in hæc sibi quisque pro arbitrio suo per me licere existimet. *Schottus.* Et in Schotti sententiam descendit Sylburgius et Anna. Recte puto viderunt corruptum esse hunc locum viri eruditi, sed an salutarem medicinam adhibuerint dubito. Præpositus erat Carausius classi, ut piraticas rapinas Germanorum inhiberet, isque a Maximiano jussus est occidi, non quod parum barbarorum opprimeret, contrarium enim dicit Eutrop. 'multis barbaris sæpe captis;' sed quod prædam sibi vindicaret, quodque ipsos etiam barbaros permitteret libere inpetum facere, ut onustos præda iterum posset spoliare. Res igitur, quantum ad Germanorum piratas pertinet, feliciter gessit, quare apud Nostrum *parum* ferri non debet, et pro eo scribendum *paronum*. Sunt parones naves piraticæ, quibus utebantur Germani præcipue, teste Isidoro Orig. XIX. 1. 'Paro navigium piratarum aptum, et ex iis ita vocatum. Cicero: 'Tunc se fluctigero tradit mandatque paroni.' Myoparo quasi minimus paro, idem et carabus. Est enim parva scapha ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus navigii præbet, quales utuntur Germanorum piratæ in oceani literibus.' Adde et Festum in voce 'Myoparo' et 'Parones.' Suidas in Παρῶναι. Saxo Gramm. Hist. Danic. lib. VIII. pag. 145. 'Syvaldus undecim salum paronibus sulcat:' ubi conferendus Stephanius. Vossius in Etym. et Du Cange Gloss. in 'Paro.' Duker. ad Florum III. 6. § 4. et quæ Vorstius ad Val. Maximum II. 8. ex. 5. Apuleius Apol. p. 295. 'Qui myoparones quæsierit, pirata erit.' Corio contextum esse hoc navigii genus, vidimus ex Isidoro; hinc a piratis mare Britannicum 'pelle' sulcari scribit Sidon. Apollinaris Carm. VII. 370. 'Quin et Aremoricus piratam Saxona tractus Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum Ludus, et adsueto glaucum mare findere lembo.' Adeundus ibi Savaro et ad Epist. VIII. 12. Vossius ad Cæsar. Bell. Civ. I. 54. Apud Scholiasten Juvenalis Sat. IV. 77. invenio in antiq. edit. 'Ex quibus liburnæ Parasia nomen accepit:' posteriores mutarunt in *liburnæ parasemo nomen*, ut ad naviculæ παράσημον referatur. *Arntz.*

§ 22 *Julianus*] De variis Julianis in Africa disputat more suo elegantissime Bynkershoek de Relig. Pereg. p. 276. et de hoc tyranno Spanhemius de Præst. Num. diss. VI. p. 600. editionis minoris. *Arntz.*

Quinquegentanæ nationes] 'Africam Quinquegentiani infestabant. Narseus Orienti bellum inferebat.' Eutropius, Orosius. In illo tamen μνημονικὸν ἁμάρτημα deprehendas, qui Oriente Achilleum bellum movisse ait; mox vero subjungit 'Narseus Orienti bellum inferebat:' forte legendum *in meridie*, pro *in oriente*. Pomponius Lætus *Gentianos* illos vocat, quos fuisse *quinquagenarios* et supra eum numerum auctor est. *Schott.*

§ 23 *Achilleus*] Vide magnum Gronovium Observ. IV. 15. *Arntz.*

§ 25 *Prior Herculii privignam*] Theodoram; Galerius Diocletiani filiam

Valeriam. Eutropius. Vulgata Epitoma. *Schott.*

§ 26 *His sane omnibus Illyricum patria fuit*] Sed latiori sensu utitur voce *Illyrici*, quæ Daciam sub se continet. Cuperus ad Lactant. Mort. Pers. c. 35. p. 207. *Arntz.*

Juris tamen et militiæ miseriis inbuti] Pro *miseriis* haud scio an rectius legamus *ministeriis*. Sylb. *Miseriis* heic tolerari posset, dummodo loqueretur auctor de iis quæ principes isti passi fuerant, cum adhuc essent privati, intelligeretque legibus militiisque Romanis nimium pressum Illyricum: quod mihi videtur: alias facile mutarim eam vocem in *infulis*. Gruter. Inbutus miseriis, quæ militiam comitabantur. Ovidius Ep. Heroid. XIII. 51. 'Sed timeo, quotiesque subit miserabile bellum.' Quod dicit eruditissima Anna [vide Not. Delph.] in vulgatis edd. esse *ruris*, illud ego multum quidem præferendum judico; quid enim sit *miseria juris* non concoquo. *Ruris miseria* est, quod ab ineunte ætate duram egerunt vitam, unde 'semiagrestem' dixit Maximianum. Sic Galerius ex parentibus agrariis originem duxit, et ipse pastor fuit, unde Armentarii cognomen invenit. Nourry ad Auct. de Mort. Pers. cap. 12. art. 1. Peccat tamen eadem illa ed. mox ita distinguens, *miseriis inbuti satis, optimi reip. fuere*, cum distinctio minor ponenda esset post *inbuti*, et *satis* referendum ad *optimi*, nam *satis* etiam additur superlativis. Durantinus de Conjur. Catil. cap. 18. ed. Cort. 'Exstatque oratio satis pulcherrima, quæ Lucii Catilinæ nomine scripta fertur in vulgus.' Plane eodem modo, uti est in l. 2. § 46. ff. de Orig. Jur. 'Exstat ejus oratio satis pulcherrima, quæ inscribitur pro Q. Ligario:' uti eam lectionem feliciter defendunt Rupertus in Ench. p. 423. et Bynkersh. in Præterm. pag. 93. Quibus largiori manu addi meretur Munckerus ad Fulgentii Mythol. c. 26. *Arntz.*

§ 28 *Institutio fuit*] Melius forte *instituta* vel *institutione* auferendi casu utrumque: Imperatores autem Aurelianus Probusque ante Carum et Tacitum fuere. *Schott.* '*Institutione*' etiam volebat Petavius ad Juliani Orationem I. p. 66. *Arntz.*

§ 30 *Quasi partito imperio*] Infra rursum ita distinguendum videtur: *in perniciem processit his tempestatibus. Interim Jovio.* Et mox, *postque jussis ac munimento* legendum videtur. *Schott.*

Cetera] Quæ ad hanc divisionem et ad intellectum hujus ceterorumque capitum pertinent, peti possunt ex iis quæ doctiss. Nourry, ceterique viri eruditi notarunt ad Lactantium de Mortibus Pers. Illud hic non agimus. *Arntz.*

§ 32 *Functione*] Salmas. ad Treb. Pollion. Trigint. Tyr. c. 24. *Arntz.*

Moderataque] Cuper. ad Lactant. de Mort. Pers. c. 7. *Arntz.*

In perniciem processit. His tempestatibus] Mire animo meo satisfacit interpunctio Schotti, *Processit his tempestatibus. Interim.* Notandum interea quod dicit: firmat enim egregie illud Velleii II. 3. f. 'Non ibi consistunt exempla unde cœperunt; seu quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt.' *Gruter.*

§ 34 *Quæ ferme sola seu facilior vincendi via*] Nisi fortasse in celeritate voluerit hanc constitisse victoriam, quod inparatis supervenerit. *Arntz.*

§ 35 *Narseum regem*] Lege Cuperum ad Auct. de Mort. Pers. c. 9. p. 143. *Arntz.*

§ 36 *Incertum qua caussa*] Casaub. ad Vopisci Carum c. 9. Idem Cuperus loc. laud. p. 147. *Arntz.*

§ 40 *Sexennio post*] 'Post septennium' Eutropius lib. IX. extr. Allectus autem triennium Britanniam tenuit, qui ductu Asclepiodoti præfecti prætorio est oppressus. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. *Schott.*

§ 43 *Carporum natio*] 'Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.' Eutropius. Supra *martis formidine* legebatur male. *Schott.*

Cujus fere pars jam tum ab Aureliano erat] De victis vario tempore Carpis confer Cuper. ad Lactant. de Mort. Pers. c. 4. Quod de *legibus* addit, dubitare nemo potest, qui modo fugitivo oculo septem priores codicis Justinianei libros perlustravit. Spanhemius ad Juliani Orat. I. p. 57. Neque enim ullus est Inperator, cujus plures exstant leges. *Arntz.*

Agentes rerum] De his rursum, Tit. 'De Agentibus in rebus,' lib. XII. ad quem vide quæ Jac. Cujacius J. C. princeps annotavit, et Adr. Turnebus Advers. l. XIII. c. 10. D. Hieronymus in Abdiam πυροφόρους LXX. Interpretum frumentarios vertit: de quibus quædam etiam in Ælii Spartiani Hadriano. Glossarium vetus, quod apud Puteanum vidi, illos Μαγιστριάνους vocat. *Schottus.* Casaub. et Salm. ad Spart. Hadr. c. 11. et Vales. ad Ammian. Marcell. XV. 3. *Arntz.*

§ 45 *Ecqui forte*] Ita scripsit Victor. Mendose in vet. lib. *hæc qui.* Rursus infra, *inermis* pro *in armis* reponendum videtur; et mox forte *excellentis naturæ.* Schott.

Compositis nefarie criminationibus, injecto passim metu, præcipue remotissimo cuique, cuncta fœde diripiebant] Decies et amplius isthæc si legerentur viris principibus, sub alterius persona sentirent notari administros suos; imo veluti in speculo contemplarentur suorum oppressiones; sed quid hæc ad me, qui non curo rempublicam? *Grut.*

Annona] Rectius, si distinxeris *simul annona urbis, ac stipend. salus.* Sylb.

§ 46 *Ut ne ab obsidum quidem corporibus animi labem comprimeret*] Quæ tamen eadem verecundia apud eum esse debebant, qua apud parentes aut tutores. Interim fœde sæpe tractari isthæc fidei pignora, ostendimus ad Livii XXVI. 49. Imo, eo potissimum, obsides electos forma eleganti, palam item fecimus ad Livii II. 13. ipso fine: addatur et Noster cap. 41. sub finem. *Grut.*

Enuntiationibus] *Enunciatoribus* laudat Cuper. ad Lactant. p. 195. *Arntz.*

§ 47 *In armis*] Schotto placet *inermis:* ego neutrum satis intelligo, cum nesciam super qua historia auctor loquatur. *Gruter.* Exponit hunc locum Cuperus ad Lact. de Mort. Pers. cap. 26. ubi putat per *vulgus in armis* intelligi posse 'cohortes urbanas,' quæ tum temporis ex vulgo lectæ videntur. Ita *vulgus in armis* erit 'vulgus armatus,' de qua locutione adi Drakenb. ad Silium II. 132. Duker. ad Florum I. 1. § 15. Oudend. ad Lucan. I. 423. Dict. Cret. II. 31. 'Quos secum habuit in armis esse jubet:' nec aliter capp. 35. et 37. Id Græci, unde hæc locutio petita, dicunt ἐν ὅπλοις. Lucianus Amor. pag. 875. et Polyænus Strateg. II. 13. ex. 6. Præfero tamen, quod Schottus et Baluzius ad Lactant. eod. cap. malunt, *inermis:* et sic cap. seq. § 5. et 24. 'vulgum' et 'turmas prætorias' jungit. *Arntz.*

§ 48 *Imminentium scrutator*] Lactantius cap. X. 'Ut erat pro timore scrutator rerum futurarum:' ibi multa docti. *Arntz.*

CAP. XL. § 1 *Prior Italiam; posteriorque in quæ Jovius*] Ita scriptum reperi. Horridus sermo: quid si sic locus concipiatur? *priori Italia, posteriori quæ Jovius obtinuerat, destinantur.* Nihil pronuntio; conjectura tantum mea. *Schott.* Schottus ambigit an legendum sit *priori Italia, posteriori, quæ Jovius obtinuerat, destinantur.* Sed ferri et Ms. lectio potest per brachylogiam Græcam, cujus plenior forma et sententia est hæc: prior destinatur in Italiam; posterior in ea, quæ

Jovius obtinuerat. *Sylb.* Laudabiliter primam auctoris manum tuetur post Sylburgium comtissimi ingenii femina. [Vide Not. Delph.] Quin vel optimi scriptores demonstrativum pronomen ante relativum omittunt. Post Cortium actum non agimus ad Sallust. Jug. c. 108. fine: 'Bocchum magis Punica fide, quam ob quæ prædicabat.' Quare Lipsius apud Plinium Paneg. c. 59. 'Præter id, quod est arduum' voculam demonstrativam rejicit, quem tamen ibi non sequimur. Hoc modo defendendus Seneca de Ira III. 30. 'Carissimis irascimur, quod minora nobis præstiterint, quam mente concepimus, quam quæ alii tulerint:' ubi vel particulam addunt, vel pronomen *quæ* elidunt. *Arntz.*

§ 2 *Constantius*] Scribe *Constantinus*, ex Epitome vulgata: ut contra § 14. 'Memoria mea Constantinum;', ubi *Constantium* legendum contendit Nic. Faber. *Schott.*

§ 5 *Retractante*] Pro *detractante:* familiare auctori nostro, ut *adhuc* pro *adhæc;* et sane proclivis error literæ unius, nisi constanter ita scriptum esset. *Schott.* Sup. c. 3. § 18. 'Nullo retractante, quæ aderant turbæ circumsistunt:' et c. 14. § 8. 'Cunctis retractantibus Antinoum objecisse se referunt.' Spartian. Adrian. cap. 12. 'Retractantibus Italicis vehementissime, ceteris prudenter et caute consuluit:' ita excerpta cod. Ms. et ex Palatino jam reduxerat Salmasius, quem vide et ad Spartian. Getam c. 4. Lamprid. Heliog. c. 35. et ad Capit. Gord. c. 8. Hæc loca adferre debui, ne quis inconsideratus adsensum præbeat florentissimæ doctrinæ viro Baluzio ad Lactant. de Mort. Pers. c. 26. qui falsam Schotti reprehendit observationem, 'retractare' idem esse quod 'detractare,' ipseque per simplex 'tractare' exponit; contra mentem auctoris. Et tamen hanc significationem aliquot exemplis ei illustrare placuit, de qua nemo antea dubitabat. Vide quem mox Anna citat, Eutropium. *Arntz.*

§ 8 *Licinium*] Cuperus ad Lactant. Mort. Pers. cap. 29. volebat *Cæsarem creat et Augustum;* ut auctor indicaret uno eodemque tempore Cæsarem esse factum et Augustum; cum ex ejus sententia, qui Augusti creandi essent, ante quam hoc titulo insignirentur, dicis caussa Cæsares fuerint dicti. Verum hanc emendationem ipse rejicit in præfatione ad illas notas. Unde vero firmari queat talis Cæsareæ dignitatis titulus dicis caussa, ego quidem non video; nec habet hæc opinio satis firmum apud veteres fundamentum. Sed cum et alii scriptores Licinium majorem Cæsarem fuisse testentur, libentius hic agnosco dissensum historicorum, qui hisce temporibus non est infrequens, præsertim cum ad parvum tantum temporis spatium ea dignitate videatur usus; nam in nummis eodem anno aliis 'Cæsar,' aliis 'Augustus' appellatur, apud Occonem p. 452. Conferendus Pagius de Coss. Cæsar. p. 158. cur autem in nummis diceretur 'Cæsar,' si major illi 'Augusti' dignitas statim fuisset concessa?' *Arntz.*

Lacu Pelsone] Qui in Norico: 'Perso' vocatur a Plinio. *Anna.* Et Cellarius Geogr. p. 350. *Arntz.*

§ 11 *Quinquennii inperium*] Scaliger ad Euseb. Chron. p. 246. et Baluz. ad Lactant. c. 20. *Arntz.*

§ 13 *Persarum regi Cyro*] Xenophon: Φῦναι δὲ Κῦρος λέγεται καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν βαρβάρων, εἶδος μὲν κάλλιστος, ψυχὴν δὲ φιλανθρωπότατος καὶ φιλομαθέστατος, ὥστε πάντα μὲν πόνον ἀνατλῆναι, πάντα δὲ κίνδυνον ὑπομεῖναι, τοῦ ἐπαινεῖσθαι ἕνεκα. *Schott.*

§ 16 *Is*] Sed nihil erit turbatum si in superioribus *Constantinum* reponamus. Zosimus II. 15. *Arntz.*

§ 18 *A tyranno*] Hoc nomine eum sæpe appellari docuit Baluzius ad Lactantium Mort. Pers. c. 44. *Arntzenius.*

Rufus Volusianus] *Rufius* recte Ms. quod male mutat Schottus, et post eum alii. Zosimus II. 14. *Arntz.*

§ 20 *Nihilo segnius*] Jurare liquet *nihilo sequius* scripsisse Aurelium, pro 'nihilominus,' vel 'non minus bene.' Livius lib. II. 'Invitus, quod sequius sit, de meis civibus loquor:' pro 'minus bonum.' *Schott.* Jurato credunt Sylburgius, Gruterus, et Anna. Sed tuto poterat vir doctissimus illius jurisjurandi fidem interponere tali in re, cum perjurii pœna apud litterarum cultores nondum legibus sit constituta. Nec tamen aliter in optimis quibusque scriptoribus hanc vocem mutandam esse voluit Nic. Heinsius ad Ovid. Met. II. 809. et Cortius ad Sallust. Jug. c. 75. § 10. Laudo illam locutionem, sed nondum a me possum inpetrare ut ubique hoc librariorum vitium et negligentiam esse culpem. Livius VIII. 18. 'Per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt.' XXXV. 8. 'Cum pergeret nihilo segnius referre ut supplicatio decerneretur.' XLV. 10. 'Nec eo segnius judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur.' Scio illam etiam vocem retinuisse Burmannum apud Ovid. Met. VII. 770. et Val. Flaccum Argon. III. 85. 'Non segnius ille Occupat arva furor.' Si hoc admitti possit in tantis auctoribus, cur in Aurelio id vitio vertam? Tacitus Ann. VI. 13. 'Neque segnius consules edixere:' ubi etiam sibi volebat *sequius* magnus Lipsius. Dict. Cretens. IV. 20. 'Facile scuto decutiens, haud segnius inminere.' Apuleius Apol. p. 321. 'Mox tamen talem feminam nihilo segnius volui.' Sed de illa ætate nemo dubitabit. Adde Brantium ad Cæsar. Bell. Civ. II. 7. *Arntz.*

Jure tandem] Lege *tamen;* ex compendiis natum mendum. *Schott.*

Tiberi interceptus est] Non minus recte forsan legerimus *in transgressu Tiberis.* Sylb. Cuperus ad Lactant. c. 44. Et de tempore quo perierit, Baluzius ad eund. cap. dicto. *Arntz.*

§ 24 *Numerum specie*] Forte *munerum*, quod propius ad scripturæ veteris vestigia accedit, quam *Numinum.* Sed si *munerum*, quomodo *primus?* Jussere multis retro sæculis Augustus, Caligula, alii, ut strenæ Kal. Januariis sibi offerrentur. Suetonius Octavio c. 42. Caligula c. 57. ἐπέχω igitur. Mox *optiora* pro *aptiora* male in vet. lib. et infra *vi manet.* Schott. *Munerum* tamen præfert Cuper. ad Lactant. c. 44. sed per ea intelligit ludos, spectacula, quæ edere destinaverat, quo nomine pecunias corradebat; nemini ea hujus vocis significatio ignota potest esse. Juven. Sat. III. 36. 'Munera nunc edunt, et verso pollice vulgus.' *Specie* est 'prætextu.' *Arntz.*

§ 28 *Constantina*] Alii *Constantiam* a Constantio Cæsare. Dictum et *Nicephorium*, quod ab Alexandro Magno conditore insigni victoria ibi parta illustris esset. Plinius, Strabo, Stephanus. Templi Jovis Nicephorii mentio apud Spartianum Adriano. 'Nisibena Constantina' vocatur in libro qui inscribitur 'Notitia Provinciarum.' Strabo vero κύρτα per υ scriptum habet. Virta ab Alexandro quoque conditum oppidum nominatur a Marcellino lib. XX. *Schott.* *Constantinam* Numidiæ metropolim agnoscit etiam S. Augustinus, et Carthaginensis Concilii Canones. Sed est etiam alia Constantina, et plures Constantiæ, ut docet Thesaurus Ortelii. *Sylb.* Lapsum hic esse Schottum, dum hanc Constantinam Nicephorum esse dictam scribit, observat Cuper. ad Lactant. cap. 44. *Arntz.*

CAP. XLI. § 1 *In Italiam*] Male in vet. lib. *Schott.* Qui ab aliis secutus edidit *in Italia.* Sed scimus solere ea confundi ab optimo quoque. *Arntz.*

Præter admodum magna cetera] Fœdatus locus, ita purgandus: *illi præter*

modum magna cætera; vel forte *illi præter modum magnificentia; huic parsimonia*, quæ adversa sunt Dialecticis. De magnificentia vide quæ notavi ad Nepotis fragmenta in Attici vitam. *Schott.* Possemus etiam legere *illi præter admodum pauca, magna cetera.* Sed Schotti lectio ad antithesin congruit melius. *Sylb.* Lepide etiam Sylburgius, immissa voce *admodum pauca, magna cætera:* possem et ego micare in tenebris; sed tanti non est, ut sannis excipiar. *Grut.*

§ 4 *Vetus veterrimumque*] An *teterrimumque?* sed non est insolens id ætatis auctoribus quasi per correctionem rem repetendo intendere, pro *etiam veterrimum.* Cæterum de crucis supplicio a Constantino sublato Zozomenus I. 8. Ecclesiast. Historiæ, Nicephorus VII. 46. et l. ult. Cod. Theodos. de Pagan. Sacrif. et Templ. De cruribus suffringendis, Cicero in Antonianis et pro Sex. Rosc. *Schott.* Tamen *teterrimum* laudat Elmenh. ad Arnobium Advers. Gentes p. 25. quomodo et hic reponendum judicabat Gulielmus Cave Introd. ad Antiquit. Eccles. c. 1. § 6. receptum amplectitur Lipsius de Cruce I. 11. et III. 14. Supra pro *texit*, malim *rexit;* quod est, mite in eos imperium exercuit, vel imperio nondum subjectos in potestatem redegit: de honore vero 'conditoribus' habito, quod sequitur, adi Spanhem. de Num. Diss. IX. p. 565. *Arntz.*

§ 9 *Martiano*] 'Martianus' officiorum magister. Epit. Vulg. c. 59. *Schott.*

Condenda Urbe formidandisque] Sed intelligendum erit, avocavit animum a bello et reliquis curis condenda urbe; vel scribendum *advocavit*, id est, 'animum applicuit.' Cicero Tusc. Quæst. I. 31. 'Nisi animum ad se ipsum advocamus:' ubi alii quoque dederunt *avocamus.* Arntz.

Novandæ militiæ ordine] Sed solent epitheta ita transponi, ut aliquando voci non suæ jungantur. Broukh. ad Tibull. El. II. 1. 49. *Arntz.*

§ 14 *Permistionem*] Wasse ad Sallust. Jugurt. c. 45. fin. *Arntz.*

§ 16 *Bellum irrumpere acceperat*] Quid si *occœperat?* Et mox delenda præpositio *ad;* supererat enim repetita forte eadem dictione: de cometis quædam editionem vulgatam Vespasiano. *Schott.* Aptius cum Schotto legemus *occœperat.* Sylb. Sed *acceperat* hic est audierat, 'cognoverat.' Cicero de Senec. c. 21. 'Ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci,' et c. 17. 'Marcum quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum vixisse.' ad Fam. Epist. I. 9. 'Sed quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur.' Virgil. 'Accipe nunc Danaum insidias.' Cortius ad Sallust. Catil. c. 6. § 1. De cometa proxime ad hunc locum adludit Lucanus I. 528. 'Crinemque timendi Sideris, et terris mutantem regna cometem.' *Ad id* posset exponi pro 'præterea.' *Arntz.*

Achyronam] Cassiodorus et Eusebii cod. Ms. vocant *Acyronem.* Ortelius etiam *Ancyronem* affert pro eodem. *Sylb.*

§ 18 *Castra castellaque*] Vide tamen Spanhem. ad Julianum Orat. I. p. 63. *Arntz.*

§ 20 *Quæ res*] De hac re diligenter egit Burman. De Vectig. c. 3. p. 43. ubi recte *dissimulatio* contra Gothofr. qui volebat *distimulatio*, defendit. *Arntz.*

Alteros M. Boionius] [Vide Not. Delph.] Ad Spartiani Sev. cap. 18. Schotti etiam emendationem amplectitur hic Gruterus. *Arntz.*

Hipparchus] Nicæus astrologus scripsit in Arati et Eudoxi Phænomena, et de syntaxi stellarum fixarum: vide Suidam et Servium in primum Georg. Virgilii. Laudat sæpe Plinius in Nat. Hist. *Schott.*

Indigenam fuisse ignoravissent] Casaubonus conjicit *fustibus necavissent*, vel *fustigatum necavissent.* Ego pro-

pius characteres lectionis receptæ *fuste ignominiavissent*. Amat enim Noster usurpare voces novas, et tamen admodum energeticas. *Gruter*. Censeo scribendum *fustibus necavissent*; vel *fustigatum necavissent*, ut vestigia literarum propius sequamur. Casaubonus. *Anna*. Sed si ita scripsisset auctor, cur *indigenam* addidisset, nisi *indignum* scribas pro 'immeritum?' qua ratione Ovid. Met. x. 627. 'Indignamque necem pretium patietur amoris.' Drakenb. ad Silium xiii. 606. Neque enim erat tanti Inperatoris, inpedire ne justitia suo ordine administraretur. Malim tamen retinere ego scriptam lectionem; quid enim mirum, si Inperator philosophiæ studiosissimus tam supinam negligentiam et inscitiam damnaverit, ut sic bono præsidio in posterum munita philosophantium existimatio non ita facile negligeretur, et inter amplissima urbium decora recenseretur, sibi tales posse vindicare cives? *Arntz*.

Fiscales molestiæ] Volebat hic Schottus reponi *repressæ*. Sed simplex est pro composito, quod centies. Tacit. Hist. iv. 3. 'Paucos erumpere ausos circumjecti pressere:' quo loco etiam Faërnus *oppressere* sine necessitate. *Arntz*.

Ni parum dignis] Constanti hoc tribuit vulgata Epitoma cap. 63. non Constantino patri. *Schott*.

Cum ob auctoris decus in virtutes potissimum] Omnino; veluti non parce ostendimus ad Tacitum Histor. i. 5. f. 'ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur.' *Grut*.

§ 25 *Diro atroque ingenio*] Pro *atroque* mox mallem *tetroque*, quæ vox teste Nonio de Prop. c. 4. hac voce, 'crudelem' significat. Cicero in Verr. iv. 55. 'Videte, quanto tetrior hic tyrannus Syracusanus fuerit.' Sulpitius ad eundem ad Famil. Epist. iv. 12. 'Ab homine teterrimo acerbissima morte est affectus:' ubi tamen nuperrimi editores *deterrimo* exprimere maluerunt. *Atrocique* hoc loco conjiciebat Spanhemius ad Julian. Orat. i. p. 219. *Arntz*.

Haud injuria desideraretur] Nimirum nihil est quod comparatio non faciat bonum vel malum: uti non parca exemplorum farragine ostendimus ad illa Livii xxiv. 5. 'Vix quidem ulli bono moderatoque regi facilis erat favor apud Syracusanos succedenti, tanta caritate Hieronis: verum enimvero Hieronymus, veluti suis vitiis desiderabilem efficere vellet avum,' &c. sed et de eadem re multa quoque coacervavimus ad ista Taciti: 'Ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicæ cura successorem adscitum; sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse:' Annal. i. 10. f. *Grut*.

§ 26 *Vetranio*] Vetus liber. Eutropio et Ammiano 'Veteranio' pentasyllabus est: illum lib. x. extremo, hunc lib. xv. lege. *Schott*. Et vocalem intermediam esse ponendam censebat H. Vales. ad Ammian. xv. 1. sed merito aliam sententiam secutus est ad eundem locum eruditissimus ejus frater Hadrianus, præsertim quod ita velint nummi, quales reperies in Numm. Arschotani tab. lxv. n. 23. Beger. tom. ii. Thes. Brand. p. 816. Occon. Biragi p. 486. firmantque id Mss. infra in Epitoma et apud Eutropium. Latius conferatur Spanhem. de Usu Num. diss. xi. p. 267. ad Juliani orat. i. p. 186. et 203. *Arntz*.

Cap. xlii. § 4 *Dicendi copiam restare*] Vetus male. Nam *præstare* rectum est. Magna sane laus eloquentiæ. *Schott*.

§ 5 *Hyems aspera, clausæque Alpes tardavere*] Pulcra figura: quemadmodum enim mare et aperitur suo tempore et clauditur, sic et Alpes; sed alio tamen modo. Inde de Cimbris Florus iii. 3. 'Hi jam (quis crede-

ret?) per hyemem quæ altius Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti, ruina descenderant.' *Gruterus.*

§ 6 *Potentianus*] Sine dubio et hic erit lapsus librariorum. *Arntz.*

§ 7 *Bustorum modo*] Lego : nam vitiosus etiam hac in parte liber calamo exaratus. Ad sepulcra principum virorum gladiatorum paria a lanistis committi, et ad mutuam necem depugnare solere nemo ignorat, nisi hospes admodum in literis. Mox pro *Magnianis*, licet in Ms. compareat, repone *Magnentianis*: non enim operæ dicto audientes sunt. *Schott.*

Ambos] Scripsi *vario ambos supplicio* cum Spanhemio ad Julian. Orat. I. p. 255. *Arntz.*

§ 12 *Ob sævitiam*] *Scenicum atque animum trucem* erat in vet. cod. quod sequetur, qui probabit. De Silvano autem Ammian. lib. XV. *Schott.*

§ 15 *Pedestre ad magisterium*] Supra paullo 'Vetranio pedestri magisterio milites curat.' Is erat qui pedestris militiæ rector et magister peditum, qualis olim erat et magister equitum. *Schott.* Præpositio *ad* videtur expungenda, vel ea retenta, pro *meruerat* legendum *pervenerat.* Sylb. Videtur abundare præpositio *ad*, ut et Sylburgius prodidit. *Gruterus.*

§ 17 *Gallos natura præcipites*] Gentem inquietam, quæque constantem principem requirat, notat Vopiscus Saturnino et Caro. Trebellius Pollio initio Gallienorum. Objectam Gallis levitatem refellere conatur J. Bodinus Methodi Histor. c. 5. *Schottus.*

Quæ quamquam in ejus fortuna, Principis tamen et consilio accidere] Putat idem noster amicus ante *et consilio* deesse *auspicio*, vel simile quodpiam nomen : at ego potius adhuc expunxerim voculam *in*, ut *fortunam* accipiat pro 'ductu,' *consilium* autem pro 'auspiciis:' nam alioquin *consilium* complectitur etiam *auspicia*. Tacitus Annal. III. 47. p. 'Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit; neque dempsit aut addidit vero: sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse,' &c. Interim, peculiariter heic accipit *fortunam* auctor noster. Vulgo enim obtinebat, ut ejusdem esset 'fortuna,' cujus erat et auspicium. Unde Justinus II. 21. 'Ibique prælium commissum : sed fortuna regis cum duce mutata non est,' &c. et apud Curtium V. 9. Nabarzanes: 'Diis adversis bellum inimus, et pertinax fortuna Persas urgere non desinit: novis initiis et ominibus opus est. Auspicium et inperium alii trade interim,' &c. de qua re nos plura ad Taciti Histor. II. 33. p. Cæterum et ducibus subalternis suam etiam 'fortunam' adscribebant nonnulli. Hinc Darii illud apud eundem Curtium III. 6. 'Quippe quæ per duces suos acta erant cuncta damnabat; ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam:' quæ ipsa verba excussimus ad illa Taciti Histor. I. 79. f. 'Læto Othone, et gloriam in se trahente, tanquam et ipse felix bello, et suis ducibus, suisque exercitibus rempublicam auxisset.' *Grut.* Nihil mutandum. Ait hæc omnia etsi 'in fortuna' Juliani acciderint, tamen et consilio Principis Constantii accidisse. *Anna.* Sed hæc non adcuratius a doctissima femina exponuntur, quam ab auctore nostro, si vera hæc est lectio, scripta sunt. Mirifice mihi satisfacit felicissima Freinshemii conjectura ad Curtium V. 9. § 4. reponentis *quæ quamquam vi ejus, fortuna Principis tamen et consilio accidere.* Hæc ipsa est Aurelii manus, ni omnia me fallant. 'Vis' est efficacia in bello, virtus, quæ eo sensu 'consilio' opponitur. Wasse ad Sallust. Jug. c. 5. Et 'fortuna' tribuitur illi, penes quem sunt auspicia, Inperatori; non vero ei, qui sub Inperatoris

auspicio bellum administrat. Claud. Bell. Gild. vs. 500. 'Illius auspicii immensa per æquora miles Non plaustris Arctove regor: contemne Booten Navita, turbinibus mediis permitte carinas. Si mihi tempestas Libyen ventique negabunt, Augusti Fortuna dabit.' Barthius ibi alia adfert, quibus adde Pacatum in Paneg. cap. 40. § 2. 'Sed fatearis necesse est, quantum te in hoc bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum.' Præterea hanc conjecturam admittendam esse patet, quia mox 'ductu et auspicio' sequatur; jam autem illas voces 'auspicium' et 'fortunam' idem velle patet ex loco Claudiani, quem supra attulimus, et exemplis a Demstero prolatis ad Rosini Antiq. II. 16. In textu tamen nihil mutavi, ne offenderem eos, qui corruptissimis etiam lectionibus aliquem sensum conciliare non sine tortuoso labore sedulo allaborent. *Arntz.*

§ 19 *Quod*] [Vide Not. Delph.] Sed hæc vocula tam ad *fortunam* quam *consilium* referenda erit, si Freinshemium sequamur. *Arntz.*

Dum externis motibus, modo civilibus exercetur] Bis ponenda videtur vox una, *cum externis motibus modo, modo civilibus exercetur.* Grut.

§ 21 *Magno decore*] Locus postulat *dedecore*, nisi aliter interpungas. *Schott.* Minime heic locum potest habere aliorum *dedecore;* quocunque etiam modo interpungatur versus; ut pluribus exemplis ostendimus ad Taciti Annal. XIII. 34. 'Et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo Pompeioque recipere,' &c. *Grut.*

Restituisse] *Præstitisse*, vel potius *restituendo* legendum. *Schottus.* Vel supervacua est vox *restituisse*, vel mutanda in aliam: non male Schottus *præstitisse:* sed magis inclino ut putem totam vocem manasse ab ingenio librarii. *Grut.* Nec rejiciendum quod *instituisse* legat Freinshem. ad Florum IV. 12. § 43. *Arntz.*

§ 23 *Ornandi genere*] Scriptum depravate, pro *orandi*, Ammiano auctore et Epitom. *Schott.*

Gnarus vita bonorum Principum reipublicæ quietem regi] Omnino vere. Mutatione enim Principis cujusque, non extranei tantum, sed et domestici nostri rebus student novis; adeo ut ex vero dici queat, mutato Principe, omnia domi mutari, omnia foris. Polybius post regum aliquot mortes, infit Histor. lib. IV. capite altero: Οὕτω δὲ τοιαύτης περὶ πάσας τὰς δυναστείας καινοποιΐας οὔσης, ἔμελλε πραγμάτων ἔσεσθαι καινῶν ἀρχή. τοῦτο γὰρ δὲ πέφυκε καὶ φιλεῖ συμβαίνειν κατὰ φύσιν· ὃ καὶ τότε συνέβη γενέσθαι· *Hoc igitur modo innovatis ubique locorum potestatibus, quin novandarum quoque rerum principia nascerentur nullum erat dubium: quippe ita natura comparatum est: neque aliter tunc evenit.* Ea de caussa, tanquam insolens quid, scribit Athalaricus rex apud Cassiodorum Variarum VIII. 16. 'Innovatio regis sine aliqua confusione transivit:' ut et antea Claudianus de Laudibus Stiliconis I. 158. 'Nil ibi barbariæ motus, nil turbida rupto Ordine tentavit novitas; tantoque remoto Principe, mutatas orbis non sensit habenas.' Sed hæc reservanda erant nobis, ad illa Livii XXVIII. 24. 'Scipio ipse gravi morbo implicitus, graviore tamen fama; cum ad id quisque quod audierat (insita hominibus libidine alendi de industria rumores,) adjiceret aliquid, provinciam omnem, ac maxime longinqua ejus turbavit: apparuitque quantam excitura molem vera fuisset clades, cum vanus rumor tantas procellas excivisset: non socii in fide, non exercitus in officio mansit,' &c. ad eum quippe non absurda forsan collegimus ex Græcorum Latinorumque historicorum memoriis. *Grut.*

§ 25 *Clarius*] Ita vetus liber: quid si *præclarius*, quod τῷ *atrox* opponi

queat? sed illa non inusitata id ætatis scriptoribus loquendi forma, pro 'melius,' 'humanius.' *Schott.*

Apparitorum] At quidquid ii peccant, peccat ipse Princeps: itaque quei laudare potes eum, cui mali administri? In eum enim competunt illa P. Syri: 'Nisi vindices delicta, improbitatem adjuves.' Item: 'Injuriam ipse facias, ubi non vindices.' Nec non: 'Qui culpæ ignoscit uni, suadet pluribus,' &c. *Grut.*

DE VITA ET MORIBUS

IMPERATORUM ROMANORUM, &c.

De vita] Vulgatam libri inscriptionem retinui: non celabo tamen lectorem, quam in Ms. Petri Pithœi viri doctissimi ἐπιγραφὴν repperi: *Incipit libellus de vita et moribus Imperatorum, breviatus ex libris Sex. Aur. Victor. a Cæsare Augusto usque ad Theodosium.* A quo vetus codex Floriacensis, qui est Petri Danielis, non admodum variat, nisi quod *Victorini* pro *Victoris* integre scriberet: quomodo et Elgaldus Cœnobii Floriacensis monachus, in vita Roberti regis appellat: sed is bibliothecæ suæ librum Ms. religiose secutus est. Depravatum hoc nomen in Paulli Diaconi vulgatis edd. qui lib. De Gestis Longobardorum secundo, Apenninas Alpes describens, 'Sunt,' inquit, 'qui Alpes Cotias et Apenninas unam dicant esse provinciam: sed hos Victoris' (excusi quidam *dictores*, male; meliores lib. *Victorini*) 'revincit historia, quæ Alpes Cotias per se provinciam appellat.' Quæ hodieque in Nerone exstant novæ veterisque ed. Aurelii Victoris: de quo quidem auctore plura in Prolegomenis dicere memini. Ceterum antiquiss. exemplum, quod nuper Jac. Cujacius JCtorum nostri temporis facile princeps Biturigibus ad me misit, SEX. AUR. VICTORINI disertim præfert: ut forte racemator hic a Victore, cujus quædam exscribebat, Victorinum sese appellarit: quo de alii judicabunt. Mihi certe studio fuit, indicare quam feliciter Lavernæ litasset, et unde potissimum uvas decerpsisset; a Tranquillo nimirum, Victore, Ammiano, Eutropio, ceteris. Hinc factum, ut major quam vellem, hic commentarius appareat. *Schott.*

Sexti Aurelii Victoris] Historiam Augustam, aut ejus saltem Epitomen, eodem tempore cum Eutropii breviario, inter conferendos scriptores varios diversaque exemplaria, Burdigalæ emendavimus: anni sunt jam plus undeviginti. Eam nunc tandem in lucem emittere visum est, et in ejus ed. hæc paucula monere. Exemplaria nostra fuerunt impressa omnia præter unum membraneum, quod nobis commodavit Jos. Cassianus, regius consiliarius. De auctore istius breviarii nihil comperi; neque satis scio quis iste Victor, qui Romanam historiam ab Octaviano Augusto ad Theodosium Magnum sit persequutus. Jul. Capitolinus Aurelii Victoris cognomento *Primi* in Opilio Macrino meminit. 'Verba denique' (inquit) 'Aurelii Victoris, cui Primo cognomen erat, hæc fuerunt: Macrinum, libertinum hominem, prostibulum,'

&c. sed Victor hic Primus, et Julius Capitolinus Theodosium illum multis sæculis antecesserunt. Alius floruit sub Juliano Augusto Victor historicus; quem sic celebrat Ammianus Marcellinus libro vicesimo primo: 'Imperator revertitur Nessum, copiosum opidum, quo inde expedite cuncta disponeret suis utilitatibus profutura: ubi Victorem apud Sirmium visum, scriptorem historicum, exinde venire præceptum, Pannoniæ secundæ consularem præfecit; et honoravit ænea statua, virum sobrietatis gratia multilaudum, multo post Urbi præfectum.' Inter cujus Juliani principatum, et ejusdem Theodosii mortem, quia non sunt anni plures quam triginta duo, potest, qui a Juliano sit ita honoratus, post Theodosium vixisse, atque de rebus scripsisse Theodosii. *Vinet.*

CAP. I. § 1 *Anno urbis conditæ septingentesimo vicesimo secundo, ab exactis vero regibus quadringentesimo octogesimoque, mos Romæ repetitus uni prorsus parendi, pro rege Imperatori, vel sanctiori nomine, Augusto appellato*] Hæc non sunt in Cassiani vetusto cod. qui sic incipit: *Octavianus patre Octavio senatore, &c.* Quot autem annis regnatum sit initio Romæ, discrepant auctores. Titus Livius annos putat ducentos et quadraginta quatuor. Quem numerum si ex septingentis et viginti duobus subducas, reliqui fiunt quadringenti et septuaginta octo anni ab exactis regibus ad monarchiam Augusti. *Vinet.*

Sanctiori nomine] Ed. Laurentii Abstemii, quæ est Augustæ edita, habet *severiori:* vulgata tamen lectio magis placet ex Sueton. cap. 7. sic enim dicis causa appello. Nam Suetonius scriptus, libris fere, non capitibus, numerisque divisus est. *Schott.*

§ 2 *Ab Ænea per Julianam familiam*] *Juliam* vulgo appellant: sed vetus liber *Iulam*, quot syllabis ille cognominatus fertur apud Virgil. unde gens hæc appellata. *Vinet.* *Julam* itidem Leid. 2. sed male; vide Vir. Ill. cap. 79. § 1. Et quæ adduximus ad Orig. Gent. Rom. cap. 15. § 5. et Ryck. ad Tacit. Ann. IV. 9. *Arntz.*

Majoris avunculi] Sic apud Sueton. Tranquillum; sed hoc aliquando puto me didicisse ex Paullo libro tricesimo octavo Digestorum, titulo decimo, et lege decima ejus tituli, quod matris meæ frater meus est 'avunculus:' et avunculi mei avunculus, meus est 'magnus avunculus:' et mei magni avunculi avunculus, meus 'major avunculus.' Octavianus autem, id est Octavii filius naturalis, in alienam familiam inductus, Augustus cognominatus, matrem habuit naturalem, Attiam, filiam Juliæ sororis Caii Julii Cæsaris a Bruto et Cassio interfecti: quemadmodum docuimus in iis quæ in Eutropii Breviarium scripsimus. Interfectus ergo ille Cæsar Julius, Octaviani Augusti fuit non avunculus major, sed magnus tantum avunculus. *Vinet.* Sed si quis diligentius Suetonium cum Nostro comparet, facile videbit nihil hic esse turbatum, et omnia sano ordine procedere; ex una enim Suetonii periodo duas facit, narrans primo, in provinciæ formam redactam esse Ægyptum, et mox, fossas vetustate clausas patefactas fuisse, ut feracior hæc regio esset. *Arntz.*

Labore militum patefecit] Scilicet miles Romanus nunquam erat otiosus: legimusque passim per ipsum quævis structa. Certe impensos ædificando theatro, templo, classi: imo oleas vineasque plantasse; fluviosque nunc derivasse, nunc detersisse, nunc muniisse; nec minus exstruxisse pontes, siccasse paludes, fossas duxisse, scrutatosque auri argentique venas: denique vias stravisse, colonias exustas restaurasse, urbesque magnas ædificasse, exemplo plus uno ostendi ad Livii librum XI. ubi Epitome habet: 'Lucius Postumius consularis, quoniam

cum exercitui præesset, opera militum in agro suo usus esset, damnatus est.' *Grut.*

§ 6 *Ducentis centena millia*] [Vide Lect. Varr.] Sed tales conjecturæ hoc loco non requiruntur, cum recte 'modiorum' subintelligatur, quod monuit jam ad Tacitum idem Gronovius, ut et ad Liv. lib. XLIII. cap. 6. 'Et ex Africa legati simul Carthaginiensium, tritici decies centum millia et hordei quingenta:' et ad Senec. Brev. Vitæ c. 18. 'Ut tibi multa millia frumenti bene committerentur.' *Arntz.*

§ 7 *Populo Romano*] *Populo Romano* confirmant omnes scripti apud me, nec video cur ferri non posset. *Arntzenius.*

Dalmatas] *Dalmatas* omnes hic scripti et editi. Vide ad Vir. Ill. cap. 44. § 4. *Arntz.*

Sicambros] Aliter Suetonius, Suevos et Sicambros deditos in Galliam traduxisse, atque in proximis Rheno agris collocasse cap. 21. Rectius igitur Augustana ed. delet *delevit.* Porro in Mss. libris lapidibusque antiquis *Sygambri* appellantur, ut et Συγάμβροι a Strabone l. VII. cui nostrum *u* respondet. *Schott.* Est hæc Laur. Abstemii ed. quod, si ei accedunt Mss. codd. approbo. *Gruterus.*

Stipendiariis] *Stipendiarios* Mss. nostri præferunt, accusandi casu, ut et Veronensis ed. longe optima, quam ego omnium primam typis editam fuisse opinor, a Joh. Jucundo, cujus et in Cæsaris Commentarios industria exstat, erutam. Hic mihi quarti Ms. instar est, ita præclara veteris scripturæ vestigia retinet, nihil pæne ab illis evarians. *Schott.* Et *stipendiarios* firmatur ab omnibus nostris, quod sine necessitate loco suo erat motum: vult enim, Pannonios, quos stipendiarios effecerat, 'numero provinciarum' adjecit, quæ voces ex prioribus sunt repetendæ. Posset quoque legi *stipendiarios effecit;* sed tutius credo expositione mitigare. Vell. Paterc. II. 39. § 3. 'Vindelicos ac Noricos Pannoniamque et Scordiscos novas inperio nostro subjunxit provincias.' *Arntz.*

Creandique regis] *Regis* fortasse sensui erit adcommodatius, et ipse mallem. Sed cum Schotti codd. et nostri habeant *reges,* victus tot Mss. auctoritate lectionem non negligendam duxi. Scilicet certum est, non semper veteres observare grammaticorum præcepta, qui jubent hæc gerundia vertenda esse in adjectiva. Cæsar Bell. Gall. V. 38. § 2. 'Ne sui in perpetuum liberandi atque ulciscendi Romanos occasionem dimittant.' Livius IV. 1. 'Ut populo potestas esset consules faciendi.' Adde II. 43. VIII. 2. XXIV. 24. XXVI. 27. XXVIII. 36. XXXVIII. 47. XLII. 37. 'Quæ caussa Romanis aut in Græciam transjiciendi copias, aut urbes occupandi esset.' Cicero pro Sextio c. 12. 'Venisse tempus ulciscendi se.' Sed similia sunt innumera, quæ piget memorare. *Arntz.*

§ 10 *Adeo namque turbas*] *Denique* habent Mss. et infra *bellum indixerit jactantisque:* melius. *Schott.* Revocanda ed. Mss. olimque excusorum *Adeo denique turbas.* Grut. *Denique* et nostri omnes vel scripti vel editi; uti etiam illud *indixerit,* quod præferendum jubentibus codd. ceteroquin perinde esset quid eligas. Quare etiam illas voces solet jungere Livius, ut VI. 26. 'Quibus bellum indixistis intulistisque.' XXXVIII. 48. 'Non ideo populus Romanus his bellum indixit aut intulit.' Cicero in Verrem I. 31. 'Ei civitati bellum indici atque inferri solere.' Talia in Epitome ferri non possunt; ceteroquin legi posset *indixerit aut intulerit.* Arntz.

Cuiquam bellum intulerit] Restituenda iterum eorundem codicum scriptura, *indixerit.* Grut.

Folia infructuosa] In eandem sen-

tentiam apud Macrobium Cicero de Repub. lib. VI. 'Quanquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis præmium est; tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis; sed stabiliora quædam et viridiora præmiorum genera desiderat.' Eidem lib. II. ad Attic. 'Cato pro centum millibus est,' qui currum triumphantis sequebantur. *Schott.*

§ 12 *Quidquid commodo geritur*] *Gereretur* cum editis omnes scripti, nisi quod ex solo Leid. 2. nulla notata sit diversitas, qui tamen cum aliis pro *emolumenti caussa*, reponit *spe* ex Suet. Aug. c. 25. Symmachus Epist. X. 34. 'Speratum emolumentum tanquam popularis ignovit.' *Arntz.*

Hamo aureo piscantibus] 'Reti aurato, purpura coccoque funibus nexis piscatum Neronem' auctor Sueton. Ner. c. 30. et Orosius VII. 7. Eutropius vero lib. VII. 'blatteos funes' vocat, quod illi *purpureos*. Schott.

§ 14 *Et proprætor cæsus*] *Cæsus* afuit a Mss. 'Tres legiones cum duce Quinctilio Varo, legatisque, et auxiliis omnibus cæsæ.' Tranquillus c. 23. et Tiberio c. 17. Tacitus de Moribus Germanorum Q. Sulpicio Camerino, C. Poppeio Sabino Coss. a. d. IV. Non. Sextiles, quo et Cannensis clades accepta. Dio lib. LVI. L. Ann. Florus lib. IV. Paterculus lib. II. præter tres legiones totidemque alas, etiam sex cohortes numerat. *Schott.*

Valido incussu] Adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque submisso caput interdum foribus illideret, vociferans, 'Quintili Vare, redde legiones;' diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem. Suetonius c. 23. Orosius VI. 21. *Schottus.* *Accidisse* etiam interponunt omnes editi quos vidi ante Schottum, et scripti, excepto solo Leid. 2. de quo nihil audeo pronunciare, quod et in sequenti voce accidit, ubi si ab eo Ms. discesseris, omnes Mss. et editt. justa conspiratione *incursu*, quod merito placebat Cortio, qui promisit latius se hanc lectionem defensurum et probaturum, quem librum avide expetimus, ad Lucan. VI. 161. 'Confringite tela Pectoris incursu.' Interim, dum meliora exspectamus, optimam lectionem defendit Seneca de Const. Sap. cap. 3. 'Nec secari adamas, nec cædi vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit,' de Vita Beat. c. 27. Apuleius sub finem lib. VII. 'Ipsum quidem sæpe incursare calcibus potuisti.' Quo pacto Plautus Pœn. IV. 1. 3. 'Is me autem porro verberat, incursat pugnis, calcibus.' Rudente III. 4. 17. et Asin. I. 1. 21. Burman. ad Phædr. Fab. II. 7. 8. Martial. Epigr. I. 9. 'Pectore nec nudo strictos incurris in enses.' Quinctil. IX. 1. p. 761. 'In latera atque in terga incurrere datur:' ubi male alii *incutere*. Apul. Met. VIII. pag. 214. 'Nonnunquam morsibus suos incursantes musculos.' 'Incursus' enim et 'incurrere' a re militari ad quævis alia transferuntur, hinc minus casto sensu 'incurrere servis' dixit Juven. Sat. VI. 31. 'sororem incurrere' Apul. Met. X. p. 250. Porro de hoc capitis incursu confer Barthium ad Statium Theb. V. 642. Mox *veste, capillo ac reliquis* omissa priori copula Leid. 2. Sed nullus est ex nostris cod. cui minus tribuam; ita nil fere præter ineptas oscitantis librarii aberrationes continet. Sallust. in Jug. c. 83. § 2. 'Prædem captivosque et inpedimenta.' Livius XXXVI. 40. 'Arma signaque et spolia omnis generis transvexit.' XLV. 1. 'Veris nunciis Fabii Lentulique et Metelli adventu firmatum est.' Suetonius Claudio c. 22. § 1. 'Quædam circa ceremonias, civilemque et militarem morem correxit.' Seneca Herc. Fur. vs. 927. 'Stet suo cœlum loco Tellusque et æther.' Sulp. Severus

Hist. Sacr. I. c. 53. vs. 4. 'Urbem murosque ac templum solo stravit.' Ammian. Marcell. xv. 5. initio: 'Galliæ cædes acerbas rapinasque et incendia.' Hæc et alibi, licet minutiora, ut revera sunt, videantur, fuerunt corrupta, de qua re Gronov. ad Liv. v. 48. Wasse ad Sall. Catil. c. 9. et Jug. c. 6. et nos inf. c. 8. § 4. *Arntzenius.*

§ 15 *Milites commilitones*] Tranquillus Cæs. c. 67. Augusto c. 25. Cæsar ipse Bell. Civ. lib. III. Missionem vero cum urbis periculo flagitantes, 'Quirites' appellabat. Idem Sueton. Cæsare c. 70. Quæ sequuntur petenda ex capp. 57. et 66. ejusdem. *Schott.*

§ 17 *Ob taciturnitatem Mæcenas, ob patientiam .... Agrippa*] Ἀνιστορήτως hæc dicit, nisi a Suetonio, unde exscripta sunt, dissenserit. 'Desideravit' (inquit Tranq. c. 66.) 'nonnunquam et M. Agrippæ patientiam, et Mæcenatis taciturnitatem,' &c. fefellit forte racematorem vocis *desideravit* ἀμφιβολία. Usitatius enim ille dixisset *Desideravit in Agrippa patientiam, et Mæcenate taciturnitatem.* Desideramus enim, quibus alii præditi, ipsi caremus: et milites aliquot desideratos dicimus. Desideramus vero in aliquo, quæ deficiunt eum. Flaccus tamen nobiscum facit, qui in reticendis gravioribus Mæcenatis prudentiam laudat Sat. II. 6. 'Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.' Ea, inquit, credebat, quæ homini pleno rimarum, hac illac perfluenti, credi tuto possent. Tacitus etiam Annal. lib. III. 'Mæcenati' secreta Augusti innixa fuisse scribit: 'Agrippam' vero fortem vocat idem Venusinus Pindarus Od. I. 6. et Paterculus virtute, labore, vigilia, periculo invictum. Verum ita ego Suetonium explicandum puto, taciturnum quidem 'Mæcenatem,' et constantem 'Agrippam' fuisse; eas tamen virtutes nonnunquam, quod ab iis recessissent, desiderasse: hoc enim vult, cum *nonnunquam* dicit: quomodo gemina scripserint auctores. *Schott.* Neque taciturnus Mæcenas apud Suetonium, neque patiens modestusque Agrippa. *Vinet.* Hæc minime pugnant, uno tantum in casu desideravit patientiam ceteroquin Agrippæ propriam, et taciturnitatem, qua ab omnibus commendatur Mæcenas. Adde Barthium Adv. XXIV. 14. *Arntz.*

§ 18 *Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus*] Ad illud etiam exemplum amores suos direxit Propertius, ubi inquit, 'Nec cito desisto, nec temere incipio.' Interim tyro notet Imperatoribus etiam suos fuisse amicos; sed bonis duntaxat: nam sequiores profecto tale quid infra fastigium suum putabant. Pacatus Paneg. ad Theod. c. 16. 'Ecquis Imperatorum unquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? humilis hæc virtus, dubiumque an virtus, judicabatur; nec palatiis digna sed periculis habebatur.' *Grut.*

§ 19 *Ne in procinctu quidem*] *In procinctum* legit Augustanus cod. Vide Festum Pompeium. *Schott.*

Legeret, scriberet, declamaret] Eadem eodem ordine verba apud Sueton. c. 84. sed in vet. tamen cod. *dictaret* pro *declamaret*. Vinet. *Quin legeret, scriberet, declamaret:* hæc si legunt nostri ævi potentatus, necesse est plerosque eorum aut erubescere, aut arbitrari animam fuisse Augusto plusquam scholasticam; hoc est, eo morbo laborantem, ne abstinere posset studiis imperium regenti prorsus supervacuis. *Grut.* *Dictaret* quoque Leid. 2. quo pertinent verba Spartiani in Hadr. c. 20. 'Uno tempore scripsit, dictavit, audivit, et cum amicis fabulatus est.' Sed hæc alio spectant, cum Hadrianus ea simul faceret, quæ Augustus diversis temporibus, quamvis uno quidem eodemque die. Quare nihil innovandum. *Arntz.*

§ 20 *Leges alias novas*] Ut de adul-

teris et pudicitia; quæ inde Julia dicta. Sueton. cap. 34. J. Cons. lib. XLVIII. Digest. tit. v. et de Famosis Libellis, c. 55. Tranq. l. XVI. D. de Pœnis: et tit. lib. IX. Cod. *Schott.*

Alias correctas] Ut sumptuariam, et de maritandis ordinibus: quæ post retractata Papia Poppæa dicta. Tacitus Annal. lib. III. Ulp. Institut. tit. XI. et XIV. videndus Horat. Od. III. 1. et IV. 5. et 15. et Carmine Seculari. *Schott.* *Suo nomine* ut glossema expungere malebat Boecler. ad Vell. Paterc. II. 89. § 4. Sed vult eas leges *Julias* esse dictas, ut norunt tirones. *Leges alias aliis correctis prot.* volebat Lugd. 1. *Arntz.*

§ 21 *Ædificiis multis*] Suetonius capp. 28. 29. et 30. de Urbis pomœrio prolato. Tacit. Annal. lib. XII. et Vopiscus in Aureliani vita. *Schott.*

§ 22 *Aciem*] Floriacen. *acies* numero multitudinis. Lege Sueton. c. 79. Plinius vero Nat. Hist. VII. 37. 'glaucos oculos' illi tribuit, 'quos diligentius spectari iracunde ferebat.' Ibidem de Tiberii oculis, quibus noctu in tenebris cernebat, et Suet. Tib. cap. 68. Sextus Chæronensis Philosophus lib. I. Pyrrhoniarum Hypotheseῶν cap. 14. *Schott.* Pluralis numerus est in Leid. 1. ipsam vocem ignorat alter cod. *Arntz.*

§ 23 *Ab intendentibus*] Veronens. cod. *ab intuentibus tamquam solis radiis aspectu suo.* Schott. Omnino verum est *intendentibus* de illis qui rectis oculis attente intuentur. Cicer. Acad. Quæst. IV. 25. 'Intendi longius acies non potest:' et Tusc. Quæst. IV. 17. 'Acrem in omnes partes aciem intendit.' Vox hæc majorem emphasin habet, multoque est huic loco adcommodatior; quare pro *intendere* posuit *diutius intueri* Lampridius Alex. Severo c. 14. 'Nimius ardor oculorum, et diutius intuentibus gravis.' Mox *adspectu* omnes editi ante Schottum. *Arntz.*

Solis radiis] Vidi qui Horatiana illa de sole ad Augusti oculos referrent, l. IV. od. 2. et 5. *Schott.*

§ 24 *Nec tamen vir tantus vitiis caruit*] At quis caruit? 'Optimus ille est, qui minimis urgetur,' inquit ex vero Horatius. Unde et Seneca de Ira III. 24. 'Pro quocunque respondeamus nobis; sapientissimos quoque viros multa delinquere: neminem esse tam circumspectum, cujus non diligentia aliquando sibi excidat; neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum casus impingat; neminem tam timidum offensarum, qui non in illas, dum vitat, incidit.' *Grut.*

Leviter iracundus] Mss. duo et Veronens. *leniter*, rectius. Vide infra in Theodosio et quæ illic annotavi. Horatius quoque, 'Irasci facilis, tamen ut placabilis esset,' ut solent præstantissima ingenia: 'bonum' enim 'apud virum,' inquit Mimus, 'cito moritur iracundia.' *Schott.* *Leniter* scriptura est Guelf. et reliquarum editionum. Neque tamen ullis exemplis patet adeo lenem fuisse Augustum, qui etiam severissime iram suam exercuit. Multa sunt exempla apud historicos. Ovidius quidem El. Trist. V. 2. 60. 'Sed tua peccato lenior ira meo est.' Sed ille pro ea, qua vivebat, conditione loquitur; neque etiam scimus nos hodie, qua in re peccatum poëtæ constiterit. Præfero itaque cum pluribus *leviter*, et ita ediderat jam Schottus. *Arntz.*

Dominandi avidissimus] Supra dixit ab ambitione alienum fuisse, quod lauros contemserit; nihilominus dominandi cupidine flagrare potuit. *Schott.*

Studiosissimus aleæ lusor] Pithœi codex, et quatuor vulgati quibus usus sum, Augustanus, Basilienses duo, et Gryphii: quod incisum addant, non placet: jam enim de discendi studio etiam in castris dixerat. Sueton. lege capp. 71. et 83. Cui etiam repugnant capp. 76. et 77. quæ sequun-

tur: ubi Mss. *multum* non *multi*, præclare, si recte interpungas, et cum *abstinens* conjungas. Hoc enim vult: mirandum magis hominem sobrium libidini addictum fuisse. Non infitior eleganter dici Horatio, 'Multi Damalim meri.' Od. I. 36. et Ciceroni, 'Hospitem multi cibi et joci.' Sed Noster alio respicit. *Schott.* [Vide Lectt. Var.] Sed *multum* tuentur Mss. *Arntz.*

§ 25 *Somni abstinens serviebat libidini*] Tranquill. c. 78. vide et c. 68. et deinceps capita aliquot de libidinis infamia: τὸ *vulgaris* in Veron. edit. afuit: recte. *Schott.* Si vox *vulgaris* conspicitur in Mss. exemplaribus, non est profecto exterminanda, quia ea destituitur editio Veronensis: aliud enim est male audire, aliud male audire vulgo et passim. *Grut.* *Somnii* Leid. 2. *somno* Leid. 1. *Serviebat* autem eleganter, ut 'servire voluptatibus' apud Lactant. Div. Inst. III. 17. *Arntz.*

Inter duodecim catamitos] Malim *sex*, si libri suffragarentur, auctoritate Tranquilli, qui c. 70. cœnam ejus δωδεκάθεον dictam ait, 'in qua Deorum Dearumque habitu discubuerint convivæ: ipse pro Apolline fuerit ornatus.' Forte ex numerorum compendiis, unde infinita in optimos auctores menda irrepserunt, corruptum. Mox Mss. *accubare* legunt. *Schott.* Constanter tamen *duodecim* omnes retinent; et posset diversa convivia respicere, quod tamen non crediderim; potius lapsum auctorem errore numeri, cum convivas duodecim simul sumens eos iterum in mares et feminas distinxerit, quod non faciendum fuerat, cum jam ante duplicatus esset numerus. Porro ex nostris etiam hic 'accubare' reducendum erat, quæ vox recte ad mensas refertur. Livius XXIX. 43. 'Tum illam infra eum accubantem negasse:' et XLI. 2. 'Stratos lectos in quæstorio invenisset, regulus accubans epulari cœpit.' Cicero Orat. Catil. II. 5. 'Qui mihi accubantes in conviviis eructant sermonibus suis cædem.' *Arntz.*

§ 26 *Quasi marito concedente*] Bene *quasi:* invito enim marito abductam diserte meminit Tacitus Annal. V. 1. 3. interim miser ille, maluit videri ultro *cedere*, quam periclitari salutis. Consulantur discursus nostri, quos Tacito accommodavi Annal. lib. VI. capitis primi fine. *Grut.*

Cujus Liviæ] *Cui Liviæ* Veronensis cod. Sueton. de his capp. 62. et 63. *Schott.*

§ 27 *Luxuriæ serviens*] Familiari sequioris ævi scriptoribus notione utitur, pro *libidini*. 'Sine Cerere enim et Libero friget Venus.' Supra 'libidini serviisse' dixit; hic *luxuriæ*. Intellige legem Juliam de Adult. et Pudicit. 'Nullis polluitur casta domus stupris,' Hor. lib. IV. od. 5. Eleganter Tacit. Ann. lib. III. de Silani exsilio: 'Adulteros,' inquit, 'filiæ et neptis morte ac fuga punivit Augustus: nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine læsarum religionum ac violatæ majestatis appellando, clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur.' Vide Suet. Calig. c. 23. Adulatur enim familiæ Augustæ Val. Maximus VI. 1. *Schott.*

More hominum, qui] Eleganter hæc Plinius Junior Epist. VIII. 22. *Schott.* Inde acute Publius Syrus, 'Plerique ubi aliis maledicunt, faciunt convitium sibi.' Ac rotunde Dio Cassius lib. XXXVI. Πολλῷ γάρ που ῥᾷον ἄλλοις ἐπιτιμῶσι τινες, ἢ ἑαυτοῖς παραινοῦσι, καὶ προχειρότατά γε ἐφ' οἷς τιμωρίας ἀξίους τοὺς πέλας εἶναι νομίζουσιν, αὐτοὶ ποιοῦσιν· ὥστε μηδεμίαν πίστιν, ἐξ ὧν ἑτέροις ἐγκαλοῦσιν, ὅτι καὶ μισοῦσιν αὐτὰ λαμβάνειν· *Longe proclivius alios quidam reprehendant, quam seipsos admoneant; facillimeque fit, ut quarum rerum caussa pœna dignos alios judicant, has ipsi easdem admittant: ut argumen-*

to non sit, propter quas alios accusant, has ipsos odisse: addatur Aristoteles fine capitis 12. Rhetorices ad Alexandrum. *Gruter.* Adde omnino, si tanti, Rittershus. ad Salvianum p. m. 172. Mox edebatur *nam et poëtam;* nos mediam voculam cum omnibus Mss. rejecimus. *Arntz.*

Amatoriæ artis conscripserat, exsilio damnavit] Hæc absunt a tribus Mss. et lacunam reliquerant librarii, dubitantes forte de rei veritate, aut verecundiæ causa. Disputant etiam docti. Duæ enim exsilii causæ, libri de Arte, et error, quem ipse Naso studio supprimit Trist. lib. II. 'Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error, Alterius facti culpa silenda mihi est.' Et alibi: 'Et quid præterea peccarim quærere noli: Ut pateat sola culpa sub Arte mea.' [Vide Lectt. Var.] Sidon. Apollin. Car. IX. 262. 'Non qui tempore Cæsaris secundi Æterno incoluit Tomos reatu.' Et carmine XXIII. 157. 'Et te carmina perlibidinosa Notum Naso tener, Tomosque missum, Quondam Cæsareæ nimis puellæ Ficto nomine subditum puellæ.' Exsulatum abiit anno imperii Augusti secundo et quinquagesimo: obiit vero quinto Tiberii, juxta Tomos sepultus. Euseb. Chronicis. *Schott.* Hæc verba favent lectioni codicis Puteanei apud Ovid. Tr. El. IV. 4. 39. 'Aut liber, aut error nobis, prius. obfuit error.' Quodnam verum fuerit Ovidii crimen hodie ignoratur; vide tamen post Ciofanum ad Trist. II. 7. accuratissimum Massonum, quem nobis nuper auctiorem dedit clarissima Burmanni editio, ad annum U. C. DCCLXII. p. 86. *Amatoriæ artis conscripserat exsilio damnarat* omiserunt Leid. 1. et Guelf. loco tamen vacuo relicto. *Amatoriæ artis* aberat a Leid. 2. ut et *exsilio damnarit.* Ceterum editi ante Schottum *conscripsit;* qui *conscripserat* legit. *Arntz.*

§ 28 *Præcipue ferarum*] Sueton. capp. 43. et 45. *Schott.* Et Lipsius de Amphitheatro c. 5. *Arntz.*

§ 29 *Nolæ interiit*] Suetonius lib. XCVIII. et Paterc. lib. II. extremo: ubi etiam templum ei ædificatum, Sueton. Tiberio capp. 40. et 47. Eutropius Atellæ opido Campaniæ mortuum ait, lib. VII. Ceterum Tranquillus 76. ætatis anno, minus XXXV. diebus, periisse ait cap. 100. *Schott.*

Dolo Liviæ] Ficu veneno infecta, Dio. *Schott.*

In insulam relegaverat] Sed *relegavit* est, fecit ut relegaretur; qualia 'revocavit,' 'damnavit,' &c. Vide supra ad Vir. Ill. c. 63. § 1. *Arntz.*

§ 30 *Patrem Patriæ dixerat*] Per Valerium Messallam. Formulam vide apud Sueton. c. 58. Infra de Trajano. Tiberius hoc nomen detrectavit. Suet. Tib. c. 27. Tacitus Annal. lib. II. Supra *honorandum* pro *decorandum* cod. Augustanus. *Schott.*

Tam Romæ quam per urbes] De honoribus vivo mortuoque habitis Sueton. capp. 52. 57. 59. &c. Quin etiam urbes ei Cæsareæ nomine ab exteris gentibus conditæ. Plinius, Stephanus, Tranquillus, Josephus, et Eutropius. *Schott.* Mox *ei* ignorat uterque Lugd. *Arntz.*

Utinam aut non] Non exstat locus in Sueton. nisi quod de Sextili et Septembri, illo funesto, hoc vero natali mense, Augusti nomine appellando contenderint cives: capite penultimo. Nova Victoris ed. Septimio Severo elogium hoc tribuit, ut et Spartianus, 'Quamquam,' inquit, 'exacta ætate mortuum, justitio elogioque lugendum Patres sanxere: astruentes illum justum nasci aut emori minime convenisse.' *Schott.*

Nasceretur] Justin. XIII. 2. § 11. 'Non propter maternas modo sordes, quod ex Larissæo scorto nasceretur:' ubi Vorstius. Gronovius ad Livium XXXIV. 11. Inf. § 31. et in Cæsaribus aliquoties: mox *alterum* [*enim*] *pessi-*

mi: mediam vocem unculis incluserat Schottus, signo eam vocem in suis Mss. desiderari, quæ cum nec in nostris exstaret, abire jussimus. *Arntz.*

§ 32 *Felicitati ejus*] Si hoc exstat in omnibus Mss. et exoletis edd. id sequamur sane, quamvis vulgatæ nihilominus sua est vis et venustas, sed alio sensu; ut velit nimirum vitam Augusto in tuto positam, advecto illo frumento: sed malim tamen scripturam priorem; ut innuat fato Augusti debitum frumenti tam tempestivi adventum. *Grut.* Sic felicitas populi sæpe tribuitur fortunæ Augustorum. Diximus supra ad Cæsar. c. 42. § 18. et multa collegit Demsterus ad Rosinum II. 16. adde Burmann. ad Ovid. El. Trist. II. 102. Hinc in senatu Principibus acclamabatur, 'Felicior Augusto, melior Trajano,' apud Eutropium VIII. 5. confer eundem VII. 8. et Spanhem. de Usu Num. diss. XII. p. 441. Florus IV. 2. § 29. 'Omnia felicitatem Cæsaris sequebantur.' Pertinent huc, quæ alibi Claudianus: 'O nimium dilecte Deo, cui militat æther, Et conspirati veniunt ad classica venti.' *Arntz.*

§ 33 *Annos quinquaginta sex*] Plutarchus lib. de Fortuna Romanorum LIV. tantum numerat: de præstanti indole morumque integritate Augusti Suet. capp. 28. et 72. et alibi. *Schott.* Sine conjunctione numerum hunc notat vetus codex. *Vinet.* Conjunctionem addunt præter Leid. 2. scripti et omnes edd. Per edd. autem eas intelligo, quæ ante Schottum prodiere, quod semel monuisse sufficiat. Leid. 2. ut solet esse nugax, *VII.* scribit. Vide tamen Spanhem. de Numism. diss. XII. p. 426. Porro pro *annos*, quod est apud Schottum, eædem edd. et Guelf. cum Leid. 1. malunt *annis.* Lactant. Divin. Inst. IV. 5. 'Septem et viginti annis tenuit principatum.' Spartian. Hadrian. c. 26. 'Imperavit annis XXI.' et Anton. Carac. c. 9. 'Vixit autem Bassianus annis XLIII. imperavit annis sex.' Justin. XLIII. 1. § 13. 'Quæ trecentis annis caput regni fuit.' Verum in talibus auctoritate non pugnandum, sed vel numero vel bonitate codicum, optimo tamen seculo, credo casum quartum prætulissent. Livius I. 31. et 35. Virgil. Æn. I. 276. mox *quadraginta vero et* Guelf. Leid. 2. et editi, quod non video cur negligerem. *Arntz.*

§ 34 *Nisi magnis naturæ et studiorum bonis abundasset*] Sic est, ut inquit Horatius Od. IV. 4. 'Doctrina sed vim promovet insitam; Rectique cultus pectora roborant.' Et Victor in Cæsaribus capite 40. 'Quare compertum est eruditionem, elegantiam, comitatem præsertim, principibus necessarias esse; cum sine his naturæ bona quasi incompta, aut etiam horrida despectui sint,' &c. *Gruterus.*

Abundasset] Tantum de Augusto: in quo eo prolixiores fuimus, quod nova editio breviter perstringat. Adhæc digitos in fontes, unde vulgata non satis pure hausta, intendere placuit. Nunc pretium operæ fore credidi, si fragmentum Breviarii imperii Augusti, a nemine, quod sciam, editum, publici usus facerem: quod Augerius Busbequius, V. C. in Byzantina legatione Ancyræ in lapides incisum, quantum a Turcica vastatione reliquum factum est, describendum curavit, et nobiscum humaniter communicavit. Ejus sic meminit extremo Augusto Tranquillus: 'De tribus voluminibus, uno mandata de funere suo complexus est: altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur: tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset; quantum pecuniæ in ærario, in fiscis, et vectigaliorum residuis. Adjecit et libertorum servorumque nomina, a quibus ratio exigi posset.' Meminit

ejusdem, si ita placet, formulæ imperii c. 28. vocatque Rationarium. Et in Caligula c. 16. 'Rationes imperii ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas publicavit.' Tacitus quoque I. Annali de Tiberio loquens: 'Proferri libellum recitarique jussit. Opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, et necessitates, et largitiones: quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus; addideratque consilium coërcendi inter terminos imperii, incertum metu an per invidiam.' Hæc in foro proposita fuisse verisimile est: post Gothica direptione urbis Romæ alio translata. M. Velleius Paterculus lib. II. 'Divus Augustus præter Hispanias aliasque genteis, quarum titulis forum ejus prænitet, pæne idem, facta Ægypto stipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit.' Quare quantum quantum id est, Busbequio acceptum referatur. *Schott.* Quod sequitur monumentum sine ullis notis huic capiti annecti curaverat Schottus; aliter visum fuit Variarum Notarum collectoribus. Nos ne nasuti, studiosum carpendi genus, habeant quid quod offendat, et hic addimus, sed plane eo ordine, quo ab illis erat propositum: solum hoc moneo, Lipsii notis addenda esse ea, quæ scripsit idem vir præclarus [Casaubonus] de Magn. Rom. lib. II. c. 13.

Ancyræ in suburbio. [a]

SERIES I.

RERVM GESTARVM DIVI AVGVSTI QVIBVS ORBEM TERRARVM IMPERIO POPVLI ROMANI SVBJECIT

[a] *Ancyræ in suburbio*] Vivo Augusto aras et templa fuisse in provinciis posita testantur et historici et alia prisci ævi monumenta. Primus ipse hoc in honorem patris sui vel imperaverat, vel petentibus concesserat, ut est apud Dionem lib. LI. Quod postquam semel institutum est, pleræque pro magno beneficio postularunt sibi jus dari aræ ponendæ, aut templi, in aliqua suarum urbium, ubi communi nomine populi totius provinciæ honoris ejus caussa, et sacra facerent et ludos ederent: talis in Gallia Lugdunensis ara, ad quam sexaginta populos convenire solitos refert Strabo; talis in altera Galliæ parte ara Narbonensis, et in aliis provinciis aliæ, tum Augusto, tum Julio Cæsari positæ: tanto quidem studio et adulatione, ut earum urbium incolæ, quæ hujusmodi templa apud se haberent, non alio magis nomine superbirent, quam quod essent istorum νεοφύτων numinum æditui: quemadmodum olim in senatu Romano Lætorium esse loquutum refert Suetonius II. 5. Sic interpretor veteres illos nummos, in quibus exstat vox ΝΕΩΚΟΡΩΝ. cujusmodi sunt cum alii, tum isti ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΑ. ΝΕΩΚΟΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ et ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Antiquarii, quorum diligentiæ et industriæ plurimum debemus, falso existimant in hujusmodi nummis vocem νεωκόρος idem significare ac νεόκτιστος: quæ Græci sermonis imperitia pluribus arguenda non est. Sunt etiam nummi in quibus adjecta particula δὶς· ut ΚΝΩΣΙΕΩΝ, ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, et ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ea vocula putem (si ullus in re perobscura conjecturæ locus) geminum templum notari, alterum D. Julio, alterum D. Augusto sacrum. Porro inter alias urbes quæ mature templum

ET IMPENSARVM QVAS IN REMPVBLICAM POPVLVMQVE ROMANVM FECIT [b] INCISARVM IN

Augusto extruxerunt, urbs Ancyra fuit. Nam ibi divinos honores Augusto vivo fuisse exhibitos, testis ipse in edicto, quod refert Josephus in Originum XVI. 10. Verba edicti sunt, τότε ψήφισμα τὸ δοθέν μοι ὑπ' αὐτῶν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς εὐσεβείας ἧς ἔχω πρὸς πάντας ἀνθρώπους, καὶ ὑπὲρ Καΐου Μαρκίου Κηνσωρίνου, καὶ τοῦτο τὸ διάταγμα κελεύω ἀνατεθῆσθαι ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι (malim ἀνατεθέντι μοι) ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ· ἐὰν δέ τις παραβῇ τι τῶν προειρημένων, δώσει δίκην οὐ μετρίαν· ἐστηλογραφήθη ἐν τῷ Καίσαρος ναῷ· vulgo legitur in Josephi codd. ἐν ἀργύρῃ· nullo sensu. Quare etiam Rufinus Josephi vetus interpres ea verba omisit. Sed docuit nos in magno opere de Emend. Temporum Josephus Scaliger, unicum literarum decus, legendum esse Ἀγκύρῃ. qua conjectura meo judicio nihil certius. Etsi subit mirari, cur commune Asiæ ei potius civitati illum honorem habuerit, quam Epheso, quæ erat per illa tempora πρόσχημα et velut metropolis Asiæ. At Ancyra non Asiæ sed Galatiæ tantum metropolis erat. Sed caussa fortasse fuit, quod Augustus peculiari cura et amore hanc urbem prosequeretur. Reperio enim etiam conditorem Ancyræ Augustum fuisse: cujus rei auctorem habeo Johannem Tzetzem, qui id narrat chiliade prima, capite de Mida. Olim non totius Galatiæ, sed partis tantum Tectosagum metropolis ea urbs fuit: verum postquam tota Galatia per Augustum in unam provinciam est redacta, totius Galatiæ caput esse cœpit: quod non ex Strabone discas, quem mirari satis non possum, tam levem harum rerum fecisse mentionem: sed ex ista veteri inscriptione quam Romæ extare testimonio doctorum virorum discimus:

Λ. ΦΑΒΙΟΝ.
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗC.
ΥΠΑΤΟΝ. ΤΟΒ.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC.
ΤΗC. ΓΑΛΑΤΙΑC.
ΑΝΚΥΡΑ.
ΤΟΝ ΕΑΥΤΗC.
ΠΡΟCΤΑΤΗΝ.

Hinc est quod legimus apud Suidam, 'Ancyranos' dictos esse, qui olim appellabantur Ἑλληνογαλάται. Auctor itinerarii antiquissimi a Petro Pithœo editi, hanc urbem nunquam Ancyram simpliciter: sed semper cum adjectione Ancyram Galatiam aut Galatiæ nominat. Similiter et Græci, Ἄγκυραν τῆς Γαλατίας, ut apud Epiphanium in Marcello Ancyrano lib. III. vel una voce Ἀγκυρογαλατίαν, ut apud Athanasium in epistola quadam patrum Sardicensium. Mortuo Augusto quin multa ambitiose decreta in ejus honorem fuerint, et Ancyræ et in aliis plerisque provinciarum, nemo dubitabit qui eorum temporum adulationes noverit. Tunc temporis videntur Ancyrani, et petiisse et impetrasse a senatu facultatem transferendi in templum Augusti quod in ipsorum urbe erat, hunc rerum gestarum ejus indicem, quem manu Græcorum linguæ Latinæ prorsus imperitorum fuisse vel Romæ descriptum, vel postea sculptum, res clamat ipsa: adeo multa sunt perperam et contra omnem Latinitatem expressa. Multa in hoc nobilissimo vetustatis monumento nuper erudite animadversa sunt ab eruditissimo clarissimoque viro Justo Lipsio; conabimur et nos aliquam illi lucem ex historia adferre. *Casaubonus.*

[b] *Et impensarum quas in rempubl. populumque Romanum fecit*] Non parum gloriari solitus fuit hoc nomine

DVABVS AHAENEIS PILIS QVAE SVNT ROMAE
POSITAE EXEMPLAR SVBJECTVM.

ANNOS. VNDEVIGINTI. NATVS.[c] EXERCITVM. PRIVATO.
CONSILIO ET PRIVATA IMPENSA COMPARAVI[d] TERQVE.
M[e] . . . . . . FACTIONIS. OPPRESSAM. IN LIBERTATEM
VINDICAVI[f] . . . . DECRETIS. HONORIFICIS. ORDINEM.
SVVM.[g][h] . . . .
. . . .

II.

PATRICIORVM. NVMERVM. AVXI. CONSVL. QVINTVM.[a]
IVSSV. POPVLI. ET. SENATVS.[b] SENATVM. TER. LEGI. ET.

Augustus, ut refert Dio non uno loco: et in testamento quoque suo fecerat idem harum impensarum mentionem. Breviter indicant illa apud Suetonium in compendio earum tabularum, 'Quod pene omne cum duobus paternis patrimoniis cæterisque hæreditatibus in rempubl. absumpsisset.' *Casaub.*

[c] *Annos undeviginti natus*] Vell. Paterculus II. 61. 'C. Cæsar XIX. annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, majorem senatu pro republ. animum habuit:' ubi vides adulationem hominis: ambitiose enim usus est voce *ingressus*. Melius Augustus *natus:* nam anno qui præcessit cædem Julii, nono Kal. Octob. ingressus annum XIX. erat, ac jam totum ferme confecerat, quando contra Antonium pro optimatibus bellum primum suscepit. Atque hæc Octavii ætas in equestri statua fuerat notata, quam ei senatus in Rostris posuerat, teste eodem Velleio. Florus, qui Octavium, quando furori Antonii cœpit resistere, ait fuisse 'intra decem et octo annos tenerum,' ad calculum Octavii annos parum exagerat. *Casaub.*

[d] *Exercitum privato consilio et privata impensa comparavi*] Florus de Octavio: 'revocatis ad arma veteranis, privatus, quis crederet? consulem aggreditur.' Idem elogium ab historicis etiam Pompeio non multo natu grandiori tribuitur. Velleius, II. 29. 'Cn. Pompeius XXIII. annos natus, abhinc annos CXIII. privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata executus ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis ejus clientelis refertus erat, contraxit exercitum.' *Casaub.*

[e] *Terque. M...*] Palam est eum loqui de primo exercitu comparato. Igitur expleam *perque. M. Antoni. factionis.* quod valet factiones, ut lapide hoc plerumque scriptum. Si placet ternarius numerus, possis legere *terque. meam. patriam. factionib.* id est factionibus. *Ter* autem, nempe primo Antoniano bello, Philippico, Actiaco. *Lipsius.*

[f] *Vindicavi...*] Expleo, si prior nostra conjectura sedet, *remp.* Lips.

[g] *Ordinem suum*] Nihil putem mutandum in his verbis, sed sententiam aperte mutilam ita explendam: *senatus decretis honorificis ordinem suum mihi communicavit*, vel *in ordinem suum me adscivit.* Decreta quæ ait, nota sunt ex Cicerone et historicis. Dio inter alia istud fuisse ait, τὸ βουλεύειν Καίσαρα ἐν τοῖς τεταμιευκόσι. quo dicendæ sententiæ jus inter quæstorios Octavio tributum. *Casaub.*

[h] *Suum*] Puto fuisse *summum.* Summus ordo senatus est. *Lips.*

[a] *Patriciorum numerum auxi consul*

IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSVM. POPVLI. COLLEGA. M. AGRIPPA. EGI.[c] LVSTRVM. POST. ANNVM. ALTERVM. ET. QVADRAGESIMVM. FECI.[d] (LEGI)[e] QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSITA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. . . . . . . CVM. NVPER. LVSTRVM. SOLVS. FECI.[f] LEGI. CENSORVM.[g] . . . . SINIO. COS.[h] QVO. LVSTRO. CENSA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM[i] . . . QVADRAGENS. CENTVM. MILLIA. ET. DVCENTA. TRIGINTA. TRIA . . . . IN. CONSVLATV. FI[k] . . . . . CVM. NVPERRIME.[l] LVSTRVM. CVM. LEGA.[m] TIBERIO.[n] SEXTO. POMPEIO. ET. SEXT. APVLEIO. COS. QVO. LVSTRO.[o] ROM. CAPITVM. QVADRAGENS.

quintum] Postrema verba non carent difficultate, sive illa cum præcedentibus conjungas, sive cum sequentibus: sæpius enim Augustus et patriciorum numerum auxit, et senatum legit. Vide Dionem in secundo ejus consulatu lib. XLIX. et lib. LII. sub finem in actis anni DCCXXV. qui Coss. habuit Cæsarem V. et Sex. Apuleium. De eo anno loquitur hic Augustus: nam eodem et senatum ordinavit, et patricias gentes supplevit. *Casaub.*

[b] *Jussu populi et senatus*] Dio lib. XLIX. ψηφισαμένης τῆς βουλῆς· et lib. LII. τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης· de populo altum silentium: Tacitus contra, lege Sænia hoc negotium Augusto fuisse mandatum scribit. Vere igitur Augustus jussum se ait a populo et senatu. *Casaub.*

[c] *In consulatu sexto censum populi collega M. Agrippa egi*] Anno priore consul quintum censuram sive regimen morum susceperat Augustus: sed census eo anno non est actus: cum maximam ejus partem Roma afuerit. Huc refer notam Eusebii in Chronico ad numerum MDCCCCLXXXIX. 'censu Romæ agitato inventa sunt civium Romanorum XLI. centena et LXIV. millia.' *Casaub.*

[d] *Lustrum post annum alterum et quadragesimum feci*] Tot anni sunt a novissimis censoribus Cn. Lentulo et L. Gellio, qui lustrum condiderunt anno DCLXXXIV. ad hoc lustrum Augusti anno DCCXXVI. factum. *Casaub.*

[e] *Feci (legi)*] 'Facere lustrum,' et 'condere lustrum' Latina sunt. 'Lustrum legere' quid sit nescio. Ita tamen mox iterum sculptum: meo judicio latet mendum. *Casaub.*

[f] *Cum nuper lustrum solus feci*] Si ita scripsit, *nuper* posuit pro 'postea.' *Casaub.*

[g] *Censorum*] Puto sic, *Censorino et Asinio:* qui Coss. fuere anno DCCXLVII. Quod Dio solitarium hunc censum referre videtur ad annum DCCLVII. de recensu Italico tantum agit. *Lips.*

[h] *Asinio Cos.*] Anno vigesimo post lustrum superius U. C. DCCXLVI. *Casaub.*

[i] *Romanorum . . .*] In hiatu scribe *Capita.* Lips.

[k] *In consulatu fi.*] Hæc verba nihil hic significant: prorsusque erratum lapicidæ esse videntur. *Casaub.*

[l] *Cum nuperrime*] Anno uno et vigesimo post proximum lustrum U. C. DCCLXVII. Ex hoc loco apparet paucis diebus ante suum ex Urbe novissimum discessum, scriptum hoc ab Augusto breviarium. Suetonius II. 97. *Casaub.*

[m] *Cum lega*] Facito *conlega.* Lipsius.

[n] *Cum lega Tiberio*] Suetonius III. 21. *Casaub.*

[o] *Quo lustro*] Exple 'censa sunt.' *Lips.*

CENTVM. MIL . . . . . IGINTA. ET. SEPTEM. MIL.[p] LEGI. PNO. . . . . . EXEMPLA. MAIORVM.[q] EXOLESCENTIA. IAM. EX. NOS.[r] . . . . . MVLTARVM. RERVM. EXEMPLA. IMITANDA.[s] . . . .

III.

HONORIS. MEI. CAVSA. SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. ANNVM. QVINTVM. ET. DECIMVM[a] AGENTIS.[b c] CONSVLIS. DESIGNAVIT.[d] VT. CVM. MAGISTRATVM.[e] INIRENT. POST. QVINQVENNIVM. EX. EO. DIE.[f] DEDVCTI. IN. EORVMVE.[g] INTERESSENT. CONSILIIS. PVBLICIS.[h] DECREVIT. SENATVS. EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM.[i]

p *Mil. . . . . iginta et septem mil.*] Scr. *millia triginta et septem millia.* Postrema vox vacat; non enim solet addi a Latine loquentibus: tamen ferri potest; et fortasse ita paullo ante expleri debent lacunæ post vocem *tria,* duobus locis. Ad hunc porro censum pertinent Eusebii verba in Chronico ad numerum MMXXVIII.: 'Augustus cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans invenit hominum nonagesies trecentena millia,' cujus loci immanissimum numerum ex hoc lapide corrigendum esse recte observat Josephus Scaliger. *Casaub.*

q *Legi Pno. . . . . . . exempla majorum*] *Legi* ad superiora referri non potest. Scribo *lectus Pontifex Max.* Suetonius lib. II. de Augusto Pontifice Maximo: 'nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis abolita restituit, ut Salutis Augurium, Diale Flaminium, Sacrum Lupercale, ludos seculares et compitalitios.' De eodem studio Augusti imitandi exempla majorum vide cap. 89. Horatius de eodem: 'Et veteres revocavit artes, Per quas Latinum nomen et Italæ Crevere vires, famaque et imperii Porrecta majestas ad ortum Solis ab Hesperio cubili.' *Casaub.*

r *Ex nos.*] Scribo *ex nostra Rep.* Casaub.

s *Multarum rerum exempla imitanda*] Sententia tale quid postulat, *multarum rerum imitanda proposui;* aut sic potius, *multa restitui, aliaque exempla imitanda proposui.* Videtur enim duplicem laudem sibi tribuere; quod fugientia majorum instituta revocaverit, quodque multa ipse egregia instituerit, quæ futura sint exempla posteris ad imitandum proposita. *Casaub.*

a *Annum quintum et decimum*] Hoc fortasse verum de Lucio: nam Caium XIV. natum annos creatum fuisse consulem ex historia Dionis et vetere lapide, qui hoc diserte continet, notum est. Quod igitur in altero verum erat, utrique συλληπτικῶς Augustus tribuit. *Casaub.*

b *Agentis*] Valet, agentes consules: estque sermo de L. et C. Cæsaribus. *Lips.*

c *Agentis*] Scribe *agentes filios.* Casaub.

d *Consulis designavit*] Suetonius c. 64. Sed vide historiam Dionis in anno DCCXLVIII. libro LV. *Casaub.*

e *Cum mag.*] Puto *eum.* Lips.

f *Eo die*] Puto *quo.* Lips.

g *Eorumve*] Facio *Forum;* et divido *ut interessent,* sententia longe alia. *Lips.*

h *Interessent consiliis publicis*] Vide supra ad c. 38. *Casaub.*

i *Principem . . .*] Explerem *Juv. c.* id est, principem juventutis Caium. *Lips.*

. . . . HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT.[k] LIBRI. ROMANI. VIRITIM.[l] . . CENOS.[m] NVMERAVI. EX. TESTAMENTO. PATRIS. MEI.[n] ET. NOMINI. MEO.[o] . . . DRINGENOS.[p] EX. BELLORVM. MANVBIIS. CONSVL. QVINTVM.[q] DEDI. ITERVM. AVTEM. IN. CONSVLATV. DECIMO.[r] EX. PATRIMONIO. MEO. BIS. QVADRINGENOS. CONGIARI. VIRITIM.[s] ITERVM. AERE. MERVI. ET. CONSVL. VNDECIMVM.[t] DVODECIM. FRVMENTATIONES.[u] FRVMENTO. PRIVATIM. COLVMBIO.[x] EMENSVS. SVM.[y] ET. TRIBVNICIA. POTESTATE. DVODECIMVM.[z] QVADRINGENOS. NVMMOS. TERTIVM. VIRITIM. DEDI. QVALIMBA.[a] CONGIARIA.

[k] *Principem . . . hastis argenteis donatum appellaverunt*] Mirum ita Augustum loqui, quasi alter tantum filiorum eo honore fuerit affectus: nam certum est ambos 'principes juventutis' esse appellatos: etiam de hastis argenteis dissentit Dio, qui aureas vult fuisse lib. LV. *Casaub.*

[l] *Libri Romani viritim*] *Pro liberis Romani viritim:* sed illud *liberis* emblema est ascititium; nunquam enim Augustus ita loquutus: verum, civibus Romanis, aut 'tribubus Romanis.' *Casaub.*

[m] *Viritim . . . cenos*] Substituo *centenos, vicenos* ex Dionis XLIV. qui diserte scribit Octavianum ipsum ita tradidisse (hic nimirum) etsi alii (inter quos Suetonius) trecenos scribant. *Lips.*

[n] *. . cenos numeravi ex testamento patris mei*] Lego *Trecenos nummos* (vel *sestertios*) *num.* Suetonius in Julio Cæsare cap. 83. 'Populo hortos circa Tiberim publice, et viritim trecenos sestertios legavit.' Sed notamus ad hæc verba Suetonii Dionem, qui ipsum Octavium laudat, in numero dissentire, et pro trecenis ponere *centenos vicenos:* quare ita potius hoc quoque loco rescribendum fortasse fuerit. *Casaub.*

[o] *Nomini meo*] Valet *Nomine.* Lipsius.

[p] *. . . dringenos*] Scribe *quadringenos:* ex Dionis LI. qui exprimit hanc ipsam summam congiarii, in eodem v. consulatu. *Lips.*

[q] *Consul quintum*] Post triumphum Actiacum: vide Dionem lib. LI. *Casaub.*

[r] *In consulatu decimo*] Reversus ex bello Cantabrico. Dio lib. LIII. *Id.*

[s] *Bis quadringenos congiari viritim*] Dio, τῷ δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς δώσειν ὑπέσχετο, id est, *populo viritim quadringenos nummos daturum se promisit.* Quare *bis* hoc loco, si ita scripsit Augustus, valet 'iterum;' πάλιν. *Id.*

[t] *Iterum ære merui et consul und.*] Assentior viris eruditis, qui corrigendum putant *iterum ære meo viritim consul undecimum.* Id.

[u] *Duodecim frumentationes*] Videtur dicere toto illo anno se privatis sumptibus aluisse turbam frumentantium: nam in anno duodecim frumentationes, id est, frumenti largitiones fiebant. Vide cap. 2. De his gratuitis frumentationibus intelligit Suetonius c. 41. *Id.*

[x] *Priv. col.*] Fac. *coëmpto.* Lips.

[y] *Emensus sum*] Suetonius dict. cap. 'viritim admensus est.' *Casaub.*

[z] *Tribunitia potestate duodecimum*] Is fuit annus U. C. DCCLI. quo rediit Augustus Romam ex itinere Gallico, triennio ante suscepto. Eodem anno ludi votivi pro reditu Augusti a Tiberio Nerone Cos. sunt editi, et Augustus in locum Lepidi demortui Pont. Max. creatus, ludos pontificales ut videtur edidit. Hæ fuere causæ liberalitatis hoc tempore collatæ. Vide Dionem lib. LIV. *Casaub.*

[a] *Qual.*] Puto *qualia.* Lips.

FRVMENTI. . . . NVM.[b] [c] [d] NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. . . . SIA. DVODEVIGINTESIMVM.[e] CONSVL.[f] TRECENTIS. ET. VIGINTI. MILLIBVS. PLEBIS. VRBANAE.[g] SEXAGENOS. SEXAGENOS. DENARIOS. VIRITIM. DEDI.[h] ET. QVINIS. MILITVM MEORVM. CONSVL. QVINTVM.[i] EX. MANIBIIS. VIRITIM. MILLIA. NVMMVM. SINGVLA. DEDI. ACCEPERVNT. ID. TRIVMPHALE. CONGIARIVM. IN. COLONIAS. HOMINVM. CIRCITER. CENTVM. ET. VIGINTI. MILLIA.[k] CONSVL. TERTIVM. DECIMVM.[l] SEXAGENOS.

[b] *Frum. . . . num*] Expleo *medimnum*. Lips.

[c] *Qualimea congiaria frumenti . . . . num*] Conclamatus per me locus, ad cujus lucem, neque nos olim, neque alii post nos efferre quicquam potuimus, quod videatur vel mediocriter probandum. Omnino apparet Ancyranos usos esse in monumento hoc in saxum incidendo opera lapicidæ et negligentissimi et linguæ Latinæ ignarissimi: quod in urbe Asiæ ita accidisse, ubi nulla admodum Latinæ linguæ notitia erat, mirari nemo debet; quum etiam Romæ et in Italia ab id genus hominibus similia persæpe peccarentur. Hæc sunt quæ Cicero appellat 'errata fabrilia' ad Atticum lib. VI. epistola prima. *Casaub.*

[d] *Frumenti . . . . . num.*] Lego cum Lipsio *frumenti medimnum:* sed hæc verba importune huc intrusa sunt: nam oratio ita fuerat continuanda, *Qualia mea congiaria nunquam minus quinquaginta et duo.* Casaub.

[e] *Duodev.*] Erravit sculptor largiter, faciendumque *duodecimum*. Lips.

[f] *Duodev.* [*duodecimum*] *consul*] Hoc anno Caium filium Augustus die tirocinii in forum sollemni cum pompa deduxit: quæ fortasse occasio fuit hujus liberalitatis: nam ita solitum fieri, sequentium principum historiæ docent. Suetonius c. 28. *Casaub.*

[g] *Trecentis et viginti millibus plebis urbanæ*] Hæc fuit frumentantium turba ante Julii Cæsaris recensum et ordinationem, qui ad centum quinquaginta millia eam redegit: ut narrat Sueton. I. 14. Augustus, ut mox sequitur, et Dio testatur, τὸ σιτοδοτούμενον πλῆθος εἰς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε. Verum ad congiarium accipiendum, quam ad frumentationes, major, uti videtur, numerus admittebatur. Fortasse tamen etiam frumentum accipientium ante Augusti constitutionem hic numerus fuit, estque hoc illud πλῆθος ἀόριστον quod vocat Dio lib. LV. *Casaub.*

[h] *Sexagenos denarios viritim dedi*] Tolle alterum *sexagenos*, vel fac *sexagenos senos*, aut *septenos*. Sic Claudius congiarium dedit, τοῖς σιτοδοτουμένοις denarios septuagenos quinos: Dio l. LVIII. *Casaub.*

[i] *Et quinis militum meorum consul quintum*] Intelligit donativum quod dedit post illos tres triumphos, quos egit anno U. C. DCCXXV. Vox *quinis* sine dubio corrupta ex numero militum qui congiarium acceperunt: qui cum expressus non sit ab historicis, jure tantum arbitrario constitui hujus loci lectio potest. Lego autem, *Et quinquag. mill. militum meorum.* Casaub.

[k] *In colonias hominum circiter centum et viginti millia*] Deest verbum. Scribo *millia misi:* vide supra, c. 46. non solum autem numerum deductarum coloniarum annotabant, sed etiam civium qui id beneficium acceperant. Sic in Julio Suetonius: 'Octoginta civium millibus in colonias distributis.' *Casaub.*

[l] *Consul tertium decimum*] Eo anno Lucium filium in forum deduxit, ut biennio ante Caium, sicut modo diximus. *Casaub.*

DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCE DEDI.[m]
EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA.
FVERVNT. AGRIS.[a] QVOS. IN. CONSVLATV. MEO. QVARTO.[b] ET.
POSTEA. CONSVLIBVS. MARCO.[c] ET. CN. LENTVLO.[d] AVGVRE.
ADSIGNAVI. MILITIBVS. SOLVI. MVNICIPIIS. PA . . . ERTIVM.[e]
CIRCITER. SEXGENSIM.[f] ITINERIS. EMIT.[g] QVAM. ROMANIS.
ERAE[h i] . . . NVMERAVI. . . . . QVOD. PRO. AGRIS. PROVINCIA-
LIBVS. SOLVI. VNVS. ET. SOLVS. OMNIVM. QVI. DEDVXERVNT.
COLONIAS. MILITVM.[k] IN. PROVINCIIS. AD. MEMORIAM. AETATIS.
MEAE. FECI. POSTEA. NERONE. ET. CN. PISONE. CONSVLIBVS. ITEM-
QVE.[l] GANTISSIMO. ET. D. LELIO. CONSVLIBVS. ET. L. CANINIO.[m]
ET. Q. FABRICIO. CONSVLIBVS. QVOS.[n] EMERITIS. STIPENDIIS.
IN. SVA. MVNICIPIA. PRAEM .[o] . . PERSOLVI. QVAM.[p] . . . INSEST.

[m] *Acce dedi*] Facio, *accepit*. Lips.

[a] *Agris*] Videtur legendum *Pro agris*. Lips.

[b] *In consulatu meo quarto*] Videtur referendum ad historiam quam refert Suetonius cap. 17. cum Augustus Brundusium venire coactus est, et desideria militum tumultuantium ordinare. *Casaub.*

[c] *Marco*] Intelligit M. Licinium Crassum. *Lips.*

[d] *Consulibus Marco et Cn. Lentulo*] Male sculptum pro *M. Crasso et Cn.* non enim ita scripserat Augustus, ut est expressum. Horum consulatus incidit in annum DCCXI. Vide Dionem lib. LIV. In cujus verbis obscuram harum impensarum Augusti mentionem reperio: *ὁ Αὔγουστος*, inquit, *πολλὰ μὲν ἀναλώσας ὡς ἑκάστοις, πολλὰ δὲ παρ' ἑτέρων λαβὼν ἀνεκομίσθη. Casaub.*

[e] *Pa . . ertium*] Fuit *sestertium*. Lips.

[f] *Circiter sexgensim*] Scribe *circiter sexagiens Im.* hoc est, sexagies et semel centum millibus. ‘Sexagiens’ pro ‘sexagies,’ ea consuetudine scribendi qua ‘totiens, quotiens.’ Quia tamen hic numerus videtur infra modum pecuniæ expensæ in emptionem agrorum, fortasse scribendum *sexcenties*, aut *septingenties I.* Casaub.

[g] *Itineris emit*] Nihil hic video quod ad verborum restitutionem: sententiam quidem satis certo assequi mihi videor: commemorat enim agros a se militibus suis emptos, partim de municipiis, partim de ipso pop. Rom. qui, ut videtur, agros publicos nondum divisos aliquos habuit. Hos Augustus veteranis et legionariis suis divisit, et pretium illorum prætoribus qui ærarium administrabant numeravit. Hoc ni fallor Augustus voluit: sed videntur omissa quædam verba. *Emi* saltem legendum, non *emit*. Casaub.

[h] *Romanis. . . . eræ*] Aliorum descriptio habet *præ*, quod firmat emendationem Lipsii *prætoribus*. Sed an ita loquutus Augustus Romanis prætoribus? non videtur; potius *Romæ* scripsisse eum putem. *Casaub.*

[i] *Eræ . . .*] *Prætoribus*, exple. Nam hi tunc ærario præerant, *Lips.*

[k] *Qui deduxerunt colonias militum*] Ut Sulla, Julius Cæsar, et triumviri: coloniarum militarium meminit Velleius lib. priore. *Casaub.*

[l] *Itemque*] *C. Antistio* reponito. *Lips.*

[m] *Et L. Can.*] Horum alter hodie non in Fastis, et male hunc *C.* prænominant. *Lips.*

[n] *Cons. quos*] Expleam *militibus*. Lips.

[o] *Præm . . .*] Malim *remisi*. Lips.

[p] *Quam*] Fuit *quam in rem*. Lips.

MILI. . . . . IMPENDI.
QVATER. AVI. AERARIVM.[q] [r] ITA. VT. SESTERTIVM. MILLIA.
. . . . QVINGENTA.[s] DED . . . . . RAVI. AERARIO. DETVLI. . . .
QVOD. EX. CONSILIO. . . . . MILITIBVS.
QVIN. . . . .
. . . . MERVISSENT. HS. MIL. . .
. . . . O. DETVLI. .
. . . . CN. P. LENTVLO.[t] .
VLES. FVERVNT. CVM. D. . . . . CERENT. . . . CENTVM.
MILLIBVS. HOMINVM. . . . . . . O. . FRV. . . . . . .
. . . .

Opposito latere.

SERIES I.

CVRIAM. ET. CONTINENS. ET.[a] CHALCIDICVM.[b] TEMPLVMQVE.
APOLLINIS. IN. PALATIO. CVM. PORTICIBVS.[c] AEDEM. DIVI. IVLII.
LVPERCAL. PORTICVM. AD. CIRCVM. FLAMINIVM. QVEM. SVM.
APPELLARI. PASSVS.[d] EX. NOMINE. EIVS. QVI. PRIOREM. EODEM.
IN. SOLO. FECERAT. OCTAVIANI. PVLVINAR. AD. CIRCVM.
MAXIMVM. AEDES. IN. CAPITOLIO. IOVIS. FERETRI. ET. IOVIS.
TONANTIS.[e] AEDEM. QVIRINIS.[f] AEDES. MVNDO. ET. IVNONIS.[g]

[q] *Avi ærar.*] Anne *administravi?* Lips.

[r] *Quater . . . avi ærarium*] Lego *Quater levavi ærarium,* aut *sustentavi:* vult dicere quod Dio in actis anni DCCXXVI. initio lib. LIII. ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. 'Levare ærarium,' pro inopiam ærarii levare, breviter et eleganter dictum. *Casaub.*

[s] *Sestertium millia. . . . . . quingenta*] Scripserat fortasse, *millies et quingenties.* Casaub.

[t] *Cn. P. Lent.*] Intelligit duos Lentulos una consules, an. DCCXXXVI. *Lips.*

[a] *Continens et*] Dionem vide LI. in actis anni DCCXXV. *Lips.*

[b] *Curiam et continens et Chalcidicum*] Dio in quinto Augusti consulatu lib. LI. ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τό, τε Ἀθήναιον, καὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον καθιέρωσε hoc ædificium postea Domitianus refecit, ut est auctor Eusebius in Chronico, ad numerum MMCV. ubi de Chalcidico plura beatæ memoriæ vir, Josephus Scaliger, ὁ πάνσοφος. *Casaub.*

[c] *Cum porticibus*] Ex isto loco scribimus apud Suetonium cap. 29. quod fugit nos monere, 'Addit porticus cum bibliotheca Latina Græcaque:' sic codd. Memmianus, Viterb. et Groslotii, non ut vulgo *Addita porticus.* Id.

[d] *Porticum ad circum Flaminium, quem sum app. p.*] Leve mendum falsi notam Augusto inurit. Lege *quam:* et de porticu Cn. Octavii accipe, quam refecisse ait, et sivisse appellari veteri nomine. Ea fuit regione urbis nona ad Circum Flaminium, ut hic Augustus narrat, et confirmat P. Victoris descriptio. Scribo deinde *Octaviam,* non *Octaviani:* pulvinar Octaviani nusquam legi; nec puto sic accipiendum. *Id.*

[e] *Ædes in Capitolio Jovis Feretri et Jovis Tonantis*] Hanc fecit primus, Suetonius, Dio: illam vetustate di-

. . . . ET. IOVIS. LIBERTATIS. IN. AVENTINO. AEDEM. LARVM.
IN. SVMMA. SACRA. VIA. AEDEM. DEVM. PENATIVM. IN. VELIA.[h]
AEDEM. IVVENTATIS. AEDEM. MATRIS. MAG. DEIAE. IN. PALACIO. FECI.
SERTORIVM.[i] ET.[k] POMPEIVM. THEATRVM. VTRVMQVE.
OPVS. IMPENSA. GRANDI. REFECI. SINE. VLLA. INSCRIPTIONE.
NOMINIS. MEI. RIVOS. AQVARVM. COMPLVRIBVS. LOCIS. VETVSTATE.
LABENTES. REFECI. ET. AQVAM. QVAE. MARIA.[l] APPELLATVR.
DVPLICAVI. FONTE. NOVO. IN. RIVVM. EIVS. IMMISSO.[m] FORVM.
IVLIVM. ET. BASILICAM. QVAE. FVIT. INTER. AEDEM. CASTORIS.
ET. AEDEM. SATVRNI. CAEPTA. PROFLIGATAQVE. OPERA. A.
PATRE. MEO. PERFECI. ET. EANDEM. BASILICAM. CONSVMMATAM.[n]
IN. . . . . AMPLIATO. EIVS. SOLO. SVB. TITVLO . . . . NOMINIS.[o]
FILIORVM.[p] . . . . VIVVS. NON. PERFECISSEM. PERFECI. AB. HAE-
REDIBVS.[q] . . . . VIRGINE. EXEMPLVM. DEVM. IN. VRBE. CONSV. . . .
FECI. FLVVIO. PRAETERMISSO. QVOD. TEMP. . . . . ET . . . .
VLTORIS. TEMPLVM. QVORVMQVE.[a] AVGVSTVM. ET. TEMPLVM.
APOLLINIS. IN. SOLO. MAGNAM. PARTEM. . . .[b] EMTO. FECI.

lapsam refecit, Livius libro quarto. *Id.*

[f] *Ædem Quirinis*] Barbare pro *Quirini.* Dio in actis anni DCCXXXIX. τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν καθιέρωσεν ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας. *Casaub.*

[g] *Junonis . . .*] Forte *Minervæ*, quia jungi hæc tria numina Romanis solita. *Lips.*

[h] *Ædem Deum Penatium in Velia*] Hanc quoque refecit non fecit. Dionys. Hal. lib. I. loquens de penatibus, νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω, κατὰ τὴν ἐπὶ Καρίνας φέρουσαν ἐπίτομον ὁδὸν ἱδρυμένος, ὑπεροχῇ σκοτεινὸς, οὐ μέγας. λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν Οὐέλιαι τὸ χωρίον· ita scribi debet hic locus: nam olim falsus sum, cum ex vulgata lectione corrupta ὑπελαίαις, emendabam ὑποπαλαίαις: nihil quidem inepti continet ea conjectura, ut illa fatua quorundam et vesana hariolatio, quam refutabamus: vera tamen non est. Varro, de Vita Populi Rom. lib. XIII. 'Tullium Hostilium in Veleis, ubi nunc est ædes Deum Penatum.' Meminit etiam Festus, in voce 'Mutium.' *Casaub.*

[i] *Sertorium*] Legò *Diribitorium*: quod mirandum ædificium ab Agrippa inchoatum, perfecit post illius obitum Augustus, et publicavit, sine ulla nominis sui inscriptione: lege Dionem in anno DCCLVII. lib. LV. Hoc nisi est, putem intelligi aliquam ex astructis ædibus Pompeiano theatro, de quibus fecimus mentionem ad cap. 31. Ea ædificia sæpe incensa, sæpe restituta. Velleius de Tiberio: 'Quam magnifico animi temperamento, Cn. quoque Pompeii munera absumpta igni restituit.' *Casaub.*

[k] *Sertorium et*] Plane non capio. *Lips.*

[l] *Maria*] *Martia.* Lips.

[m] *Duplicavi, fonte novo in rivum ejus immisso*] Julius Frontinus de Aquæductibus Urbis Romæ: 'Augustus in supplementum Martiæ quoties siccitates agerent, auxilio aliam aquam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Martiæ rivum, quæ ab inventore appellatur Augusta.' *Casaub.*

[n] *Consummatam*] Esse debeat *consumptam incendio, ampl.* Lips.

[o] *Nominis*] Puto C. et *L.* Lips.

[p] *Filiorum . . .*] *Cum.* Id.

[q] *Hær. . . .*] *Aqua.* Id.

[a] *Quorumque*] *Forumque.* Id.

[b] *Partem. . .*] *A me.* Id.

QVOD. SVO.[c] NOMINE.[d] M. MARCELLI.[e] VENERI. . . . . . MANIBVS. IN. CAPITOLIO.[f] ET. IN. AEDE. DIVI. IVLII. ET. IN. AEDE. APOLLINIS. ET. IN. AEDE VESTAE. ET. IN. TEMPLO. MARTIS. VICTORIS.[g] CONSECRAVI. QVAE. MIHI. CONSTITERVNT. CIRCITER. MILLENIS. AVRI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. QVINQVE. MILLIVM.[h] MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBVS. AC.[i] TRIVMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI.[k] ET. POSTEA. QVOTIESCVNQVE. IMPERATOR. M. . . . AVRI. CORONARIVM. NON. ACCEPI.[l] DECERNENTIBVS. MVNICIPIIS. . . QVAE. ANTE. DECREVERAM.

c *Suo*] *Sub*. Lips.

d *Quod suo nomine*] Quo refertur istud *quod?* manifestissime deest in fine superioris versus aliquid. Lego totam sententiam hoc modo, *Theatrum quoque sub nomine M. Marcelli generi ex manubiis.* Suetonius: 'Quædam opera sub nomine alieno fecit, ut theatrum Marcelli:' repete ex proximo, *feci*: nam ut alii describunt nobis hoc marmor, minimum intervallum relictum est vacuum ante vocem *manibus*: quod eo libentius amplector, quia necessario post hanc dictionem apponenda alia est: aperte enim sequentia manca sunt et claudicant. *Casaub.*

e *Marcelli, &c.*] Restituo hæc: *generi dedicavi e manubiis.* Lips.

f *In Capitolio*] Scribe *dona in Capitolio.* Casaub.

g *Victoris*] *Ultoris.* Lips.

h *Quæ mihi constiterunt circiter millenis auri coronari pondo, triginta quinque millium*] Donaria Augusti partim ex auro conflata erant, partim margaritis gemmisque maximæ indicaturæ ornata. Utrumque hic ab eo fuerat expressum: et auri inquam, pondus, quod in ἀναθήματα impendisset, et pecunia qua constarent, tum manupretium, tum ornamenta alia. Auri ait fuisse circiter mille pondo; reliquam impensam triginta quinque millium: hæc vero summa depravatissime et ineptissime notata est: taceo quod Latinitas eam lectionem non patitur. Omnino scripserat Augustus, *XXXV. HS.* quod est *tricies quinquies HS.* Faber sculptor, vel is potius qui Romæ descripsit, et in numerorum interpretatione peccavit insulse, et in nota *HS.* quam putavit millenarii numeri esse indicem. Stabilimus hanc nostram et emendationem et interpretationem auctoritate Suetoniani loci, qui isti plane geminus est, cap. 30. 'Ædes sacras opulentissimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties HS. una donatione contulerit.' *Casaub.*

i *Ac*] *An.* Lips.

k *Remisi*] Hoc ipsum Dio notat in isto ipso consulatu, LI. *Lips.*

l *Quotiescunque Imperator M . . . . auri coronarium non accepi*] Lego *quotiescunque Imperator sum appellatus, aurum coronarium non accepi.* Moris veteris fuit, ut quotiescunque duces exercituum re feliciter gesta Imperatores salutarentur a suis, provinciæ et sociæ civitates ac reges dono darent illis coronas aureas, vel auri tot pondo: quod appellatum est 'aurum coronarium.' Sub Impp. retenta est consuetudo: nam illi toties salutabantur Imperatores quoties ipsorum auspiciis hostis insigni clade afficiebatur: vide quæ notamus ad I. 76. et salutato aurum coronarium ex ritu offerebatur, non solum a provincialibus sed etiam ab Italiæ coloniis et municipiis: a quibus se non accepisse gloriatur Augustus. Dio in quinto consulatu Augusti, lib. LI. παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον

TEMPVS. DEFVNCTARVM. AFRICANARVM.[m]
MEO. NOMINE. AVT. FILIORVM. MEORVM.
ET. NEPOTVM. IN. CIRCO. . . . AVT. IN. FORO. AVT. IN.
AMPHITHEATRIS. POPVL. . . . QVIBVS. CONFECTA. SVNT. BESTIARVM.
CIRCITER. TRIVM. MILLIVM. ET. QVINGENTA. NAVALIS. PRAELII.
SPECTACVLVM. POPVL. . . .[n] LIBERVM. IN. QVO. LOCO. NVNC.
NEMVS. EST. CAESARVM. CAVATO. . . .[o] LONGITVDINE. MILLE.
ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITVDINE. PEDES. DVCENTI.
IN. QVO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMESQVE. PLVRIMAE.[p]
. . . RVMORES. INTER. SE. CONFLIXERVNT. . . . . RVNT.[q]
PRAETER. REMIGES. MILLIA. . . . CIRCITER. . . . .
IN. TEMPLIS.[r] OMNIVM. CIVITATVM. P. . . . . . ET.[s] ASIAE. VICTOR.
ORNAMENTA. REPOSVI. QVAE. SPOLIATIS. TEMPLIS. . . .[t] PRIVATIM.
POSSEDERAT. STATVAE.[u] . . . . . QVADRAGENIS.[x] ARGENTEIS.
STETERVNT. IN. VRBE. AC. CIRCITER. QVAS. IPSE. SVSTVLI. EX.

τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο. Simile est quod narrat Spartianus de Hadriano: 'Aurum coronarium Italiæ remisit, in provinciis minuit:' idem esse factum aliquando et a Juliano testis Ammianus Marcellinus. *Casaub.*

[m] *Tempus defunctarum Africanarum*] Non solum corrupta sunt ista, sed etiam mutila, et perturbata, sententia tamen non obscura: narrat enim magnificentiam suam in venationibus exhibendis; qua de re libro singulari plura, ubi hunc locum tractamus. Fortasse autem scripserat Octavius, *Spectacula amplius mille ducentarum Africanarum:* ut in unam summam contrahatur numerus Africanarum, ad populi voluptatem exhibitarum: quem quidem numerum vereor ne justo minorem longe faciam; cum certum sit, unis aliquando ludis sexcentas Africanas Augustum exhibuisse: ut in commissione ludorum quibus Marcelli theatrum dedicabat. Dio lib. LIV. κἀν τῇ πανηγύρει τῇ διὰ τοῦτο γενομένῃ, καὶ θηρία Λιβυκὰ ἑξακόσια ἀπεσφάγη. *Casaub.*

[n] *Popul....*] E Suetonio legam *Populo exhibui ad Tiberim in quo loco.* Lips.

[o] *Cavato ...*] *Solo in.* Lips.

[p] *Plurimæ ...*] Lego, *Præter minores, inter.* Lips.

[q] *....runt*] *Ceciderunt*, vel *occubuerunt.* Lips.

[r] *In templis*] Pridem quo ista pertinerent indicavimus ad lib. XIII. Strabonis: notat diligentissimus ille scriptor de quibusdam signis furto Antonii sublatis, ab Augusto restitutis. Plinius quoque XXXIV. 8. 'Fecit Myro et Apollinem, quem a triumviro Antonio sublatum restituit Ephesiis divus Augustus, admonitus in quiete.' Exemplum hujus æquitatis a P. Scipione, quem Siculis ablata signa et Romam illata restituisse Plutarchus scribit in Apophthegmatis: Εὑρὼν, ait, τὴν πόλιν ἀνδριάντων Ἑλληνικῶν καὶ ἀναθημάτων ἀπὸ Σικελίας μεστὴν οὖσαν ἐκήρυξε τοὺς ἀπὸ τῶν πόλεων παρόντας ἐπιγνώσκειν καὶ κομίζεσθαι. *Casaub.*

[s] *P........ et*] Anne fuit *Peloponnesi et?* credo. Ea enim loca maxime vastavit Antonius. *Lips.*

[t] *Templis....*] Expleo *Antonius:* furta enim ejus et sacrilegia notat. *Lips.*

[u] *Statuæ*] Adi cap. 52. de iis enim statuis intelligit Augustus, de quibus ibi Tranquillus. *Casaub.*

[x] *Stat... quadragenis*] Hæc legam, *Plures quadringenis argenteæ.* Lips.

QVA. DE. PECVNIA. DONA. AVREA. IN. AEDEM. APOLLINIS. MEO. NOMINE. ET. FILIORVM. QVAE.[y] MIHI. STATVERVNT. HONOREM. HABVERVNT. POSVI.

II.

MARE PACAVI. A. PRAEDONIBVS.[a] . . . . . DOMIBVS. . .
. . . . . . SVIS. . . . CONTRA. REM.[b] . . .
. . . . . . DOMINI. . . . .
. . . .
. . . .

III.

REGIS PARTHORVM.[c] . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
A. ME. GENTES. . . THORVM. ET. MEDORVM.[d] . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
IN. CONSVLATV. . . . .

Cætera quoque corrosa et corrupta.

[y] *Filiorum quæ*] Lego *illorum qui.* Lips.

[a] *Mare pacavi a prædonibus*] Vide ad illa cap. 98. 'per illum se vivere: per illum navigare.' *Casaub.*

[b] *Contra rem*] Puto hæc fuisse de servis, quos coërcuit, ne contra rem famamve domini venirent, ut audirentur. *Lips.*

[c] *Regis Parthorum*] Pertinet ad missos obsides, et reddita signa a Parthis, quæ M. Crasso et M. Antonio ademerant. Nota historia: supra cap. 21. *Casaub.*

[d] *A me gentes .... thorum et Medorum*] *Parthorum et Med.* loquebatur de Parthis et Medis qui regem ab ipso petierunt. Strabo, Tacitus, Suetonius, Dio, alii. *Casaub.*

Clusius amicus noster de hoc lapide sic ad me scripsit:

'Antonii Verantii, Archiepiscopi Strigoniensis exemplar (quod, dum Cæsarei legati munere apud Turc. Imp. fungeretur descripsit) sequutus sum, uti ab ejus nepote Fausto Verantio (qui nunc supremus Ungariæ secretarius est) accepi anno 1576. propterea versuum in singulis paginis numerum, characterum formam, vocabulorum divisiones, atque interdum repetitiones, ut in ipsius exemplari erant, observavi, existimans expressum esse ad normam tabularum quæ Ancyræ sunt. Verum alterum

exemplar quod apud D. I. Sambucum postea vidi, nullum versuum numerum, nihil quidquam simile observatum habere deprehendi. Anno autem 1584. proficiscenti Constantinopolim, U. C. Lewenclawio cum Mag. D. Henrico de Liechtenstain Cæsareo legato, Verantii exemplar dedi, ipsum pro nostra amicitia obnixe orans, ut si per occasionem Ancyram proficisceretur, diligenter cum Tabulis illis conferret, et an per omnia responderet, observaret. Ille quidem, ob gravem legati morbum, quo etiam istic extinctus est, id præstare non potuit: sed binos nobiles Germanos Byzantii invenit, qui superiore hyeme Ancyræ fuerant, et quæ in Tabulis incisa diligenter exceperant. Cum iis contulit Verantianum exemplar, per omnia respondere deprehendit, nisi quod pro *collega*, serie II. versu 3. *conlega* habuerunt, et in continuatione 1. seriei opposito latere versu 10. *quotiescumque* pro *quociescumque*. Alioqui eorum exemplar minus integrum fuit Verantiano: corrumpuntur enim quotidie Tabularum characteres Turcarum militum insolentia; præsertim cum Christianos eas inscriptiones excipere conspiciunt, quod binis illis nobilibus Germanis describentibus accidit.

'Cum illustris heros Augerius Busbequius Viennæ ageret, meo rogatu omnes schedarum fasciculos evolvit, ut Ancyranarum Tabularum exemplar ab ipso, dum Cæs. legatus ad Turc. Imp. esset, exceptum, inveniret, quod mihi traderet, sed frustra: postea enim succurrit, id alicui, cujus nomen excidisset, mutuo datum, et non restitutum. Illius sane exemplar eo libentius habuissem, quoniam minus mendosum existimassem quam reliqua.' *Casaub.*

CAP. II. § 1 *Annis viginti tribus*] Sueton. Tib. c. 73. Tacit. Annal. lib. VI. extremo: ubi et de Tiberio summatim quædam. *Schott.* Ita vet. cod. Alii *viginti quatuor* numerant. Vide Eutropium nostrum de his temporibus, sicubi hæres. *Vinet.*

§ 2 *Quia Claudius Nero*] Ita excusi omnes: adde ex Mss. et Veronensi *Tiberius:* cui *Biberius* altera ex parte respondeat. Nero autem lingua Sabina 'fortem' significat. Suet. c. 1. et Agellius Noct. Attic. XIII. 21. 'Caldius' vero, quod calidis potissimum potionibus Romani veteres delectarentur. Hinc Thermopolia 'Plautina.' Lege Suet. Tiberio c. 42. *Schott.*

Caldius Biberius Mero] Ad hujus joci similitudinem similem elegantiam captat Raderus ad Martial. Epigr. I. 35. p. 117. sed vix credo eum viris doctis satisfacere. Largiori cum fructu consules Vossium Inst. Orat. v. 5. num. 1. *Arntz.*

§ 3 *Satis prudens in armis*] Suetonius capp. 9. 16. 17. 19. et 21. *Schottus.* Nescio mox quid velit sibi Leid. 1. cum scribat *ante susciperet inperium;* nisi fuerit *ante, quam susciperet;* sed potius videntur talia ex glossemate esse nata: inf. capp. 6. et 39. § 1. 'Donec inperium sumeret.' Sulp. Severus Hist. Eccl. I. 41. § 3. 'Voluntate populi, ut supra retulimus, sumsit inperium.' Justin. XXXVIII. 8. § 1. 'Post annos tres et viginti sumti regni.' *Arntz.*

§ 4 *Inerat scientia litterarum*] Tranquillus cap. 70. et 71. Mathematicæ quoque addictus c. 69. De eloquentia Tacitus Annal. l. XIII. 'Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet tam validis sensibus, aut consulto ambiguus: clarior tamen eloquio Germanicus, Tiberii adoptione filius, Claudii Imp. frater.' Idem Tacit. Annal. lib. II. extremo, et Suet. initio Caligulæ. *Schottus.* Sed addit uterque Lugd. et Guelf. *Arntz.*

Ingenio pessimo, truci] Sueton. cap. 46. et deinceps: rursum cap. 57. et 61. Eutrop. et Oros. lib. VII. *Schott.*

Simulans ea se velle quæ nollet] Leid.

2. *insidiose simulans*, qui mox etiam non male pro *infensus* malebat *infestus*. Nota quidem distinctio inter has voces, neque tamen ea perpetua est, sed 'infestus' solet etiam pro 'infenso' accipi. Livius III. 65. 'Trebonius tribunus plebis infestus Patribus.' Epitoma lib. XLVIII. 'Id nuntiantes infestum jam senatum Carthaginiensibus, infestiorem fecerunt.' Severus Ætna vs. 52. 'Provocat infestus cunctos ad prælia Divos.' Aldina etiam ed. legit *infensus*. Nepos Hamilc. c. 3. 'Fidenti animo atque infesto Romanis.' Seneca in Hercule Fur. vs. 1013. 'Nullus salutis Herculo infesto est locus:' sic optime cod. Etruscus, firmante illud altero cod. Traject. pro *irato*, quas voces ideo jungit Livius XLII. 9. 'Legionibus extemplo Pisas in hybernacula missis, iratus Patribus, infestus prætori.' Adde IV. 53. Justin. XXXV. 1. § 2. Sueton. in Cæsare cap. 19. et Tiberio cap. 13. Hygin. Fab. CLXVI. Lactant. de Mort. Pers. cap. 20. et alios. Ita recte pro irato dixit Ovid. Ibide, vs. 471. 'Aut Jovis infesti telo feriare trisulco.' Nihil tamen auctoritate unius codicis apud Nostrum erit in textu mutandum, cum et edita lectio possit esse vera, et sic exstet supra apud auctorem de Cæsaribus. *Arntz*.

§ 5 *Repentinis responsionibus*] Etiam in stylo 'ex tempore quam a cura præstantior habebatur.' Sueton. c. 70. Moriens tamen Augustus dicebat 'miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis esset futurus.' *Schott*.

§ 6 *Delatum a Patribus*] Vetus cod. *incidere in exitia*. Vinet. Tranquillus capp. 24. et 25. *Schott*. Legendum *incidere*; utique cum sic restet in Mss. Schotti et vet. edd. *Grut*. Leid. 1. habet *incidere in exitia*, male factum, quia ignorabat hoc verbum ab illius ætatis hominibus construi cum quarto casu absque præpositione. Quinctil. Decl. CCCXXXIII. 'Alioqui nemo est, qui non calumniæ genus possit incidere:' ubi frustra præpositionem immittit vir doctus. Tacitus Hist. III. 29. 'Ad præsens disjecit obruitque, quos inciderat.' Symmachus Epist. VII. 89. 'Ne incidat invidiam contumaciæ:' ibi nihil facilius esset, quam reponere *in invidiam*: sed aliud suadet stylus illius scriptoris, qui eod. lib. epist. 38. 'quid amaritudinis incidissem' dixerat, et lib. VIII. epist. 2. 'Captum leporem gloriatus, aprum serviles manus adseris incidisse.' Aliquoties ita loquitur Appuleius in Metamorphosi (in reliquis enim libris legere non memini) ut lib. II. p. 120. 'Fortunam scævam an sævam verius dixerim miser incidit:' et paullo post, 'Tam diram immo vero Ulyxeam peregrinationem incidant.' l. VI. p. 176. 'Quod meas potissimum manus incidisti:' ibi etiam sine ulla vi legi posset *in manus*, si talia ubique et apud quemcunque scriptorem essent adhibenda. Eod. iterum lib. p. 179. 'Proximam convellem latenter incidebat:' et IX. p. 227. 'Asini faciem timentem familiarem incidi.' Conferatur Munckerus ad Lactant. Narr. Fabul. p. 195. et 282. Ex his jam patet, quam secure viri docti secuti sint Lambin. apud Lucret. lib. IV. vs. 571. ubi omnes Mss. 'At quæ pars vocum non aures incidit ipsas.' Ille reponebat *accidit*, malo exemplo. *Arntz*.

§ 8 *Cappadocas*] Et apud Sueton. et Corn. Tacitum libro secundo, 'Marobodum' et 'Maroboduum' imprimunt, quem quatuor tantum syllabis *Marobodum* vetus liber appellat. Originis autem non diversæ, ut suspicor, fuit *Marobaudes*, nomen ejus magistri militum, qui Gratianum Augustum prodidit apud Parisios. *Vinet*. Suet. cap. 37. extr. ubi et de 'Maraboduo' Germano, quem 'Marabodum' scribunt Cujacii et Pithœi codd. Mss. *Marobodum* vero Floracen. Accidere hæc A. U. C. DCCLXX. de his lege

Tacitum Annali, lib. II. ubi Archelaum quinquaginta jam annos in Cappadocia regnasse scribit. *Schott.*

§ 9 *Noxios suos*] Τὸ *noxios* redundat, et abest a Mss. et nova ed. recte. Veronensis vero *et noxios.* De crudelitate Tiberii Sueton. c. 50. usque ad c. 68. *Schott.* Haud temere abjecerim illud *noxios*, uti aliis placet: ita enim videtur dictum, quemadmodum Sallustio Catilinæ cap. 51. § 3. 'Post ubi paullatim licentia crevit, juxta bonos et malos libidinose interficere.' Ita et Noster infra cap. 13. 'Is dum persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosque,' &c. *Grut.* Leid. 1. et Guelf. *insontes et noxios*, quod eo præferam, quamvis et illud ferri possit, quod Leid. 2. et editi sine copula *insontes, noxios.* Et ita volebat, quod ex Historia Miscella ad Eutropium VII. 11. adfert Havercamp. Hoc loco merito judicium Schotti desidero. *Arntz.*

Resolutis] Corrupta autem disciplina militaris per Pisonem largitione, ambitu, licentia, absente Germanico. Tacitus Annal. libb. II. et III. sæpius. Lege Sueton. c. 41. *Schott.* Non video quid tantopere intersit, cum composita hæc vox centies notione simplicis sumatur. Tacitus Hist. I. 51. 'Disciplinam, quam in pace inexorabilem discordiæ civium resolvunt.' *Arntz.*

§ 10 *Septuagesimum octavum*] Sic Tacitus extremo VI. Annali, et Sueton. c. 73. sine mensibus. Mss. duo et Veronensis legunt *post octogesimum octavum annum.* Cujacii vero scriptus codex *post octogesimum annum.* Novus Victor, vel potius vetus verusque *octogesimum uno minus* illi tribuit. Eutropius Eliæ Vineti *LXXXIII.* nisi mendum est typographi. Nata varietas ex notis quibus numeri exprimuntur: quæ res infinitis auctorum veterum locis corrumpendis ansam dedit. Mortuus autem 'tertio et vicesimo Imperii anno, decimo septimo Kal. April. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino Coss.' qui est, ut puto, U. C. IↃCCXC. Tacitus Annali lib. VI. et Sueton. c. 73. cap. ubi Coss. nomina, quia corrupte leguntur, ita ex antiquis inscriptionibus, Corn. Tacito, et Fastis Capitolinis restituenda. *Schott.*

Insidiis Caligulæ] 'Dato a Caio lento ac tabifico veneno.' Suet. ibidem et Calig. c. 12. Tacitus lib. VI. Annali extremo: 'Interclusa anima traditus est mortalitatem explevisse.' *Schott.*

Exstinctus est] Miseni in villa Lucculliana. Sueton. capp. 39. 73. et 75. et Tacit. Annali lib. VI. In 'Campania, omnium gaudio,' Eutropius lib. VII. *Schott.* De villa Misenensi post historicos vide commentaria ad Phædrum II. 5. *Arntz.*

CAP. III. § 1 *Annos quatuor*] 'Vixit annos viginti novem, imperavit triennio et decem mensibus, diebusque octo,' Sueton. c. 59. 'Natus annis quinque et viginti mensibus quinque et diebus quatuor exceptis, inperium arripuit,' Xiphilinus ex Dione. *Schottus.* Et Auctor de Causs. Corrupt. Eloq. c. 17. *Arntz.*

§ 2 *Iste filius Germanici*] Ita vulg. Mss. et Veronens. excusus, *Iste filius fuit Germanici, et quia.* Et mox, *id est, Caligula sortitus est* Τεχνικῶς, ut dialecticorum filii loquuntur. De cujus nominis caussa Tacitus Annali I. I. Sueton. capp. 8. 9. et 22. initio, et cap. 52. Caligam Dio lib. XLVIII. στρατιωτικὸν ὑπόδημα vocat, unde 'caligatus' militis epitheton factum Jur. Cons. et Suetonio Augusto cap. 25. Vitellio cap. 7. extremo. Vespasiano c. 8. *Schott.* Mox Leid. 2. *Cognominatus est Calligula h. est calciamentum militare;* sed male; ipsum enim calceamentum 'caliga' dictum, unde nomen 'Caligula.' Sidonius Carm. VII. 105. 'Et caligas Caii, Claudi censura secuta est.' Sen. de Const. Sap. c. 18. viri docti ad Sen. de Benef. V. 16.

et multi: scripsi tamen *Caligula* cum Guelf. et Leid. 1. *Arntz.*

§ 3 *Ante principatum*] Lege Sueton. capp. 13. 14. et 15. *Schott.*

Dominum] Nam se Dominum, inviso ea tempestate nomine, jusserat appellari, ut et consulari dominatione regis nomen odiosissimum Pop. Rom. fuit. Tranq. c. 10. sic jactatum fuisse ait; 'nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse.' *Schott.*

§ 4 *Tres sorores*] 'Agrippina, Drusilla, Livilla,' Sueton. capp. 7. et 24. 'ex una etiam filia incestu nata est,' Eutrop. lib. VII. *Schott.*

§ 5 *Habitu Deorum*] 'Jovis, Veneris, Neptuni, Mercurii, Bacchi, Herculis,' Sueton. capp. 22. et 52. et Dio. *Schott.*

§ 6 *Quia juvat*] Tacitum Annal. lib. III. est imitatus: 'Præcipuum,' inquit, 'munus annalium reor, ne virtutes sileantur: utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit.' Et sane is est historiæ fructus uberrimus, ut ex aliorum erratis discamus in melius vitam moresque ad bene beateque vivendum componere. Lege elegantissimam epistolam Plinii lib. IX. quæ est XXVII. *Schott.*

Ut inprobi saltem famæ metu talia declinent] Non postremus profecto historiæ fructus absterrere malos ab improbitate solita, metu infamiæ, non tam præsentis, quam postumæ. Tacitus III. 65. ubi nos plura. Addatur ejusdem auctoris XIV. 64. finis. *Grut.*

§ 7 *Matronas nobiles*] Sueton. c. 41. et Xiphilinus. *Schott.*

§ 8 *Primus diademate capiti*] Τὸ *capiti* afuit a libris calamo exaratis, et qui cum his fere conspirat, Veronensi cod. optimo. Atqui Suetonius imposuisse negat, sed amicorum suasu deterritum; Dei tamen Dominique nomen assumpsisse, c. 22. et Vitellio c. 2. Eusebius vero Chronicis Domitianum Domini Deique nomen primum vindicasse affirmat. Vide infra capp. 23. et 50. Ubi sui oblitus auctor Aurelianum Inperatorem primum apud Romanos diadema capiti innexuisse scribit. *Schott.* Alter etiam Victor dicit tantum tentasse *capiti* adnectere diadema, quare et hic eleganter ex genio linguæ additum fuerat, faventibus multorum testimoniis. Livius Epit. lib. CXVI. 'Diadema capiti suo impositum in sella reposuit.' Velleius II. 59. § 6. 'Veluti coronam tanti mox viri capiti inponens.' Seneca Thyeste vs. 544. 'Inposita capiti vincla venerando gere.' Justinus IX. 7. § 10. 'Pausaniæ capiti coronam auream inposuit.' Latini Pacati Paneg. c. 45. § 2. 'Quisquis inponere capiti diadema meditabatur.' Amm. Marcell. XIV. 11. 'Capiti Coracis aurigæ coronam inposuit.' Guntherus Ligurinus de Gest. Barb. lib. I. vs. 446. 'Inposuit capiti gestamina regia sacro.' Sed qua auctoritate eam vocem hoc loco admiserit, nos quidem ignoramus, cum in nullis Mss. neque antea editis inveniatur, et usu multo frequentiori simpliciter adhiberi soleat. Vide etiam Spanhem. de Usu Num. diss. XII. p. 388. *Arntz.*

§ 9 *In spatio*] [Vide Lectt. Var.] Sic fere Sueton. c. 19. Xiphilinus ex Dione: 'In mari,' inquit, 'equitare cupiebat ponte inter Puteolos et Baulos facto, qui locus oppositus civitati distat ab ea amplius tria milia pass.' Tranquill. vero sinum Puteolanum trium millium et sexcentorum fere passuum intervallo patuisse: non ut Dio, ab Urbe quem ponte, Xerxis exemplo, straverit. Assentior itaque Lævino Torrentio viro doctissimo, qui *ad Puteolanas moles* legendum censet potius quam *et Puteolanas moles.* Quem autem 'aggerem terrenum' Suetonius vocat, noster 'arenæ aggestum:' quare tentanda lectio non est. Hunc vide

et cap. 32. Calig. rursum cap. 52. de Alexandri thorace, quem Xiphilinus in hoc specioso triumpho induere solitum refert. Non celabo Veronensem ed. *curuli jugo decucurrit*, et Augustan. cod. *quasi triumphantis* legere, et supra *arenæ adgestæ, terræ speciem*. Seneca videndus lib. de Brevitate Vitæ cap. 18. quo loco et ægre illi est quod vidit et Torrentius: cui medicinam facere posse video, si, quod est in vulgatis etiam optimis, *gratissime* in *gravissime* commutem, et pro *potens, pontes* reponam. Ms. tamen qui apud me est *potens navibus jugis* disertim scribit. Cum dicit 'quod decedebat populo Romano superstite,' alludit ad illam vocem tyrannicam, 'Utinam populus Romanus unam cervicem haberet.' Suet. c. 30. Non dissimilis est illa Neronis, nec minus exsecranda, apud Sueton. c. 38. Neron. et Senecam quoque lib. II. de Clementia, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ, *me mortuo vel terra igni conflagret*. Schott. Illa inmutatio Schotti, quasi voces *phalerato equo insignis quercea corona quasi triumphans* conjungendæ essent, stare minime potest, cum nec *equo*, neque *quercea corona* triumpharent, sed *laurea*, uti sciunt tirones. Claudian. in Eutrop. I. 503. 'Illustrat servilis laurea Crassum.' Et Consul. Stilic. II. 20. 'Ipse albis veheretur equis, currumque secutus Laurigerum.' Potius *quasi triumphans* referendum est ad aureum paludamentum, et tamen distinguenda varia tempora cum vel *equo*, vel *curru* decurreret. Mox etiam tres scripti *curru bijugo*, quod non reprehendendum. Lucretius v. 1298. 'Quam bijugo curru belli tentare pericla.' Sil. Italicus II. 82. 'Pars comitum bijugo curru, pars cetera dorso Fertur equi.' Ovid. Met. IX. 272. 'Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.' Plinius Paneg. c. 22. 'Inportari solebant, non dico quadrijugo curru.' Talia non debebant contra Mss. mutari. *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Claudius Tiberius*] *Titus* etiam omnes Mss. et supra ad Cæsares c. 3. § 16. ubi errore typothetarum in textu pro *Tib.* (quomodo passim etiam in nummis vel *Ti.*) *Tit.* expressum video: in *Druso* nulla est variatio, nisi quod quædam edd. in margine *Decimi* itidem reponant. *Arntz.*

§ 3 *Ventri, vino*] Tranquillus Claudio capp. 32. et 33. *Fœde* in vulgatis legitur non generandi casu. *Schottus.* Et sic etiam in Mss. quod tamen fieri ideo potuit, quia in illis rarius diphthongi reperiantur, ut talia pro ingenio fere possint mutari, si requirit sententia, et adverbium debere esse conferenti alium Victorem patebit, ubi dubitatio nulla restat, quia ille medias voces *vino libidini* omittat, et sic illa vox præponitur verbis ad indicandam rei turpitudinem. Sup. Cæsar. c. 16. § 13. 'Ignis fœde consumserat.' cap. 24. § 10. 'Fœde corrumpunt.' c. 32. § 5. 'Fœde laniatus interiit.' inf. cap. 41. § 21. 'Fœde temulentus.' Vulgatam tamen scripturam sequitur Cortius ad Sallust. Catil. cap. 1. § 1. *Arntz.*

Prope hebes] De ingenii 'hebetudine' animique consternatione cap. 36. et deinceps usque ad cap. 41. Mirandum tamen, licet tardi ingenii esset, 'neque infacundum, neque indoctum fuisse, pertinaciter liberalibus studiis deditum.' Idem cap. 46. et sequentibus. Tacitus Annal. lib. XIII. 'Nec in Claudio,' inquit, 'quoties meditata dissereret, elegantiam requireres.' *Schott.*

Ignarus] Tacit. Annal. lib. XII. de Julio Peligno ob 'ignaviam' animi Claudio Imperatori caro acceptoque: 'Erat Claudio perquam familiaris cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret:' quem locum eo profero, quod hactenus mutilum recte amicissimus Lipsius restituerit. *Schott.*

Libertorum et conjugis inperiis] Vidi qui *liberterum conjugis* impressit. Nihil muto: vide Tranq. Vitellio cap. 2. *Schott.*

§ 4 *Scribonianus Camillus*] Eadem Suetonius capp. 13. et 35. 'Furius' prænomine intra quintum diem oppressus. Tacitus Histor. lib. I. extremo, 'Scriboniani contra Claudium simul audita et coërcita.' De Pseudo Camillo idem Hist. lib. II. *Schott.* Mox *Dalmatas* Mss. et editi, non *Delmatas*. Vide ad Vir. Ill. cap. 44. *Arntzenius.*

Cæsa Musulamiorum] De vocabuli *Musulaniorum* corruptione monuimus in commentario Flori. *Vinet.*

§ 6 *Inducta*] Malim *introducta*, quod in Mss. reperi et aliis. A. U. C. IↃCCC. Sulla et Tutiano Coss. 'Claudius consummavit duos aquæductus a Caligula inchoatos; unum vocavit Anionem novum, alterum aquam Claudiam.' Jul. Frontinus de Aquæ Ductibus. Lege Sueton. c. 20. et quæ annotavi ad Victorem de Viris Illustribus in Appio Claudio et Curio Dentato: nam Victoris esse dubitent alii, equidem ambigere desino auctoritate librorum Mss. *Schott.* Quandoquidem restat in Mss. et edd. vett. *introducta*, id vocis restituendum est. *Gruter.*

Primo clam mox] Has duas voces *clam mox* quæ in vulgatis sunt, eo sustuli, quod neque erant in ullo vet. lib. et historiæ veritati repugnent: neque certe in Victore ipso comparent: qui omnes et *adulteris* legunt, non *adulteriis*: de Valeriæ autem Messalinæ inexplebili libidine copiose Tacitus Ann. lib. XI. Dio lib. LVIII. Suetonius cap. 26. et alibi, et Juven. Sat. VI. *Schottus.* Indicat Schottus noster, duas illas voces, *clam*, *mox*, in nullo inveniri Mss. suorum, et historiæ veritati repugnare: at enim optime conveniunt filo sententiæ; neque contradicunt ulli scriptores: etsi enim haud etiam a venere Messallinæ clandestina exorsi sunt, tamen natura rerum tale quid requirit: itaque, tantum abest uti alteram editionem Victoris heic sequendam putem, ut pronuntiem, et vitium ibi hærere: nam si palam utebatur adulteris, quomodo potuit eos accusare qui ei obsequi non audebant, tanquam ipsam se petiissent? quod statim post ibidem narratur. *Gruter.* Editum fuit olim *primo* [*clam*, *mox*] *passim*, quod recte damnat ex suis libris Schottus, cui adsensum præbent nostri omnes, et vide ad ipsos Cæsares § 6. oppositio enim non quærenda est inter *primo* et *passim*, sed inter *primo* et *dehinc*. *Adulteris* apud me sola ed. Frobeniana, de qua lectione nihil licet definire, cum utrumque queat defendi, ut *matrimonia* pro uxoribus, *servitia* pro servis, et similia a viris doctis centies inculcata. Lampridius in Heliog. c. 25. 'Mimicis adulteriis ea quæ solent simultato fieri, effici ad verum jussit:' ita ex Palatino cod. Salmasius et Havercamp. ad Tertull. Apolog. c. 47. *Arntz.*

§ 7 *Adessent*] Non frustra fortasse erit scriptura *adissent*, quam confirmant nostri, excepto Leid. 2. si plusquam perfectum exponatur per præteritum *adirent*, id est, rem haberent cum illis. Vide Gronov. ad Livium XXXIV. 11. et Vorst. ad Justin. XII. 2. § 8. sed alterum malo. *Arntz.*

Sub Inperatore viro quam] Alii sic interpungunt: *sub Inperatore vir, quam.* Frobenii ed. *ut magis videretur ipsa inperare viro, quam inp. nupta esse:* nec desunt qui legant, *sub Inperatore vir quam sub Inperatore nupta esse.* Ed. nova, *Et hinc notior, dum mirum videtur apud Inperatorem virum, viro quam Inperatori nupta esse.* Schott.

§ 8 *Potestatem adepti*] *Potestatem summam adepti* Mss. et Veronensis. *Schott.* Quomodo etiam Guelf. Leid. 1. et ceteræ edd. *Arntz.*

Felicem] Qui Pallantis viri antiquæ parsimoniæ et moderationis frater, dissimilis ingenii, 'Judææ impositus cuncta malefacta impune sibi ratus est, tanta potentia subnixo.' Tacit. Annal. lib. XII. Porro Antonius Felix appellatus. Huic Hierosolymæ præfecto stitit se Divus Paullus de hæresi accusatus. D. Lucas Actorum Apost. c. XXIV. ubi et Drusillam uxorem ejus nominat. *Schott.* Quæ Drusilla Antonii et Cleopatræ neptis erat teste Tacito Hist. lib. V. cap. 9. *Arntz.*

Judææ præfecit] Quam cum Ventidio Cumano, (qui Galilæam curabat, ut Samaritani Felici parebant) orta inter eos contentione, turbavit: damnatusque pro utrinsque flagitio Cumanus, opera Quadrati Syriæ rectoris, qui belli incendium, quod pæne eruperat, restinxit, quietemque provinciæ reddidit: vide Josephum et Tacit. Ann. XII. extr. Tumultuata quoque Judæa sub Caligula est: auctor Dio lib. IX. Tacitus Histor. V. *Schott.*

Possidio eunucho] Posidem 'spadonem' vocat Tranqu. cap. 28. et Juvenal. Satyr. XIV. 'Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.' Verum a Posidio 'Posidianæ' aquæ dictæ in sinu Bajano sunt, Plinio XXX. 2. 'Arma' autem 'insignia' hastam puram idem vocat Suetonius. *Schott.* Mox male Leid. 1. *armorum insignia.* Neque etiam cum Schotto solam *hastam puram* hic innui crediderim, verum et alia arma. Livius XL. 6. 'Præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniæ regum.' XLII. 61. 'Dona ex his aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captivos dono dabat.' XLV. 35. 'Ornata Macedonicis spoliis non insignium tantum armorum.' Virgil. Æn. II. 389. 'Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis Aptemus: dolus an virtus quis in hoste requirat? Arma dabunt ipsi:' Servius ibi *insignia* per 'arma omnia' exponit. Curtius IV. 13. § 1. 'Armis insignibus equi virique splendebant.' *Arntzenius.*

Polybium] A studiis. *Polybium* Mss. et Veronensis præferunt geminata iota; cum *y* in secunda syllaba Dio. Ad hunc exstat hodieque Senecæ consolatio in morte fratris. Habuit et Augustus libertum cognominem: meminit Suetop. Octavio cap. 101. *Schott.*

§ 9 *Narcissus: Pallas*] Hic a rationibus; ille ab epistolis: hic cum Agrippina, tanquam nuptiarum cum patruo conciliator; ille cum Messallina, quam tandem interficiendam curavit, consueverat. Tacit. Annal. libb. XI. XII. et XIV. et Juven. Sat. XIV. Huic prætoria; illi quæstoria insignia, s. c. decerni passus. Tacit. Ann. lib. XI. extr. et Tranqu. c. 28. De his ornamentis erit, cum dicere licebit copiose. De Pallante lege, si vacat, Plinii Epist. VII. 29. et sextam ep. libri VIII. *Schott.* Et Scholiastes Juvenalis Sat. I. 109. De libertis dominis ipsius domini similia scribit Velleius de Pompeio Magni filio II. 73. § 1. 'Libertorum suorum libertus, servorumque servus.' Plinius in Paneg. c. 78. 'Plerique principes cum essent civium domini, libertorum erant servi.' Unde Heliogabalum 'mancipium eunuchorum' appellat Lampridius Alex. Severo cap. 23. *Arntz.*

Sublimatus] Pro 'ornatus' dixit. Vide Sext. Pompeium de Verborum Signif. 'Limen' etiam 'superum' dicitur Plauto Bacchidibus, Sce. Atridæ, et Mercatore: 'Limen superum inferumque salve, simul autem vale.' Factum id autem A. post U. C. IƆCCV. Tacit. Ann. l. XII. *Schott.* Appuleius de Deo Socr. p. 51. 'Humilia sublimare.' Met. III. p. 158. 'In altum sublimata:' et sic sæpius ille. Augustinus de Civit. Dei XXII. 4. Savaro ad Sid. Apollinarem III. 1. *Arntz.*

Dives] Jac. Cujacii et Pithœi cod. disertim, cum quo et Veronens. facit, *divites:* probe: infra enim, dicto famoso sparsum de duobus libertis: et horum 'divitiæ' adagioni locum fecerunt. Ad hæc Tranquillus, unde fere sumpta hæc quæ de XII. Cæsaribus referuntur, hos ut in præmiis ingentibus ornamentisque; ita et in fortunis quo jure, quaque injuria quæsitis, conjungit, 'ut querente,' inquit, 'eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, abundaturum si a duobus libertis in consortium reciperetur.' Porro de fisco inf. c. 42. num. 19. *Schott.*

§ 10 *Quingentesimo*] *Quinquagesimo* tantum est in Victore, ubi de phœnice quædam notare memini. *Schott.*

Ex Arabis memoratos locos] Iis quæ [ad Cæsar. c. 4. § 14.] breviter monuimus, adde Nepotem Agesilao c. 4. § 1. 'Cum jam animo meditaretur proficisci in Persas.' Eumene cap. 8. § 4. 'Qua ex Medis ad adversariorum hibernacula posset perveniri:' quomodo aliquoties est locutus tersissimus scriptor. Adde Burmann. ad Vell. II. 40. § 1. *Arntz.*

Insula emersit] 'Anno imperii ejus quinto inter Theram et Therasiam insula de profundo emicuit triginta stadiorum spatio extensa.' Orosius VII. 6. De Vulcani insula, quæ anno circiter IↃLXIIX. U. C. apparuit, idem IV. 20. *Schott.*

§ 11 *Hic*] Conjeceram legendum *Hinc.* Quam lectionem postea ab Augustano cod. confirmatam libenter accepi. De Agrippina, quæ Neronem flagitium hominis protulit, multa Tacit. Dio, alii. De ejus vero morte Sueton. Neron. cap. 34. De Tanaquilis industria Livius Annal. I. I. et Victor noster de Viris Illustr. c. 7. *Schott.*

Cap. v. § 1 *Patre Domitio*] *Cnæi* prænomine, Sueton. Neron. cap. 5. in Galba vero male 'Lucius' appellatur c. 6. Avus enim L. Domitius erat. *Ahenobarbus* rectius scribunt aspirationis nota libri calamo exarati, numi vett. et, ut Plautino verbo utar, lapides literati, et marmora, quæ in Capitolio Romæ bono publico effossa fastos consulares exhibent: vide Plutarchum in vita Paulli Æmilii. *Schott.*

Annos tredecim] *VIII.* Leid. 2. *an. XIIII.* prima manus in Guelf. 'Bis quater denos Claudii et Neronis annos' memorat Tacitus vel quisquis demum sit auctor Dialogi de Oratoribus c. 17. Mox *inde* pro *unde* priscæ edd. *Arntz.*

§ 2 *A Neronis*] Præpositionem admittunt omnes editi, et cum iis Lipsius Elect. II. 9. quæ est vulgatissima loquendi ratio: sed cum aliter sentirent omnes apud me Mss. iis repugnare non potui. Ovid. Met. VIII. 438. 'Discite raptores alieni, dicit, honoris, Facta minis quantum distent.' Qua constructione huic verbo dativum addi recte docuit Burmann. ad Quinctil. Inst. V. 10. p. 397. Hoc tamen loco *quinquennio* malim esse ablativum, quomodo idem Ovidius Fast. IV. 362. 'Cum tanto Phrygia Gallica distet humus:' ubi alii etiam *a Phrygia.* Vide Heinsium: et ex Pont. Epist. III. 2. 46. 'Qui Getica longe non ita distat humo.' Verum illis locis hæc verba possent videri construi, tanquam si nomina essent urbium, quæ tamen ratio non procedit apud Juvenal. Sat. XIV. 98. 'Nec distare putant humana carne suillam.' *Arntz.*

§ 4 *Polemonis*] Eadem Sueton. cap. 18. Eutrop. VII. 14. Eusebius Chronicis, et Vopiscus Aureliano. Male qui cum diphthongo impresserunt; Græcis enim scribitur Πολέμων, ῶνος. Male quoque *Gothias Alpes* quidam ediderunt. Duplici Tau plerique scribunt. 'Cottius' autem rex dicebatur, quod in Alpibus 'Cottiis' regnum obtinuerat, et vias ita dictas muniverat. De his copiose Ammian. Marcel-

linus lib. xv. Urbes xii. quarum Plinius meminit Nat. Histor. iii. 30. cis Alpes nobis sitæ in Pedemontana regione, quæ hodie duci Allobrogum, vulgo Sabaudiæ, paret. Illud non prætereundum censeo, citari a Paullo Diacono de Gestis Longobardorum locum hunc, et Victorinum in plerisque libris nominari: qua de re initio dicere memini. *Schott.* Harum Alpium meminit Pacatus in Paneg. c. 30. § 2. et c. 38. § 2. Mamertinus Genet. Maxim. Herc. c. 9. Sidonius Carm. vii. 527. 'Quam saxa nivalia Cotti Despectant:' ubi male *Cocti* editum. Confer Ryckium ad Tacit. Histor. iv. 68. Paullo supra *appellatur, itemque* Guelf. *Idemque* vetustæ edd. *Arntz.*

§ 5 *Pudeat memorare hujuscemodi quemquam*] Lacuna subest; nam in nova Victoris ed. unde hæc, ut pleraque, ad verbum mutuatus hic, quisquis auctor est, addit *hujuscemodi quemquam nedum rectorem gentium fuisse:* quamquam de industria forte truncavit: probum enim adhuc sensum retinet. Verecundiam enim in historico desiderat, qui hujusmodi ἄχθος ἀρούρης nefanda flagitia commemorare vereatur, nisi publice interesset vitia detegendo notari. Supra noster in Calig. cap. 4. § 6. et in eundem sensum Zosimus auctor elegans de hoc ipso Nerone loquens. *Schott.*

Festa de more] Præpositionem præterit solus Guelf. uti sup. Cæsar. § 5. Ovid. Met. xii. 711. 'Hic patrio de more Jovi cum sacra parasset.' Postea *Matremque* edd. Gryphianæ. *Arntzenius.*

Cognomento Poppæam] Suetonio tamen vocatur 'Poppæa Sabina,' Nerone c. 35. et Othone c. 3. et Tacito Ann. lib. xiv. ext. et Hist. lib. i. nisi forte sic interpungendum: *Sabinam cognomento, Poppæam.* Schott. Per anastrophen auctor dixit, pro *Poppæam cognomento Sabinam*, ut ex Suetonio et Cornelio Tacito manifestum est. *Sylb.* *Pompeiam* Leid. 2. quomodo corrumpit etiam Ms. apud Suetonium. *Arntz.*

§ 6 *In Hispania procul et Caius*] Ita vulgati omnes corrupte: repone ut in iii. Mss. et Veronensi optimo reperi *Hispaniæ proconsul et Caius.* Sic fere germanus Victor, 'Ac ni Galba qui Hispaniæ præsidebat.' Antea C. Julius Vindex Gallos adversus Neronem commoverat, Sueton. cap. 49. deinde Galba Hispanias, c. 42. post cæterorum exercituum defectio insequuta est, cap. 47. *Schott.* Revocanda scriptura Mss. Schotti et primæ ed. *in Hispania proconsul.* Gruter. *Hispaniæ proconsul* nostri quoque scripti, de qua lectione nemo sanior dubitabit. Supra Noster Cæsar. cap. 26. § 1. 'Africæ proconsul:' et Capitolinus in Gordiano cap. 5. et apud alios frequentissime. Edd. in corruptam lectionem turpiter conspirant. *Arntz.*

§ 7 *More majorum collo*] Ex Sueton. cap. 49. qui Claudio cap. 34. 'antiqui moris supplicium' vocat. *Schott.*

Ad necem cæderetur] Addit Eutropius, 'atque ita præcipitaretur de saxo,' lib. vii. Vide aliud inf. in Didio Juliano c. 19. Hæc autem olim a Romulo pœna in perduelles constituta lege horrendi carminis apud Liv. qui arborem infelicem appellat, velato capite, cervice in furcam inserta virgis ad necem cædi.

DVVMVIRI. PERDVELLEM. IVDICENT. SI. A. II. VIRIS. PROVOCARIT. PROVOCATIONE. CERTATO SI. VINCENT. CAPVT. OBNVBITO ARBORI. INFELICI. SVSPENDITO VERBERATO. VEL. INTRA. POMOERIVM. VEL. EXTRA. POMOERIVM.

Schott. Tacitus Ann. iv. 30. 'Dictis dein sententiis, ut Serenus more majorum puniretur.' Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. iii. 12. Latius hanc rem excussit Franc. Ramos Error. Tribon. de Pœnis Parric. ii. 58. Lipsius de Cruce iii. 2. et Vossius ad

Cæsar. Bell. Gall. vi. 44. *Arntz*.

Sequentibus Faone Epafroditoque] Mirum profecto præteritum silentio Dorophorum libertum, scelus hominis, cui etiam, sicut ipsi Sporo, denupsit. Suet. c. 29. quem tamen alii 'Pythagoram' appellant; illud *Nero* ut glossema stylo verso fodiendum censeo, quamobrem uncis inclusi. Nec enim comparet in Mss. tribus, et, quam sæpius laudo, Veronensi ed. optimæ fidei proxime scriptos codd. *Schott*. Hunc ita declinat Dio. 'Phaontem' typographi apud Suetonium. *Vinet*. Quod prætereundum non erat, Guelf. et Leid. 2. *egressus urbe* scribunt. Virgil. Æn. ii. 713. 'Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum Desertæ Cereris.' Suetonius Augusto c. 53. § 3. 'Non temere urbe oppidove ullo egressus.' Quæ tamen constructio, licet frequentior multo sit, non tamen ubique cum negligentibus librariis est inculcanda, nam et hoc verbum quartum casum recipit. Sic in nonnullis Mss. apud Val. Maximum vii. 3. ex. ext. 10. 'Et protinus ipse urbem egressus est.' Idem i. 1. ex. obs. 2. 'Urbem egredi passus non est:' ii. 6. ex. 10. 'Horum mœnia egresso vetus ille mos Gallorum occurrit:' et ix. 6. ex. ext. 2. 'Cum binis vestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos.' Sallust. Fragm. Histor. iii. 978. edit. Cortii, 'Postquam egressus angustias.' Adde virum illum doctum ad historici istius Jugurtham cap. 35. § 10. et Fragm. Hist. i. p. 954. cum Nicolao Heinsio ad Ovid. Met. ii. vs. 388. Lucan. v. 510. 'Tentoria postquam Egressus, vigilum somno cedentia membra Transiluit.' Appul. Metam. iv. p. 150. 'Et portam civitatis egressi monumentum quoddam conspicamur.' Mox etiam cum Schotti codd. faciunt nostri Mss. illud *Nero* tanquam otiosum abdicantes. Edebatur vulgo *quem quondam* [*Nero*] *exsectum*. Arntz.

Eunucho Sporo] Dele τὸ *Sporo*, cum quod a libris veteribus scriptis afuit et Veronensi, tum quia Suetonius, unde hæc fere sumpta, Epaphrodito a libellis tribuit cap. 49. et Domitiano 14. extremo. Et forte obliterandum utrumque *Eunucho Sporo*, quod ex voce Epaphrodito, quem tantum libertum fuisse didici, fictum factumque ab imperitis librariis puto: propterea quod proxime de Sporo mentionem habuisse, et impurum appellare viderent, acuti scilicet homines: sed eruditi lectoris judicium facio. *Schottus*. *Sporo* etiam abest a Leid. 1. et Guelf. Sed *Eunucho* satis defendi potest ab auctore Cæsarum cap. 5. § 16. qui 'Spadonem' memorat. De Neronis morte non omnia certa sunt, præsertim apud Christianos scriptores. Dubitat enim Sulp. Severus ii. 29. § 5. 'Incertum an ipse sibi mortem consciverit, certe corpus illius interemtum. Unde creditur, etiamsi se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus servatus.' Pugnant hæc duo *interemtum* et *servatum*, quare pro *interemtum* repono *non inventum:* ut de Ænea Servius ad Virg. Æn. xii. 794. 'Nec ejus esset cadaver inventum.' De ipso Nerone Augustinus de Civit. Dei xx. 19. 'Alii vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus, et vivum occultari.' Ideo igitur, quod corpus ejus non fuit inventum, eum *sanatum*, (uti *servatum* legi posset) credidere patres, qui eum Antichristum vel Antichristi præcessorem futurum vane argumentati sunt. Videantur commentatores ad Augustini laudatum locum, ad Lactantium de Mort. Pers. cap. 2. et alibi. Immo retine potius *servatus*. Servabatur enim in ea tempora, cum ut Antichristus in terras esset rediturus. Ad ea, quæ præcedenti pagina de duplici constructione vocis *egredi* dixi, adde Cort. ad Plinii Epist. vii. 27. § 33. fine. *Arntz*.

Itane] Totidem verbis Tranquillus

linus lib. xv. Urbes xii. quarum Plinius meminit Nat. Histor. iii. 30. cis Alpes nobis sitæ in Pedemontana regione, quæ hodie duci Allobrogum, vulgo Sabaudiæ, paret. Illud non prætereundum censeo, citari a Paullo Diacono de Gestis Longobardorum locum hunc, et Victorinum in plerisque libris nominari: qua de re initio dicere memini. *Schott.* Harum Alpium meminit Pacatus in Paneg. c. 30. § 2. et c. 38. § 2. Mamertinus Genet. Maxim. Herc. c. 9. Sidonius Carm. vii. 527. 'Quam saxa nivalia Cotti Despectant:' ubi male *Cocti* editum. Confer Ryckium ad Tacit. Histor. iv. 68. Paullo supra *appellatur, itemque* Guelf. *Idemque* vetustæ edd. *Arntz.*

§ 5 *Pudeat memorare hujuscemodi quemquam*] Lacuna subest; nam in nova Victoris ed. unde hæc, ut pleraque, ad verbum mutuatus hic, quisquis auctor est, addit *hujuscemodi quemquam nedum rectorem gentium fuisse:* quamquam de industria forte truncavit: probum enim adhuc sensum retinet. Verecundiam enim in historico desiderat, qui hujusmodi ἄχθος ἀρούρης nefanda flagitia commemorare vereatur, nisi publice interesset vitia detegendo notari. Supra noster in Calig. cap. 4. § 6. et in eundem sensum Zosimus auctor elegans de hoc ipso Nerone loquens. *Schott.*

Festa de more] Præpositionem præterit solus Guelf. uti sup. Cæsar. § 5. Ovid. Met. xii. 711. 'Hic patrio de more Jovi cum sacra parasset.' Postea *Matremque* edd. Gryphianæ. *Arntzenius.*

Cognomento Poppæam] Suetonio tamen vocatur 'Poppæa Sabina,' Nerone c. 35. et Othone c. 3. et Tacito Ann. lib. xiv. ext. et Hist. lib. i. nisi forte sic interpungendum: *Sabinam cognomento, Poppæam.* Schott. Per anastrophen auctor dixit, pro *Poppæam cognomento Sabinam*, ut ex Suetonio et Cornelio Tacito manifestum est. *Sylb.* *Pompeiam* Leid. 2. quomodo corrumpit etiam Ms. apud Suetonium. *Arntz.*

§ 6 *In Hispania procul et Caius*] Ita vulgati omnes corrupte: repone ut in iii. Mss. et Veronensi optimo reperi *Hispaniæ proconsul et Caius.* Sic fere germanus Victor, 'Ac ni Galba qui Hispaniæ præsidebat.' Antea C. Julius Vindex Gallos adversus Neronem commoverat, Sueton. cap. 49. deinde Galba Hispanias, c. 42. post cæterorum exercituum defectio insequuta est, cap. 47. *Schott.* Revocanda scriptura Mss. Schotti et primæ ed. *in Hispania proconsul.* Gruter. *Hispaniæ proconsul* nostri quoque scripti, de qua lectione nemo sanior dubitabit. Supra Noster Cæsar. cap. 26. § 1. 'Africæ proconsul:' et Capitolinus in Gordiano cap. 5. et apud alios frequentissime. Edd. in corruptam lectionem turpiter conspirant. *Arntz.*

§ 7 *More majorum collo*] Ex Sueton. cap. 49. qui Claudio cap. 34. 'antiqui moris supplicium' vocat. *Schott.*

Ad necem cæderetur] Addit Eutropius, 'atque ita præcipitaretur de saxo,' lib. vii. Vide aliud inf. in Didio Juliano c. 19. Hæc autem olim a Romulo pœna in perduelles constituta lege horrendi carminis apud Liv. qui arborem infelicem appellat, velato capite, cervice in furcam inserta virgis ad necem cædi.

DVVMVIRI. PERDVELLEM. IVDICENT. SI. A. II. VIRIS. PROVOCARIT. PROVOCATIONE. CERTATO SI. VINCENT. CAPVT. OBNVBITO ARBORI. INFELICI. SVSPENDITO VERBERATO. VEL. INTRA. POMOERIVM. VEL. EXTRA. POMOERIVM.

Schott. Tacitus Ann. iv. 30. 'Dictis dein sententiis, ut Serenus more majorum puniretur.' Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. iii. 12. Latius hanc rem excussit Franc. Ramos Error. Tribon. de Pœnis Parric. ii. 58. Lipsius de Cruce iii. 2. et Vossius ad

Cæsar. Bell. Gall. vi. 44. *Arntz.*

Sequentibus Faone Epafroditoque] Mirum profecto præteritum silentio Dorophorum libertum, scelus hominis, cui etiam, sicut ipsi Sporo, denupsit. Suet. c. 29. quem tamen alii 'Pythagoram' appellant; illud *Nero* ut glossema stylo verso fodiendum censeo, quamobrem uncis inclusi. Nec enim comparet in Mss. tribus, et, quam sæpius laudo, Veronensi ed. optimæ fidei proxime scriptos codd. *Schott.* Hunc ita declinat Dio. 'Phaontem' typographi apud Suetonium. *Vinet.* Quod prætereundum non erat, Guelf. et Leid. 2. *egressus urbe* scribunt. Virgil. Æn. ii. 713. 'Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum Desertæ Cereris.' Suetonius Augusto c. 53. § 3. 'Non temere urbe oppidove ullo egressus.' Quæ tamen constructio, licet frequentior multo sit, non tamen ubique cum negligentibus librariis est inculcanda, nam et hoc verbum quartum casum recipit. Sic in nonnullis Mss. apud Val. Maximum vii. 3. ex. ext. 10. 'Et protinus ipse urbem egressus est.' Idem i. 1. ex. obs. 2. 'Urbem egredi passus non est:' ii. 6. ex. 10. 'Horum mœnia egresso vetus ille mos Gallorum occurrit:' et ix. 6. ex. ext. 2. 'Cum binis vestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos.' Sallust. Fragm. Histor. iii. 978. edit. Cortii, 'Postquam egressus angustias.' Adde virum illum doctum ad historici istius Jugurtham cap. 35. § 10. et Fragm. Hist. i. p. 954. cum Nicolao Heinsio ad Ovid. Met. ii. vs. 388. Lucan. v. 510. 'Tentoria postquam Egressus, vigilum somno cedentia membra Transiluit.' Appul. Metam. iv. p. 150. 'Et portam civitatis egressi monumentum quoddam conspicamur.' Mox etiam cum Schotti codd. faciunt nostri Mss. illud *Nero* tanquam otiosum abdicantes. Edebatur vulgo *quem quondam* [*Nero*] *exsectum.* Arntz.

Eunucho Sporo] Dele τὸ *Sporo*, cum quod a libris veteribus scriptis afuit et Veronensi, tum quia Suetonius, unde hæc fere sumpta, Epaphrodito a libellis tribuit cap. 49. et Domitiano 14. extremo. Et forte obliterandum utrumque *Eunucho Sporo*, quod ex voce Epaphrodito, quem tantum libertum fuisse didici, fictum factumque ab imperitis librariis puto: propterea quod proxime de Sporo mentionem habuisse, et impurum appellare viderent, acuti scilicet homines: sed eruditi lectoris judicium facio. *Schottus.* *Sporo* etiam abest a Leid. 1. et Guelf. Sed *Eunucho* satis defendi potest ab auctore Cæsarum cap. 5. § 16. qui 'Spadonem' memorat. De Neronis morte non omnia certa sunt, præsertim apud Christianos scriptores. Dubitat enim Sulp. Severus ii. 29. § 5. 'Incertum an ipse sibi mortem consciverit, certe corpus illius interemtum. Unde creditur, etiamsi se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus servatus.' Pugnant hæc duo *interemtum* et *servatum*, quare pro *interemtum* repono *non inventum:* ut de Ænea Servius ad Virg. Æn. xii. 794. 'Nec ejus esset cadaver inventum.' De ipso Nerone Augustinus de Civit. Dei xx. 19. 'Alii vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus, et vivum occultari.' Ideo igitur, quod corpus ejus non fuit inventum, eum *sanatum*, (uti *servatum* legi posset) credidere patres, qui eum Antichristum vel Antichristi præcessorem futurum vane argumentati sunt. Videantur commentatores ad Augustini laudatum locum, ad Lactantium de Mort. Pers. cap. 2. et alibi. Immo retine potius *servatus.* Servabatur enim in ea tempora, cum ut Antichristus in terras esset rediturus. Ad ea, quæ præcedenti pagina de duplici constructione vocis *egredi* dixi, adde Cort. ad Plinii Epist. vii. 27. § 33. fine. *Arntz.*

Itane] Totidem verbis Tranquillus

c. 47. extremo: quod sequitur, 'dedecorose vixi, turpius peream,' aut male exscripsit centonum consarcinator, aut tunc aliter, atque hodie lectum in Sueton. cap. 49. 'Vivo deformiter, ac turpiter;' ubi forte addendum *morior*, *pereo*, *&c.* De imperii ætatisque annis idem capp. 40. et 57. Periit A. U. C. ut opinor IƆCCCXXI. M. Trachalo Turpiliano, C. Silio Italico poëta Coss. Quorum hic ut novissimus a Nerone factus est consul, ita reliquis omnibus, quos Nero consules fecerat, superstes fuit. Plinius Cæcilius Epist. III. 7. *Schottus.* Maluissem *pereo*, vel adhuc amplius *turpius pereo.* Interim minime mirum videri debebat Neroni, turpi vitæ accedere mortem turpem: haud aliter enim fieri solet. De Dicæarcho Polybius XVII. 35. *Παρὰ φύσιν γὰρ ἐνστησάμενος τὸν αὑτοῦ βίον, εἰκότως παρὰ φύσιν καὶ τῆς εἱμαρμένης ἔτυχε· Qui cum vitam instituisset contra naturam, merito etiam contra naturam fato est functus.* Velleius II. 63. 'Juventius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus.' Idem de Rufo Egnatio libro eodem c. 91. f. 'Abditusque carceri, cum conscii facinoris mortem dignissimam vita sua obiit.' Denique de Agrippa c. 92. f. 'Moxque crescentibus indies vitiis, dignum furore suo habuit exitum.' *Grut.*

§ 9 *Orantes copiam*] *Orantes* in *petentes* mutat uterque Lugd. Cæsar, Bell. Gall. VI. 32. § 1. 'Legatos ad Cæsarem miserunt oratum.' Livius XXI. 6. 'Legati a Saguntinis Romam missi orantes.' XXXVIII. 15. 'Legatos ad consulem orantes opem miserunt:' supra de Cæsar. c. 1. fine, 'Legatos mitterent orando fœderi:' unde et 'oratores' dicuntur legati. Servius ad Virgil. Æn. XI. 100. et multi alii. Hæ voces quidem ejusdem sunt notionis hac in re, ut patet ex Cæsare Bell. Gall. IV. 11. § 1. 'Legati ne longius progrederetur, orabant. Quum id non inpetrassent, petebant:' et VI. 9. § 6. 'Legatos mittunt, qui doceant, neque ex sua civitate auxilia in Treviros missa, neque ab se fidem læsam: petunt atque orant.' Sed in talibus tutius est sequi plurimorum et optimorum Mss. consensum. *Arntzenius.*

Monumenta] Alii *monumenti* generandi casu et per *u* in secunda syllaba. Parthorum autem regem Vologesum per legatos senatum orasse de instauranda societate colendaque memoria Neronis, Suetonius auctor est c. 57. ubi et de pseudo-Nerone et Parthorum in eum studio, quo de Tacit. lib. I. Histor. Augustæ sub initium, et copiose libro sequenti. *Schott. Monumenti* tamen Guelf. Leid. 1. et priscæ edd. *Arntz.*

§ 10 *Induta pileis*] Ibidem Tranquill. et Tib. c. 4. Vide quæ notavi olim ad Viros Illust. in Cinnam c. 69. Post paullo sic interpungo: *tanquam, sævo exempta domino, triumpharet:* ut tamquam triumphasse intelligas, speciemque triumphi exhibuisse: in quo raso capite pileis induti comitabantur. Suetonius enim 'plebem pileatam' tantum 'tota urbe discurrisse' ait. *Schott. Ævo* erat a prima manu in Guelf. Sed hoc epitheton frequens de injusta servitute et tyrannide. Livius XLII. 41. 'Qui neque in servos quidem sæva atque injusta inperia probant.' Seneca Herc. Furente vs. 936. 'Non sævi ac truces Regnent tyranni.' Et vs. 1255. 'Quisquis in toto furit Rex sævus orbe.' *Dominus* autem dicitur, qui in liberum populum tyrannidem exercet. De triginta tyrannis Atheniensium Seneca de Tranq. Animæ c. 3. 'Cum inter triginta dominos liber incederet.' Phædrus lib. I. 15. Justin. V. 10. et passim. Verum levissima hic videtur latere macula, cum pro *domino* conjicerem scribendum *dominio.* Dicimus enim 'eximere servitio,' 'obsidione,' 'periculo' non vero 'eximere servis,' 'obsessis,' &c. adeo ut ipsi rei hoc ver-

bum tribuatur, non vero hominibus. Livius xxxiv. 52. 'Capitibus rasis secuti, qui servitute exemti fuerant.' Sulp. Severus Hist. Sacræ ii. 15. § 4. 'Reliquiis saltem servitio nuper exemtis.' Ita 'eximere obsidione' apud Livium xxxi. 14. xxxvi. 13. xxxvii. 22. et 26. xxxviii. 15. Gronov. ad eundem xxxiii. 23. 'Eximere periculo' l. 43. pr. ff. de Admin. et Peric. Tut. Justin. l. xxxv. c. 2. § 1. Amm. Marcell. xiv. 2. fin. et talia ubique sunt obvia. *Dominio* igitur idem erit ac si dixisset 'servitio,' tyrannide, dominatione, vel, ut dicit Mamert. Genethl. Maxim. Herc. cap. 5. § 3. 'Sævissimo dominatu liberare.' Quinctil. Decl. xiii. 11. 'Premitur quidem obnoxia infirmitas, et paucorum dominio subjecta plebes.' Lactant. Div. Inst. iv. 10. 'Et primo quidem non dominio regum subjecti fuerunt.' vi. 13. 'Cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati.' Appul. Metam. viii. p. 207. 'Tunc illi, mutati dominii novitatem metuentes:' quomodo ibi in plerisque edd. cum *domini* dederit Elmenhorstius. Seneca de Vita Beata c. 5. 'Vides autem, quam malam et noxiam servitutem serviturus sit, quem voluptates doloresque, incertissima dominia inpotentissimaque alternis possidebunt:' et de Constant. Sapientis c. 13. 'Sed postremos, sed venales, sed novum aucupantes dominium:' uti edidit summus Gronovius, qui et alia adfert loca. Quod autem ibi et ad Justin. ii. 5. § 4. eum locum ita scribendum suspicetur *non armorum sed dominiorum jure vincendos*, pro *dominorum*, in eo me non habet adsentientem. Ovid. enim Epist. Heroid. iii. in fine: 'Sed domini jure venire jube.' Lactant. Inst. Div. v. 6. 'Quasi jure dominorum perculsis.' Attamen non raro voces 'dominum' et 'dominium' inter se permutantur. Ita § 3. Inst. de Libert. pro 'domini manumissoris' legit Grotius in Florum Spars. p. 20. et Augustinus Emendat. iii. 7. *dominii*. Adde Torrent. ad Sueton. Tiber. c. 59. Muncker. ad Fulgent. Myth. iii. 6. et Burmann. ad Quinctil. Decl. vi. 20. *Arntz.*

Cap. vi. § 1 *Galba*] Prænomen ei *Servii*, non *Sergii*, quod gentile nomen est. Hoc alii ante nos ex lapidibus litteratis, libris veteribus et numismatis docuerunt. *Schott.* Mox Pithœi liber *Sulpiciorum gente*. Sylburg.

§ 2 *Junii*] Mss. omnes diserte *Vinnii* duplici *nn*. Lege litera transposita *Vinii*, non *Junii*, qui Plutarcho est Τίτος Οὐίνιος vel Ὀβίνιος, ut et in marmoribus antiquis, *T. Vinius.* Repositum igitur nomen a doctis in veterem possessionem, unde furcis exturbatum erat, in Tacito Histor. Augustæ lib. i. et Tranqu. Galba c. 14. *Schott.* Geminata media consona tamen omnes nostri, sed *Junii* editt. *Arntz.*

Cornelii et Icelii] *Iceli* pro *Cælii*. *Icelii* vetus liber. Ita apud Suet. et Tacit. hic trisyllabus et tetrasyllabus est. *Vinet.* Gallica ed. Gryphii, *Cælii:* male. *Icelii* Mss. rectius. Dictus autem *Caius Icelius*, 'Martiani' cognomine ornatus. Quamquam Vertranius Maurus *Hicellium* aspirationis nota scribendum putet, et geminato *ll.* ad Hist. Taciti lib. i. qui de his libertis, nequissimis flagitiorum servis legendus. Alter Cornelius Laco, ex assessore præfectus prætorii. Ibidem Suetonius et Tacitus. Mox *intra* reposui ex Mss. Veronensi et Suetonio. Rustice enim *inter ædes* antea legebatur in vulgatis omnibus. *Schott.*

§ 3 *Multas provincias*] Aquitaniam, Sueton. c. 6. Africam c. 7. et Hispaniam capp. 8. et 9. Tacit. Histor. Aug. l. i. *Schott.*

Militem severissime tractans] 'Laudata olim et militari fama celebrata severitas ejus.' Erat 'et vox ejus pro republica honesta, ipsi anceps,

legi a se militem, non emi.' Tacitus Hist. Augustæ initio, lib. I. et Tranq. c. 16. *Schott.*

Disce miles militare] Sic et Suetonius trochaicum extulit. Mss. nostri *Disce militare miles:* sed nihil interest; neque, ut ille dicebat, in eo positæ fortunæ Græciæ. *Schott.*

§ 4 *Lorica tectus*] 'Lintea,' Sueton. c. 19. Tacitus et Plutarchus 'thoracem' vocant. De linea lorica plura ad Corn. Nepotem, qui vulgo male Æmilio Probo inscribitur, in vita Iphicratis. Cæterum Otho lorica ferrea tectus occurrit: diserte Tacitus Histor. lib. II. *Schott.*

CAP. VII. § 1 *Salvius Otho*] Qui *Sylvius* imprimunt, imperite faciunt. *Schott.*

Splendidis majoribus] 'Origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus prætorius: maternum genus impar, nec tamen indecorum,' &c. Tacit. Hist. Aug. lib. II. Idem supra paullo: 'Vitellius ventre et gula sibi ipsi hostis, Otho luxu, sævitia, audacia, maxime in juventa, reip. exitiosior ducebatur.' Mss. tamen, et Veronensis *Ferentano* per primam vocalem efferunt, et opidum non municipium faciunt. In Etruria collocat Plinius lib. III. et Strabo lib. V. qui Φερεντῖνον scribit. Infra *Betriacum*, non *Bebriacum* recte scribunt iidem ut in optimis Suetonii codd. Plutarcho enim Βητριακόν. In nonnullis *Bedriacum* reperias per delta, ob affinitatem mutarum *t* et *d*. Schottus. *Ferentano* Guelf. et Leid. 1. de quo Ryckius ad Tacit. Annal. XV. 53. qui etiam *Betriacum* recipiunt. Vide commentatores ad Tacit. Hist. II. 23. Dausq. Orthogr. part. II. pag. 57. et sic pars optima Mss. apud Eutrop. V. adde Fabric. ad Oros. VII. 8. *Arntz.*

Menses quatuor] *Tres* Veronensis; et ita notis Romanis scripserant omnes scripti codd. III. Pronus error typographorum, ut solet, addita litera. Tranquillus et Eutropius 'nonagesimo et quinto imperii die, voluntaria morte obiisse affirmant, ætatis tricesimo octavo.' Noster vero 'septimo.' Tacitus a nobis stat, Hist. lib. II. ubi et de justis et inferiis illi datis, 'Quidam' inquit, 'militum juxta rogum interficere se, non noxa, neque ob metum; sed æmulatione decoris, et caritate Principis.' Lege et Sueton. c. 12. *Schott.* *Tres* confirmatur a tribus Mss. *Arntz.*

§ 2 *Apud Placentiam victus*] Atqui Spurinna Placentiam tenens Cæcinam Vitellianum ducem oppugnantem sustinuit, et obsidionem solvere coëgit Tac. Hist. l. II. et vicisse Othonem disertim Sueton. c. 9. *Schott.*

CAP. VIII. § 1 *Ter consule*] *Tertio* Gryphius excudit. In Fastis Capitolinis consul fuit semel cum Claudio, et censor anno, ut opinor, IↃCCCI. post U. C. Avus eques Romanus, domo Nuceria, et rerum Augusti procurator. Suet. Vitell. c. 2. *Schottus.*

Menses octo] Et diem unum, Eutropius lib. VII. De ætate lege Tacitum Hist. III. ext. qui liber in Vitellii vita consumitur. *Schott.*

§ 2 *Iste mente crudelis*] Mss. et Veronensis *Iste tumens, crudelis:* placet: superbiæ enim exempla congessit Tranq. cap. 10. *Schott.* et *Sylb.* Hanc scripturam confirmant quoque omnes nostri, et recte. 'Tumens' adhibetur optime de homine superbo, qui opibus et potentiæ fidens se super alios extollit. Ausonius Epigr. XXVI. 'Quidam superbus opibus et fastu tumens Tantumque verbis nobilis.' Justin. XXXIX. 2. § 1. 'Alexander, occupato Syriæ regno, tumens successu rerum, spernere Ptolemæum superba insolentia cœpit.' *Arntz.*

Cum profusione] Luxuriæ enim sævitiæque deditus. Sueton. cap. 13. Tacit. Annal. lib. II. 'Prorsus,' inquit, 'si luxuriam temperaret, avaritiam non timeres.' Epularum fœ-

da et inexplebilis libido: ideo etiam in inferiorem Germaniam missum a Galba sperante 'provincialibus copiis profundam ejus gulam posse expleri,' auctor idem Tranquillus c. 7. Vitellii. De hoc ventre lege Tacitum Hist. Aug. libb. II. III. IV. *Schottus.*

§ 3 *Principatum arripuit*] Lege Sueton. c. 15. *Primatus* codex Veron. *Schott.*

Vinctis a tergo] *Vinctus* scripsit Pithœi codex: 'religatis post terga manibus,' &c. Suetonius c. 17. Tacit. Annal. III. extr. 'Pudenda latebra semet occultans, ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur: vinctæ pone tergum manus, laniata veste, fœdum spectaculum ducebatur.' *Schott.* Codex quoque Guelf. a priori manu *vinctus*, quod tamen ab alio fortasse ex depravatis codd. mutandum non fuerat. Sulp. Severus Hist. Sacr. l. II. 5. § 3. 'Itaque vincti pedibus in medias flammas conjiciuntur:' ubi Drusius conjecerat *compedibus*. Arntzenius.

Subjecto in mentum gladio] Si Mss. codd. faverent, scriberem *subrecto*, quomodo dudum est, quod monuerint viri eruditi scribendum apud Sueton. in Vitell. cap. 17. 'Mento mucrone gladii subrecto:' quomodo etiam est in excerptis codicis Ms. tum apud Lipsium ad Plinii Paneg. cap. 34. et apud Periz. ad Sanctium III. 3. nota 132. Multum illustrandæ huic voci adtulit utilissima Drakenborchi diligentia ad Silium X. 253. et Duker. ad Florum I. 16. § 12. Sed defendi potest recepta scriptura, quod 'subjici' dicantur gladii, qui ab inferiori parte corpus petunt, adeo ut per vulnus adscendant. Ovidius Am. Eleg. II. 14. 27. 'Vestra quid effoditis subjectis viscera telis:' ubi tamen non refugerem, si quis *subrectis* mallet: alia res est apud eundem Metam. VII. 599. 'Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros.' Quamvis non satis percipiam cur ibi *subjectos cultros* dicat, cum utique agat de sacrificio superorum, in quibus cultri inponebantur, cum in inferorum supponerentur. Servius ad Virg. Georg. III. 492. et Emmenes. ad Æn. VI. 248. Nisi dicamus generaliori sensu illam vocem hic adhiberi, vel *subjectos* cultros esse in terram depositos. Sed hoc alii viderint. Interim ne quid mutetur apud Nostrum inpedire suo quoque testimonio videtur Eutropius VII. 18. 'Subjecto ad mentum gladio.' Hinc 'subjicere' est ab humo in altum tollere, Adi Burmannum ad auctorem elegiæ de Morte Drusi vs. 256. Ceterum Leid. 1. vulgato errore scribit *dimitteret*: cum *demitteret* 'ad terram submitteret' exponi debeat. Solent enim illi qui ad pœnam ducerentur, demisso vultu incedere, ne a populo agnoscerentur. Appuleius Metam. III. p. 129. 'Et quanquam capite in terram, immo ad ipsos inferos jam dejecto, mœstus incederem.' Florus I. 18. § 28. 'Quæ non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus, victores equos sequebantur.' Quare indignatur Deianira, quod Iole captiva vultus non tegat, et populum audeat intueri apud Ovid. Epist. Her. IX. 125. 'Nec venit incultis captarum more capillis Fortunam vultus fassa tegendo suos. Ingreditur late lato spectabilis auro, Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras. Dat vultum populo sublime sub Hercule victo: Œchaliam vivo stare parente putes.' Lucan. II. 508. 'Captivum traxere ducem, civisque superbi Constitit ante pedes. Vultu tamen alta minaci Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.' Barthius ad Claudian. in Rufin. I. 53. et Cuperus Observ. I. 12. p. 100. Statim cum omnibus Mss. reposuimus *cœno, fimoque et ceteris.* Veteres, cum tres quatuorve res conjungerent, duas penultimas voces eo modo connectebant, cum priores nullo vinculo cohærerent. Livius IV. 6.

'Hanc modestiam æquitatemque et altitudinem animi.' XXI. 52. 'Ingentem terrorem cædemque ac fugam.' XXIX. 17. 'Scelus libidinemque et avaritiam solus ipse exercere in socios vestros satis haberet.' XXXVI. 48. Cortius ad Sallust. Jug. cap. 6. § 3. cap. 55. § 1. Sulp. Severus I. 31. § 3. 'Ex sententia principum augurumque et sacerdotum.' Et quæ dedimus sup. Epit. c. 1. § 13. et infra c. 47. § 3. *Arntz.*

§ 5 *Numerosis ictibus*] 'Minutissimis ictibus excarnificatus cum fratre L. Vitellio et filio Germanico,' Sueton. c. 18. 'Jugulatus in Tiberim dejectus communi caruit sepultura,' Eutropius lib. VII. et Orosius. 'Ad Gemonias ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere,' Tacit. Hist. III. Idem supra paullo 'capite truncatum Sabinum, in Gemonias tractum' scribit. Suetonius vero Capitolio, quo cum Flavianis confugerat, incenso, oppressum: Noster vero, Orosium forte sequutus, vivum ad scalas protractum, ibique interfectum. *Schott.*

§ 6 *Litteris culti*] Ex Corn. Tacito sub initium tertii decimi Annalis. Memini videre ab Hadriano Barlando viro, ut tum tempora ferebant, eloquenti, libellum editum de litteratis Urbis Romæ Principibus. *Schott.*

CAP. IX. § 2 *Hostis sui filiam*] Pronomen afuit a Floriacensi et Veronensi, et tollerem, nisi in melioribus Suetonii libris esset totidem verbis c. 14. ubi vulgati *sibi* non ita recte: 'filium' tamen 'Mucianus interfici jusserat, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset.' Tacitus Hist. Aug. lib. IV. extr. *Schott.* *Sui* delet itidem Guelf. major hiatus est in utroque Leid. qui *hostis sui* ignorant. *Arntz.*

§ 3 *Amicorum motus*] *Monitus* codex Veronensis sed illud malo, assentiente Tranqu. c. 13. Quod sequitur *dictis* recte abest a Mss. omnibus et Veronensi. De jocis (sic enim infra appellat) idem capp. 22. et 23. Plautus 'ridicularia' vocat Truculento. *Schott.* *Dictis jocularibus* habent priscæ edd. sed primam vocem a Mss. abesse animadvertens Schottus, eam uncis incluserat. In hac sententia ab omnibus nostris codd. confirmati, plane eam ut inutilem rejecimus. Ita 'ridicularia' apud Plautum Asin. II. 2. 64. et Trinummo I. 2. 28. Horatius Sat. I. 1. 23. 'Præterea ne sic, ut qui jocularia, ridens Percurram, quanquam ridentem dicere verum Quid vetat?' Et Burmann. ad Phædrum Fab. IV. 1. initio. Supra corrupte Lugd. 2. *ut eratorum fascentissimus:* nisi ex eo volueris facere *ut erat ore facetissimus.* Idem in Augusto, quod probrosis in se dictis arrideret, laudat Seneca de Clem. I. 10. *Arntz.*

Licinium Mucianum] Hunc *Licinium*, *Licinum* tribus syllabis quædam ex nostris exemplaribus scribunt. Alterum nomen est Μουκιανὸς apud Dionem, id est, *Mucianus:* sicut *Mucius* non per *t*, sed per *c* scribi debet. *Vinet.* Mss. scribunt per *t*, *Mutianus.* Lapides tamen literati per *c*, et Græcis Μουκιανὸς est, quo instigante et adjuvante arripuit Vespasianus imperium. Legendus Tacitus Histor. libb. II. III. et IV. et Sueton. capp. 6. et 13. apud quem ita hoc extulit: *Ego tamen vir sum.* Erat enim Mucianus impudicitia infamis. Jocus igitur ex ambiguo. *Schott.* *Licinum* Leid. 2. Ex glossa est, quod Leid. 1. pro *adjutore* præferat *adjuvante.* Sallustius Jugurtha cap. 80. 'Quis adjutoribus regem adgressus.' Cicero pro Sextio c. 17. 'His se adjutoribus in re gerenda esse usurum dicebat.' Val. Maximus VII. 3. ex. ext. 2. 'Sex adjutoribus ejusdem dignitatis adsumtis.' *Arntz.*

Fiducia meritorum insolentem] Qui Principibus operam dat, Luna videri debet, atque omne suum lumen acceptum ferre Soli; quemadmodum

non infrugifera forte diatriba ostendi ad illa Taciti de Silio: 'Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice jactantis, suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur: neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque tanto merito rebatur: nam beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse; ubi multum ante venere, pro gratia odium redditur:' Annal. IV. 18. *Grut.*

Nosti me virum esse] Sensus nimium fere patet: et tamen plus quam ridiculus est Scipio Ammiratus sub finem Discursus octavi, libro I. in Tacitum, ubi interpretatur illud Vespasiani ad Mucianum, cujus meminit Suetonius cap. 13. 'Ego tamen vir sum:' quippe nihil aliud vult, quam quod Valerius Asiaticus, qui objectanti ipsi mollitiam corporis Suilio, 'victo silentio prorupit reus, et, Interroga, inquit, Suili, filios tuos; virum me esse fatebuntur.' Annal. XI. 2. p. *Grut.* Cerda ad Virgil. Ecl. III. vers. 7. *Arntz.*

§ 4 *Obliqua dicta*] 'Figuras' Sueton. cap. 13. et Domit. cap. 10. 'Morsus figuratos' Macrob. lib. VII. Saturn. vocat. De Demetrio Cynico Philosopho Tacitus Hist. IV. Sueton. Dio. *Schott.* Martial. Epigr. VII. 61. 'Et notet obliqua garrulitate cliens.' Sueton. Domit. cap. 2. 'Carpsit obliquis orationibus et edictis.' Apud Tacitum Ann. II. 55. 'Oblique perstringere,' quomodo aliquoties ille auctor locutus; et Quinctilianus Inst. IX. 2. 'Obliquas sententias' dixit non uno loco. Adde Gevart. ad Statium Sylv. I. 2. vers. 27. et Duker. ad Florum IV. 2. § 9. *Arntz.*

§ 5 *Prudentissime ratus, nefaria ministeria a pluribus metu curari*] Vere: unde et Pertinax apud Capitolinum cap. 5. Falconi: 'Juvenis es consul, nec parendi scis necessitatem: paruerunt inviti Commodo; sed ubi habuerunt facultatem, quid semper voluerint ostenderunt.' Curtius Montanus apud Tacitum Histor. IV. 42. 'Hæc certe,' inquit, 'Nero non coëgit, nec dignitatem aut salutem illa sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones qui perdere alios, quam periclitari ipsi maluerunt:' ubi nos plura: quemadmodum etiam eodem quidem libro, sed sectione octava: ibi enim luculenter ostendi, 'scelerum tyrannicorum illud esse vel maximum, quod nemo omnium satis tutus sit, si recte faciat,' uti loquitur fere Lepidus consul apud Sallust. in fragmentis. *Grut.*

§ 7 *Uti quidam prave putant*] In his Corn. Tacit. Hist. Aug. lib. II. 'Prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par.' *Schott.*

§ 8 *Deformem incendiis*] Iisdem verbis Sueton. capp. VIII. et IX. De Capitolii varia fortuna primaque origine Plutarchus Poplicola, et Tacitus Histor. August. lib. III. legendi. Infra *prono transgressui* Cujacii cod. et *Pertunsa petra* constanter omnes scribunt. *Schott.*

§ 12 *In pace*] *In pacem* accusandi casu Mss. quæ lectio nimium quantum præstat. In Suetonio cap. VI. *Vologesus* optimi libri inflectunt. *Schott.* *In pacem* nostri omnes. *Arntz.*

§ 13 *Syria seu Palæstina, nec non Cilicia Trachea et Commagene*] Vetus cod. *Syria, cui Palæstina nomen est, Ciliciaque ac Thracia et Commagene:* locus etiam apud Eutropium corruptus. *Vinet.* Floriacensis *Tracia et Commagena* scribit per primam vocalem. Eutropius 'Trachiam Ciliciam, Tracheam Commagenem, quæ sub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit.' Apud Suetonium quoque c. 8. 'Trachiam' in antiquis libris scriptum fuisse testatur Theodorus Pulmannus noster, qui jam diu suam in emendandis auctoribus fidem

diligentiamque doctis probavit. Atqui ea jam inde a Claudii imperio in ditionem populo Romano concesserat. Eusebius Chronic. Ciliciam vero multo ante Servilius domuit, de eaque et Isauris triumphavit, et Isauricus dictus. Assentior itaque L. Torrentio, qui *Trachiam* in Eutropio expungit, et Turnebo qui *Tracheam Ciliciam* in Suetonio legendum censet, quod duplex ea geographis sit: et Claudius Imperator Polemoni, adempto Bosporo Thracio, Ciliciæ partem attribuerit: auctor Dio. Confirmatur et auctoris nostri auctoritate, cujus tamen Mss. *Ciliciaque ac Trachia* scribunt. Illud non celabo, perpetuo ita scribere eosdem, tametsi *Thraciam* significare vellent, ex hoc forte loco erroris origine imperitis librariis objecta. *Schott.* Nemo ignorat, quam lato sensu *Thracia* apud veteres sumi soleat, quare hic capi possit de parte aliqua Thraciæ nondum devicta, uti quoque idem statuitur a viris doctis in *Cilicia*; jam enim antea provincia hæc fuerat consularis. Unde nullum apud me dubium fuit, quin admittenda foret omnium codicum etiam nostrorum perpetua scriptura. In varias tamen partes discessionem fecerunt eruditorum sententiæ, quæ latius videri possunt in commentariis ad Sueton. Vesp. cap. 8. Eutropium VII. 19. Scalig. ad Eusebium p. 200. apud Heinsium ad Ovid. Artis I. 78. et alios. Nemo tamen, quod video, sollicitavit Orosium VII. 9. ‘Thracia, Cilicia, Commagene tum primum redactæ in provincias.’ *Arntz.*

Augustophratensem] [Vide Not. Delph.] Et Spanhem. Orb. Rom. Exerc. II. 14. *Arntz.*

§ 14 *A Metio Pompesiano*] Sic scribitur apud Suetonium. In Dionis epitome est Μέτιος Πομπουσιανὸς· extraordinarius consul fuit. *Vinet.* Suetonius ‘genesim habere imperatoriam,’ cap. 14. et Domit. cap. 10. idcirco interfectum ait. Cæterum *Mettium* et *percrebruerat* geminatis consonantibus scribunt: de hoc certant Manutius et Lambinus. Hæc autem periodus, ut quod sentio dicam, supra collocanda erat post Mucianum. Sed centones consarcinavit, et Suetonii fere ordinem in describendo sequutum apparet. *Schott.* Vide varias Lectiones Grævii ad Ciceron. ad Famil. Epist. X. 10. Act. in Verr. I. 1. et Orat. pro Mur. cap. 25. Neque tamen ipse vir clarissimus in hac voce exprimenda sibi constat; multis quippe locis litteram caninam abjicit, aliis addit, uti in Verr. IV. 30. 43. &c. quod summa cum fide secuti sunt posteriores. Quantum dissentiant de vera scriptura critici, largam exemplorum copiam exhibebit Drakenb. ad Silium X. 1. *Arntz.*

Vigilare de nocte] Noctibus uti solitum Vespasianum testis quoque Plinius Cæcilius l. III. ubi de avunculo agit, qui ante lucem ad eum commeare solitus erat. *Schott.*

Quæcumque advenissent] Ex Tranquillo sumpta, qui tamen *obvenissent* dixit, rectius. Et pro *auditis, decisis*; quod amplius gestationi et deinde quieti vacabat cap. 21. Porro de Caligula idem cap. 3. ‘usum assidua equi vectatione post cibum:’ sic enim interpungendum recte docuit Lævinus Torrentius, de Domitiano vero cap. 19. *Schott.*

§ 16 *Quasi fato*] Corrupte *facto* Guelf. Suetonius Vesp. cap. 4. § 8. ‘Esse in fatis.’ Virgil. Æn. II. 13. ‘Fracti bello fatisque repulsi.’ Et ibi male *factis* cod. scriptus, qualia innumera librariorum peccata recensere facile esset, si otium permitteret, aut res ipsa posularet. Vide Drakenb. ad Silium XI. 9. Melius Leid. 1. supra *Romana res.* Notum pueris, ‘Moribus antiquis stat res Romana virisque.’ *Arntz.*

§ 17 *Annum agens vitæ*] ‘Exstinctus est IIX. Kalend. Julii, annum gerens

ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum.' Sueton. cap. 24. *Schott.*

§ 18 *Crinitum sidus*] A Suetonio est cap. 23. 'Cometam' vocant physici, de quo Plinius II. 25. et Seneca Quæst. Natur. lib. VII. 'Summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur.' Idem Sueton. Nerone cap. 36. et Claudio cap. 46. Tacitus de Neronis ætate Annali 14. 'Sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regnis portendat.' *Schott.*

Cui capillus effusior] Romanos barbam ponere, in luctu vero summittere solitos; contra regulos externos fecisse constat: Sueton. Calig. cap. 6. Xiphilin. in Trajano (qui tamen Hadrianum Imperatorem mentum non rasisse ait), Tacitus Hist. lib. IV. de Civili, et lib. de Moribus German. *Schott.* In cod. Gembl. legitur apud Manilium I. 841. 'Parthosque capillos Mentitur, parvos ignis glomeratus in orbes.' Pro quo *parvosque* habet Scaliger, melius Gronovius *sparsosque* Observ. p. 89. Confer Grang. ad Juven. Sat. VI. 407. *Arntz.*

Ventris eluvie] 'Alvo usque ad defectionem soluta.' Suetonius. Quare non placet Germanicorum et Gallicorum exemplarium τὸ *ingluvie.* Schott.

Stantem, Imperatorem excedere] Hinc Julius Cæsar 'repentinum inopinatumque vitæ exitum, tamquam commodissimum præferebat.' Sueton. Cæsare cap. 87. Quod dictum et Turbo usurpavit apud Hadrianum Imperatorem teste Xiphilino e Dione. *Schott.*

CAP. X. § 1 *Matre liberta*] Suetonius Vesp. c. 3. ubi *Libertam delegatam* legendum conjectat Torrentius, quod et hoc loco probatur, et *L.* antiqui pro *Liberto* vel *Liberta* sæpe scribunt. De Titi eloquentia virtuteque bellica, quibus domi militiæque claruit, Plinius avunculus in eleganti illa præfatione operis Natur. Hist. ad Titum, et Suetonius Tito capp. 3. et 4. *Schott.* Et Spanhemius de Præstant. et Usu Num. Diss. XI. p. 284. *Arntz.*

Domitilla] *Domitius, Domitianus, Domitilla,* quintam literam *t*, non *c* debent habere. *Vinet.*

§ 4 *Per theatra et castra*] In Veronensi et Mss. vario casu. *Schottus.* Suetonium exprimunt hoc loco edd. qui scripsit *per theatra et castra*, sed ex eo non statim sequitur eam construendi rationem debuisse servare Nostrum, certe cum Schotti codd. repugnent omnes nostri Mss. quorum scriptura fortasse mutata est a sciolo, qui neglecta veterum lectione primis artis grammaticæ disciplinis ætatem consecraverat, contra quas peccasse nefas credebatur. Sed aliter visum Livio XXII. 11. 'Navibus, quæ ad urbem Romanam aut Ostiæ essent.' Suetonio Cæsare c. 16. § 2. 'Ut comperit paratos, qui vi ac per arma prohiberent.' Sed quid operam perdo? neque enim opus est multa conferre; et exemplorum segetem adduxit Cortius ad Ciceron. Famil. Epist. I. 7. in fine; et XI. 11. ad Sallust. Catil. cap. 25. § 2. Jug. cap. 7. § 1. et c. 50. § 3. Perizon. ad Sanctium I. 18. et quæ supra ad Cæsares c. 10. § 4. et c. 39. § 17. Nepos Datame c. 3. § 1. 'Hominem maximi corporis terribilique facie.' *Arntz.*

In quibus Cæcinam] Hic est Aulus Cæcina apud Suetonium. *Cæcina* autem varie scribitur in nostris exemplaribus, *Cæcinna, Cecina, Cecinna.* Vinet. Mss. antique *in queis* et simplici *n Cæcinam* recte scribunt. Dictus enim *A. Licinius Cæcina.* Rursum hæc a Suetonio sunt, qui tamen tanquam conjurationis non adulterii reum, confodi jussum ait. *Schott.* Editiones litteram *n* geminant contra sententiam eruditorum, et scribendi rationem, de qua Manutius ad Ciceron. ad Famil. Epist. VI. 5. et Dausquius Orthogr. part. II. p. 48. Præterea edd. *in queis*, pro quo tersius *in quis*

Guelf. hanc enim formam præferunt Drakenb. ad Sil. Ital. I. 14. et Cortius ad Sallust. Jug. cap. 80. § 5. *Arntz.*

Berenices] Legendum puto, sicut apud Suetonium scribitur. Effertur enim sicut 'Penelope:' ea est 'Beronice,' *o* pro *e*, in secunda syllaba apud Dionem, idemque nomen 'Veronica.' *Vinet.* *Berenicis* libri veteres inflectunt. 'Uxoris' eam nomine dignabatur, 'nuptias' tantum 'pollicitus.' Sueton. cap. 7. Tacit. Hist. Augustæ lib. II. *Schott.* Hujus Judaicæ feminæ nomen apud Græcos per *o*, apud Latinos per *e* exprimi monet Grævius ad Sueton. Tito c. 7. sed et in Græca inscriptione apud Ryckium ad Tacitum Hist. II. 2. est ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ. Hujus et in Act. Apost. cap. XXV. et apud Josephum passim mentio: *o* etiam Leid. 2. qui cum reliquis vel editis vel scriptis *Berenicis.* Arntz.

§ 5 *Jurgia*] Id est, 'jura:' sic Catullus; et infra Nerva 'jurgiorum disceptator' dicitur. Divine igitur Torrentius, qui in Suetonio 'cognitionibus patriis' reposuit; ita flagitante historiæ veritate, pro quo vulgo *concionibus:* corrupte haud dubie. *Schott.*

Vocantes opinantesque] Mss. et Veronensis optime *opinantes vocantesque*, quos sequor: et Suetonius, 'Propalam alium Neronem et opinabantur, et prædicabant,' c. 7. *Schott.* Quod firmant omnes nostri et naturalis ordo. *Arntz.*

§ 7 *Enervatorum*] 'Delicatorum.' Idem Tranquill. qui tamen spectare tantum eos desiisse Titum scribit, non ejecisse; Domitianum vero scena histrionibus interdixisse; in Domitiano c. 7. Quid si eunuchos, non histriones intelligas? quibus reginæ, Ægypti præsertim, uti solent. Terent. Eunucho: 'Contaminatum congregem turpium Morbo virorum.' Vocat Horat. Carminum I. ita enim restituit doctissimus Scaliger. *Schott.*

§ 8 *Signum protulit*] Non male etiam *prætulit:* sic facem novæ nuptæ præferebant: et vide Servium ad initium VIII. Æneid. Illud *soleret* quamvis in scriptis cod. comparet, non placet. Sed illud *simul imperium*, venustum Horatii more: res nota ex Suetonio cap. 8. Addit Cratandri ed. *cavit vel concessit.* Augustanus cod. initio *damnata concessave* pro *donata:* et hic *concessit* pro *cavit.* Schott. Omnes edd. *simul ut inperium:* sed præferendum quod Schotto placuit et codd. Guelf. et Leid. 2. firmaturque ab auctore Cæsarum supra § 2. Ovidius Rem. Amor. vs. 413. 'At simul ad metas venit finita voluptas.' Cicero de Harusp. Responsis c. 1. 'Simul ad Cn. Lentulum Cos. adspexit:' quod recte reduxit Grævius et Perizonius ad Sanctii Minervam in add. ad p. 305. Quo fortasse modo legendum apud eundem in Vatinium cap. 2. 'Simul ad te adspexi,' pro quo invenio *simulac.* Velleius II. c. 88. § 1. 'Interficiendi simul in urbem revertisset Cæsaris consilia inierat.' Sed de hac voce copiose satis ante nos viri docti egerunt, Lambinus ad Horat. Od. I. 4. 17. Freinshem. ad Florum II. 17. § 16. Scheff. ad Phædrum Fab. III. 14. 8. Burmann. ad Fab. II. 4. 14. Gronovius ad Senec. de Ira I. 1. et ad Liv. VI. 31. Brantius ad Cæsar. Bell. Gall. IV. 35. Grævius ad Ciceron. Famil. Epist. XIV. 7. Cortius ad Epist. VI. 19. et Sallust. Jug. c. 7. § 4. *Arntzenius.*

Perdidimus diem] Laudat aureum hoc dictum præter Tranquill. cap. 8. Ausonius in Panegyrico. Scitum illud Apellis, 'Nullam hodie lineam duxi.' *Schott.*

§ 10 *Amplissimi ordinis duo*] 'Patricii generis,' inquit Sueton. cap. 9. Simile factum Nervæ tribuit Xiphilinus ex Dione, in quem Crassus Calpurnius Crassorum nepos conjuraverat: cujus et in Trajano idem meminit. *Schott.*

Deductos] Vide quæ dicta sunt ad Cæsares, ubi de hoc loco latius. *Arntz.*

Vesuvius] Varie appellatur et scribitur mons ille Plinii avunculi morte et incendio nobilis. *Vesubius* scriptum habent codd. quibus usus sum, calamo exarati, et frequenti commutatione *b* et *u*; ut Hispanis 'vonum' bonum sapit. Vidi qui *Vesevius* vel *Vesebius* scriberent. Est apud me vita Plinii majoris Suetonio inscripta Ms. ex bibliotheca Pithœi, ubi *Vesuium* appellatum video, extrita tertia *u* litera: juxta Neapolim est, ad mare vergens. Eleganter incendium hoc descripsit Dio, qui Βέσβιον appellat, ut *Vesevum* Maro. Vide Sueton. c. 8. et Abrahami Ortelii amicissimi civis mei Synonymiam geographicam, accurate diligenterque concinnatam. *Schottus.* Adi Dausqu. de Orthogr. part. II. p. 329. Comment. ad Silium XII. 152. et Duker. ad Florum I. 16. § 5. in Ms. Suetonii invenio *Bebius* et *Vesebius.* Arntz.

§ 14 *Quibus malis nonnullis vexatis*] Sic quatuor vulgati Gallici et Germanici. Veron. et Mss. *Quibus tamen malis nullo vexato:* vere, ad Suetonii, unde exscripta sunt, sensum. Alio respexerunt emendatores illi, aut aliud agebant. *Schott.*

Cap. XI. § 1 *Vespasiani*] Afuit a vulgatis omnibus. Nos e Mss. et Veronensi reposuimus, nisi *etiam* pro *et* legere mavis. Qui et *Domitillæ*, ut *Domitianus* per *t* scribunt Mss. et numi qui sunt Augerii Busbequii V. C. editi libri *Domicillæ.* Infra illud *vel cœpta* requiro in Veronensi libro, et certe abesse potest, ut patet ex Suetonio c. 5. *Schott.*

§ 2 *Domi bellique*] Edd. fere distinguunt *iners, domi bellique:* melius tamen Aldus *iners domi, bellique:* sed in alterius Victoris lectionem conspirant omnes Mss. *belloque* præferentes, quos sum secutus; certior interim præferendam esse aliarum edd. scripturam, si illa a codd. firmaretur. Eutropius VIII. 5. 'Post ingentem igitur gloriam belli domique quæsitam.' Dictys Cretensis Belli Troj. I. 5. 'Cujus maxime in ea tempestate domi belliqne consilium valuit.' Appuleius in Florid. p. 344. 'Præclare edita fatigaberis admirando, vel belli ausa, vel domi provisa.' Symmachus Epist. I. 43. 'Nemo enim belli notus aut domi clarus exsortem præmii sensit industriam.' Copiosius hanc formulam vindicavit Heinsius ad Ovid. Met. XII. 185. et post eum Perizonius ad Sanct. IV. 4. nota 128. et Cortius ad Sallust. Jug. c. 41. § 7. et c. 53. § 2. *Arntz.*

§ 4 *Incendio consumtas*] Tralata huc ad verbum ex Sueton. c. 20. nisi quod *absumptas* habet, melius. Atque bello Alexandrino bibliotheca ea conflagrarat: quomodo ergo inde allati libri? Sustineo. *Schottus.* Sed hæc bibliotheca postea instaurata fuit instinctu Cleopatræ, inpetrata ab Antonio bibliotheca Pergamena, adeo illa alienis et libris et liberis suum auxit inperium. Vide Lipsium Synt. de Biblioth. capp. 2. et 7. Falsterum Quæst. Rom. lib. II. capp. 2. et 4. et Salden. de Usu Libr. lib. I. cap. 2. *Arntz.*

§ 5 *Sagittarum*] Rursus a Suetonio est c. 19. qui tamen *pueri* habet, non *viri.* Pronomen *ejus* adscripsi ex Veronensi. Idem de sævitia capp. 10. et 11. Τὸ *cædibus* afuit ab eodem Veronensi. *Schottus.* Hoc vero loco *sagittare* Leid. 2. qui error vel natus est ex nota librariorum, qua in fine vocis facile *um* et *e* confunditur, vel quod existimaret homo bonus, minus recte *doctum* cum gignendi casu jungi, de qua constructione magnus Bentleius ad Horat. Od. III. 8. 5. Claudianus in Eutrop. II. 381. 'Abundans Corporis, exiguusque animi, doctissimus artis Quondam lanificæ.' *Arntz.*

§ 6 *More Caligulæ*] C. prænomen addunt Mss. Eusebius vero Chronicis Domitianum primum sibi Domini nomen vindicasse ait supra c. 3. *Schott.* Prænomen addunt et nostri scripti. *Arntz.*

Segnisque] At quare *segnis* qui horas diligenter operi faciundo publicisque negotiis agendis partiebatur? Lævin. Torrentius in Suetonium de ingenio *stylisque* tentabat: quam lectionem utinam confirmarent libri veteres. Favet satis, unde hæc transcripta sunt, Tranq. cod. 'Muscas,' inquit, 'captare ac stylo præacuto configere:' c. 3. *Schottus.* *Signisque* edd. et manu exarati codd. *Arntz.*

§ 7 Κλινοπάλην] Martialis Epigramm. lib. XIV. qui et ipse Domitiani æqualis: 'Non amo qui vincit, sed qui succumbere novit, Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.' *Schott.*

§ 8 *Responsum*] A Vibio Crispo, de cujus jocis etiam Xiphilinus. Rursum locus hic mutilus est et male consarcinatus; addendum enim erat *ne musca quidem nisi apud palæstrum.* Quod si non impetro; transposita quædam esse nemo non videt: quid enim iis quæ de libidine interjecta sunt, respondet? *Schottus.* Post *responsum* voluntate codicum verbum substantivum *est* abjecimus. *Arntz.*

§ 9 *Scortum*] Pro puero meritorio. Utitur Suetonius quoque Vitellio c. 3. et Victor noster de Viris Illustr. Catone. *Schott.* Sic est, non unus Principum periit ob verborum licentiam effrenem. Sunt enim multi in aula, qui perferant omnia fanda ac nefanda, sed ea tamen deinde etiam nolunt exprobrari, aut objici: exemplum exstat luculentum apud Aristotel. Politicorum v. 10. ubi Ambraciæ tyranno insidiæ sunt, διὰ τὸ συμπίνοντα μετὰ τῶν παιδικῶν, ἐρωτῆσαι αὐτὸν, εἰ ἤδη ἐξ αὐτοῦ κύει. *Grut.*

§ 10 *Norbanum Appium*] *Lapium Norbanum* scribit vetus codex. Dio 'Lucium Maximum' vocat, qui Lucium Antonium Germaniæ præsidem interfecit, qui bellum civile moverat. *Vinet.* Postulat susceptum negotium ut quæ in veteribus exemplaribus reperi bona fide repræsentem, etiam quæ damnem, ut aliis etiam ansa detur verum exsculpendi. [Vide Lectt. Var.] Hujus nomen in Suetonio non exstat, nisi quod cujusdam Norbani consulatus meminit Vitellio cap. 3. Ille vero L. Antonius Saturninus dictus, in quem lepide lusit Martialis Epigram. IV. 11. *Schott.* Crediderim vitio librariorum in nota Schotti legi *Antoninus*, cum *Antonius* esse debeat, ut vel ex ipso Martialis loco patet. *Norbanum* verum esse hujus ducis nomen docet Martialis Epigr. IX. 84. qui de hoc bello: 'Cum tua sacrilegos contra, Norbane, furores, Staret pro domino Cæsare sancta fides.' *Arntz.*

§ 11 *Stephano*] Procuratore Domitillæ. Sueton. c. 17. Zonaras interfectum ait, patrata cæde tyranni, ab iis qui conjurationis conscii non erant: de hoc inf. c. 12. Clodianus vero cornicularius fuit; de quo officio militari dicere memini ad Viros Illust. in Æmilio Scauro. De Domitio et Paride histrione ejusque discipulo Suetonius capp. 3. et 10. *Schott.*

§ 13 *Efferri*] 'Per vespillones populari sandapila: et senatus eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decrevit.' Sueton. capp. 17. et 23. *Schott.* Et Lipsius de Amphitheatro c. 21. *Arntz.*

§ 14 *Seculares ludi*] Computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo Augustus olim ediderat. Sueton. cap. 4. Tacitus Annal. lib. XI. se iis intentius adfuisse scribit sacerdotio XV.virali præditum, post prætorem. Dolendum vero libros, quibus res Imperatoris Domitiani composuit, intercidisse. Annus hic, opinor, fuit U. C. IↃCCCXLI. *Schott.* Grævius ad Suetonii Domitianum c. 4. *Arntz.*

§ 15 *Moderatius*] 'Lætior reipublicæ status evenit abstinentia et moderatione insequentium Principum.' Sueton. Domit. extr. *Schott.*

Cap. xii. § 1 *Menses tredecim*] *Menses XVI. et dies X.* sic Mss. omnes rectius: tot enim numerant Xiphilinus et Eutropius, qui tamen in ætate discrepant. Hic septuagesimo et altero anno mortuum scribit; ille quincto et sexagesimo, additis mensibus et diebus decem. *Schott.* et *Grut.* Guelf. et Leid. 1. recte *XVI.* Nimium largitur Leid. alter *XVII.* numerans. Error facillimus cum ex *V.* librarii duas rectas fecerint lineolas *II.* Arntz.

§ 3 *Arrius Antoninus*] Casaub. ad Capit. Anton. Pio c. 3. et Reinesius Var. Lect. ii. 7. Male Leid. alter *Arcius.* Paullo post idem cod. *gratulari se ait senatu* ex consuetudine veterum, de qua nonnulla ad Vir. Ill. c. 71. Servius ad Virgil. Ecl. v. 29. Æn. iii. 541. Philarg. ad Georg. iv. 158. Ryckius ad Tacit. xii. 62. Deinde *haud molestiis* inpressi cum Mss. quoque nostris. Et paullo post etiam *subici* uterque Leid. de qua scriptura vid. ad Vir. Ill. c. 35. *Arntz.*

Atrociores sunt ipsis quoque hostibus] Id innumeri experti sunt, tuque etiam, Cai Juli Cæsar: ita enim de te Velleius l. ii. c. 56. 'Neque illi tanto viro et tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit: quippe cum mense Octobri in Urbem revertisset, Idibus Martiis, conjurationis auctoribus Bruto et Cassio, quorum alterum, promittendo consulatum, non obligaverat; contra differendo Cassium offenderat,' &c. *Grut.* In eandem sententiam alia collegit Brantius in notis Politicis ad Cæsarem Bell. Civ. i. 34. *Arntz.*

§ 4 *Parentibus egestosis*] Antiquus liber habet *egestuosis.* Insolens utrumque satis. *Vinet.* *Egestuosus* etiam Leid. 2. quam scripturam secuta est bellissima Anna, non invito Adamo ad Salvianum de Gubern. Dei ii. p. 38. *Arntz.*

§ 5 *Hic ne accessum malignorum terreret*] Sic quidem Vineti ed. sed nolentibus Mss. et vetustius cusis, in quibus concorditer *Hic ne accessu malignorum terreretur;* quod revocandum: sed errat noster auctor, si ea de caussa id putat pronuntiatum a Maurico: cum enim idem apophthegma retulerit Plinius Epistola iv. 22. apparet dictum esse a viro gravissimo, ut ostenderet etiam sub optimis Imperatoribus foveri malos: et ita sane est; qui omnem aversatur malitiam, non ea tamen se expedit Princeps; adeo aulicæ potentiæ elementis immixta est: quemadmodum nimis prolixe forsan, sed tamen nonnullo tyronum bono ostendimus, ad illud Taciti Histor. iv. 42. f. 'Optimus est post malum Principem dies primus.' *Grut.* Reduxi injuria expulsam lectionem, quam tuentur etiam nostri codices. *Arntz.*

Junii Maurici] Trisyllabus hic *Mauricus,* tetrasyllabus est *Mauritius* in vetusto cod. sed 'Mauricum' etiam appellant epistolæ Plinii, tribus tantum syllabis. Est autem fortasse *Mauricus,* unde isti 'Mauritii' dicti sint, ut imperator 'Mauricius,' qui a suis militibus interfectus traditur anno Christi sexcentesimo tertio: quare non *Mauritii* per *t,* ut in vetere libro, cæterum per *c Mauricii,* dicendi videantur: quomodo illos Græci per κ Μαυρικίους scribunt, et vetusta marmora *Mauricios.* De Casperio autem lege Dionem. *Vinet.*

Mentione Catuli] Geminari debere liquidam in hoc nomine, monuimus in commentario Eutropii. Juvenalis satyra quarta: 'Et cum mortifero prudens Veiento Catullo.' *Vinet.* *Catuli* edd. sed melius scripti. Mox *dicenti* Leid. 1. unde scribi posset *dicenti Nervæ,* sed sine necessitate, uti jam monuimus ad Vir. Ill. cap.

64. § 3. et Schottus ad cap. 66. § 2. Vell. Paterculus II. 4. § 4. 'Interrogante tribuno Carbone, quid de Tib. Gracchi cæde sentiret, respondit.' *Arntz.*

Nobiscum, inquit Mauricus, cœnaret] Respondit Mauricus Nervæ, Cœnaret hic nobiscum Catullus Messallinus, si nunc viveret. Sic ergo distingue apud Plinium in epistola vicesima secunda libri quarti: 'Quid putas passurum fuisse, si viveret? et Mauricus, Nobiscum cœnaret.' *Vinet.*

§ 8 *Sed milites neglecto Principe*] Fit sæpe, et eo alludit illud Senecæ de Clementia I. 10. 'Hoc est ignoscere, cum scias multos futuros qui pro te irascantur, et tibi alieno sanguine gratificentur; non dare tantum salutem, sed præstare.' De Augusto Sueton. 'Laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: cæterum et illacrymavit, et vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis quatenus vellet irasci,' &c. de qua mansuetudine, nos non inepta ad illa Capitonis apud Tacitum Annal. l. III. c. 70. 'Sane lentus in suo dolore esset Cæsar; reipublicæ injurias ne largiretur.' *Grut.*

Petronium, Stephanum] Τὸ *Stephanum* in nullo Mss. comparet nec in Veronensi, Augustano et Gryphii, et recte: quis enim duos uno ictu interemptos credat? Suspicor supra adscriptum *Secundum*: indeque factum ab aliquo ludimagistro *Stephanum*, quod eum supra inter percussores Domitiani nominatum recordaretur. Atqui Zonaras non malus auctor, in cæde ipsa Imperatoris Stephanum quoque interfectum refert ab ignaris conjurationis. Non igitur a Neronis militibus. Eutropius sane 'Petronium Secundum' præfectum prætorio nominat, cum de Nervæ auxiliatoribus ad regnum adipiscendum loquitur sub initium lib. VIII. et Parthenium interfectorem Domitiani: quem Orosius spadonem facit l. VII. c. 2. Tranquillus vero 'Maximum' duntaxat libertum inter ejus percussores numerat, in Domitiano cap. 17. *Schott.* et *Grut.* Unde in posterioribus quidem edd. illa lectio *Petronium Stephanum uno ictu* profecta sit, me fugit; certe in antiquis quas inspexi, secunda vox aberat, quod et ab optimis scriptis confirmatur, et a rei veritate; cum vel illa ipsa scriptura repugnet sensui communi, nisi intelligas, id voluisse auctorem, successive quidem periisse, sed tamen uno tantum vulnere accepto, ut opponantur iis, qui per partes lacerarentur, quod evenit Parthenio, qui demtis prius testiculis periit. Verum ceteri quoque historici duos solummodo memorant. *Arntzenius.*

Casperio] Sic vulgati. *Casperi* Mss. duo inflectunt. *Caspari* Veron. a quo forte Christianum nomen ortum. *Emperio* Augustana editio habet. 'Ælianum Casperium' Dio vocat, præfectum prætorio, quam etiam dignitatem sub Domitiano gesserit. *Schottus.* Corruptum lege *Segerio.* Xiphilinus Domitiano: Ἐπέθεντο δ' αὐτῷ καὶ συνεσκευάσαντο τὴν πρᾶξιν Παρθένιος ὁ πρόκοιτος αὐτοῦ καὶ Συγήριος (male Σύγηρος) ἐν τῇ προκοιτίᾳ καὶ αὐτὸς ὤν. Martialis lib. IV. 'Sigeriosque meros, Partheniosque sonas.' *Grotius.*

Apud populum] Observa *Liberi* singulari numero dici, ut et in Victoris Gordiano: vide Notas. Unam filiam 'liberos' vocat contra Terentius numero multitudinis, Hecyra, et Cicero de Aruspicum Responsis. *Schottus.* [Vide Lectt. Var.] Licet autem vox 'cooptare' proprie spectet ad collegia sacerdotum, quo sensu apud Ciceronem, Livium, Suetonium frequens est, tamen pro adoptare etiam dixit Appuleius Met. l. IV. p. 154. 'Quem filium publicum omnis sibi civitas cooptavit:' et de administratione reip. usurpavit Suetonius in

Aug. cap. 27. *Arntz.*

Horror] Longe melius vocis significatio hæc illustratur a Scribonio Largo comp. 95. 'Tollit præterea horrores febrem præcedentes,' et Cupero Observ. II. 15. *Arntz.*

§ 12 *A senatu quondam*] *Honore relato* amplector; ut velit ab Augusto hunc alterum esse cui honor is obtigerit, ut humeris senatorum deferretur ad sepulcrum: *relatum*, est 'rursum latum,' ac 'repetitum:' allusit forte ad ea, quæ habemus in Victoris Cæsaribus fine capitis 35. *Gruterus.*

Cap. XIII. § 1 *Ex urbe Tudertina*] Tuder non ignota urbs est Umbriæ, cujus incolæ Tudertes et Tudertini, et hinc dici potest urbs Tudertina, ut urbs Romana et similia passim. Quid si origine Hispanus, nativitate vero Tudertinus fuerit optimus Principum? Neque hoc videtur displicere Lipsio ad Plinii Paneg. cap. 13. § 5. qui et ibi *in urbe Turdetana* conjiciebat. Sed in eo sine dubio falsus est. Confer Dodwellum Præl. Camd. ad Spartiani Hadrian. IV. § 6. Nec crediderim huic rei illustrandæ multum facere verba Plinii Paneg. l. l. qui memorat Trajani 'patrium morem, patriam virtutem,' quasi ibi necessario Italica seu Romana intelligenda esset. Cum utique constet, Italicæ incolas fuisse Romanos, Scipio enim ibi milites vulneribus defessos reliquit, inde municipium fuit, et postea colonia. Captat potius benevolentiam Principis orator, qui mallet Romanæ quam externæ civitati adscribi. Confer Casaubonum ad Spartiani Hadr. cap. 1. et Cellarium Geogr. II. 1. p. 58. Et tamen hoc argumentum primum movit Lipsium, et ulterius ursit Dodwellus. Ego fidem auctoris nostri damnare non audeo; potius suspendo judicium, cum veritatem pro certo adfirmare prohibuerit iniquitas temporum. Romæ eum vindicat Benevenutus de Rambaldis Libro August. in ejus vita: 'Trajanus ortus Romæ, cujus antiqui fuerunt Hispani.' *Arntz.*

Annis viginti] *Annos* Leid. alter, qui mox cum Leid. priori *valuerint.* Arntz.

§ 2 *Summorum scriptorum*] Explebit lectorem vel unus Plinii Panegyricus. Dolendum eos intercidisse qui Trajani vitam copiose in literas miserunt, 'Marium Maximum, Fabium Marcellinum, Aurelium Verum, Statium Valentem, quos laudat Lampridius in Alexandro Severo. Ceterum postea in senatu Principibus felicis ominis et augurii caussa acclamabatur, 'Esto felicior Augusto, melior Trajano.' S. C. quoque factum est, ut 'Optimus' appellaretur. Dio, Eutropius. *Schott.*

§ 3 *Apud Agrippinam*] [Vide Not. Delph.] Sed utrumque errare vidit Dodwellus Camden. Præl. VI. ad Spartianum. *Arntz.*

§ 4 *Cibo vinoque*] De vinolentia infra quoque in Theodosio c. 49. Scitum illud Catonis, 'Unum Cæsarem sobrium ad rempublicam accessisse.' Sueton. Cæsare c. 53. Herba parietina dictus infra c. 43. De Pompeia Plotina c. 44. et in Theodosio plura. *Schott.*

§ 5 *Liberalis*] Quemadmodum in amicos comis esset rationem ipse reddit apud Eutrop. 'Liberalis in cunctos: publice privatimque ditans omnes, et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset.' *Schott.* et *Anna.*

§ 6 *Lavacra*] In Cæsaribus. *Anna.* Et Bellorius in Fragmentis vestigii veteris Romæ ad tab. IV. tom. IV. Thes. Rom. *Arntz.*

§ 7 *Prodere*] *Promere* scriptum habeo: vulgo *prodere.* Schott. Posset defendi utrumque. 'Promere caussam' dixit Rutilius Itin. I. 287. pro quo 'prodere caussam' apud Ovid. Fast. V. 698. Censeo tamen *prodere*

præferendum, cui multum favet additum adverbium *nominatim:* et agnoscit Leid. 2. Claudian. in Rufin. I. 251. 'Quis prodere tanta relatu Funera, quis cædes posset deflere nefandos?' Lucanus v. 176. 'Nec tantum prodere vati, Quantum scire licet.' Justinus XII. 6. § 17. 'Ab ipso rege ad prodenda memoriæ acta ejus accitus.' Si quis tamen alteram scripturam malit amplecti, non vehementer pugnabo, cum et proba sit et fortassis facilius corruptioni obnoxia ob rariorem usum, unde etiam expositio erit librarii in Leid. 1. ubi *scribere* lectori obtrudebatur. Nec infrequens est inter 'prodere' et 'promere' mutatio. Burmannus ad Val. Flaccum VII. 357. ad Ovid. Fast. v. 508. cum variantibus lectionibus Cortii ad Lucan. I. 625. Claudian. de Rapt. Pros. I. 3. 'Junonis thalamos audaci prodere cantu:' ubi omnino conferendus est Nic. Heinsius. *Arntzenius.*

§ 8 *Eruditissimos, &c. diligebat*] Callide: quamvis enim eruditissimus ipse non erat, habebatur tamen: neque enim videtur amare posse et colere doctos indoctus: quippe juxta Catilinam Sallustii: 'Idem velle, idem nolle, ea demum firma est amicitia.' *Grut.*

§ 9 *Juris humani*] Testis Plinii Epist. X. si illius est; qui ad illum omnia retulit. *Schott.* Mox *quo per multos* Leid. uterque. *Arntz.*

§ 10 *In remedium*] Movisse lacertos remp. sub Trajano inquit L. Ann. Florus et Sex. Rufus in Breviario. *Schott.*

In quibus] Præterea *e fastigio* codd. et edd. quas vidi, omnes, a quibus recessit Pitiscus, ubi fortasse incuria librariorum, certe sine necessitate, *a fastigio* reperitur. Propertius Eleg. III. 2. 13. 'Cum me Castalia speculans ex arbore Phœbus Sic ait, aurata nixus ad antra lyra.' Lucanus v. 16. 'Lentulus e celsa sublimis sede profatur:' ibi nonnulla *Oudendorp. *Arntz.*

§ 12 *Tiberis inundavit*] Vide Plinium Nat. Histor. III. 5. Inundavit et sub Othone, Sueton. cap. 8. Tacitus Hist. August. I. Mox *ædium proximarum* amplius est in Mss. quibus fere Veronense exemplar consentit. De terræ motu, fame et peste, Dio Cassius, Orosius, alii. *Schott.* *Proximarum* addunt omnes scripti. *Arntz.*

§ 13 *Statuens ne domorum*] Augustus P. Rutilii Rufi exemplo ædificiis modum imposuit, ne ædes altius LXX. pedes tollere liceret. Trajanus ad LX. revocavit. Sueton. Octavio c. 79. Strabo Geograph. lib. v. Exstat Neapoli in marmore lex ædificantium, cujus prima pars truncata est. *Schott.* Pulcra ad hunc locum petes e Barnabæ Brissonii I. 1. Selectarum ex Jure Civili Antiquitatum. *Grut.* Gothofredus ad lib. I. Cod. Just. de Ædif. privatis. et Lipsius ad Tacit. Ann. XV. 43. *Arntz.*

Sexaginta superaret pedes] Notatum numerum hic reperimus, in aliis *sexaginta*, in membraneo codice *quadraginta*. Vinet.

§ 14 *Sexaginta quatuor*] Variant historici. Sexagesimo secundo ætatis, ventris profluvio, imperii undevigesimo, additis mensibus et diebus XV. mortuum, auctor est Dio, Eutropius, et Orosius. *Schott.* *Annis* Leid. 1. cum edd. pro quo *annos* apud Schottum. De ætate addendus Lipsius ad Plinium Paneg. c. 4. in fine. *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *Stirpis Italicæ*] Legitur in Mss. *Italæ*, quod tamen abjudico. Italica enim Hispaniæ urbs, quæ et Trajani patria. An vero et Silii poëtæ? ἐπέχω et amplius pronuncio. *Schott.* Mss. Schotti *Itala*, super quo videantur Casauboni nostri animadversiones ad Spartiani Hadrianum capite primo. *Grut.* Omnes mei codices et editi *Italicæ.* Arntzenius.

Oppidum agri Piceni] Leid. 2. *mari Adriatici*, sed nihil mutandum ex Justino XX. 1. § 9. 'Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ et Adriatico mari nomen dedit.' Dissentit vero auctor noster ab reliquis scriptoribus, qui Adriatici maris nomen non deducunt ab Adria Piceni, sed ab Adria oppido in Venetis. Vide Berneccerum ad Justin. laudato loco, et Cellar. Geogr. II. 9. p. 403. *Arntz.*

Annis XXII.] Vulgati tres *XII.* duntaxat numerant. *Schott.*

Hausit] *Auxit* editi omnes. Cujacii et Veronensis addit *potitus, non sermone.* Frobenianus vero, *peritus non sermone.* Cratandri, Gryphii et Augustana ed., *poëtico non sermone tantum.* Schott.

Medendique scientia] Vereor ne legendum sit *numerandique* ex Spartiano, qui et matheseos peritum facit in Ælio Vero. *Schottus.* Pro *medendi* Schottus mavult *numerandi* ex Spartiano, sed non minus verum fortasse *modulandi.* Sylb. Nulla hic apparet in scriptis diversitas; et cur fieri non posset, ut addat aliquid ex aliis scriptoribus epitomator, quod a Spartiano erat neglectum? Quod si omnia ad mentem Spartiani sint refingenda, eodem jure apud illum cap. 14. possem reponere, *Litterarum omnium studiosissimus, artis medicæ, geometriæ, picturæ peritissimus.* Pari enim ratione corrumpi potuit Spartianus, qua Noster. Durius præterea loquendi genus *numerandi peritus*, pro arithmetico seu mathematico; non ita simpliciter ea voce utuntur Latini. Si *modulandi* cum Sylburgio arrideat, rationem quæro, cur 'canendi,' 'psallendi' et 'musicum' eum esse addiderit Noster, utique illa omnia *modulationem* in se continent. Et sic salva erit Dan. Vinkii sententia, qui diligentissimus medicæ artis vindex et assertor nostri auctoris testimonio Principem hunc inter Æsculapii cultores retulit in Amœnitatibus Philologico-Medicis Sect. III. 4. § 3. *Arntzenius.*

Perinde omnino ad ista erat factus, ut elegantius] Mss. Schotti una cum editione principe, *proinde omnino ad ista et facetus, ut elegantius unquam raro quidquam*, quod placet; dummodo abjiciatur *unquam*: sane *proinde* illo ævo notabat 'adeo,' uti supra diximus ad Schotti Victorem capite vicesimo. *Grut.* De vocum 'proinde' et 'perinde' vel confusione vel significatione, multa collegere Manutius ad Ciceron. ad Famil. Epist. X. 4. Grævius ad eundem Epist. X. 11. et 24. Wasse ad Sallust. Jug. cap. 4. fine: Cortius ad Catil. cap. 12. § 5. Burmann. ad Quinctil. Inst. VIII. 3. pag. 708. et Westerhovius ad Terentium Heaut. I. 1. 13. Deinde pro *ad ista erat factus*, quæ scriptura est editionis Schotti, omnes manu exarati *ad ista et facetus*, quam scripturam amplectimur, exponendo *et* per 'etiam.' Turpius corruperunt ea quæ sequuntur primarum editionum curatores, qui omnes *elegantius nunquam raro*, pro quo deinde Schottus *el. nunquam quidquam*, qui tamen melius ex Mss. didicerat, nam omnes vere hic cum omnibus nostris tuentur *unquam raro*. Insolentior harum particularum usus ad extrema illa remedia coëgit viros doctos: sed defendit hanc dictionem Justin. III. 5. § 14. 'Itaque tantis animis concursum est, ut raro unquam cruentius prælium fuerit:' et Quinctil. Inst. V. 7. 382. 'Difficilior hoc, quod raro unquam possunt ante judicium scire, quid testis dicturus.' *Arntzenius.*

§ 2 *Memor supra quam cuiquam credibile est*] Dictio Sallustiana Catil. cap. 5. § 3. ubi alia viri docti. *Arntz.*

§ 4 *Passibus*] Pro *pedibus, passibus* libri scripti et Veronensis. *Schottus.* Hoc etiam loco contra omnes Mss. *pedibus* fuit expressum, cum constanter et recte illi *passibus.* Cicero Orat. pro Marc. cap. 2. 'Disjunctissimas

terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari:' et Arnobius adv. Gent. I. 5. 'Xerxes mare terris inmitteret, et gressibus maria transiret.' *Arntz.*

Augeret ordinibus] [V. Not. Delph.] Hinc passim restitutoris titulo ornatur in nummis veteribus, quales frequentes invenies apud Occonem Biragi p. 176. Begerum Thes. Brand. tom. II. p. 657. et Spanhemium de Usu Num. Diss. XIII. p. 625. *Arntz.*

§ 6 *Tegebat*] *Tegebat* Cujacii codex, vulgo *regebat.* Schott. Sane miror quid moverit virum eruditissimum, ut contra justissimam conspirationem omnium codicum et editionum, quas vidi, hoc loco exprimi voluerit *regebat,* quæ vox multis partibus deterior est ea lectione, quam ipse jam ex Ms. eruerat. Melius Cortius hanc varietatem notans in Guelf. adscripserat recte ex Sallust. Jug. c. 15. § 4. *Ceterum vitia sua callide occultans.* Eleganter vocem 'tegere' adhibent Latini de iis, qui animi sensus externa specie norunt occultare, ne quis eorum consilia prænoscat aut detegat. Tacitus Ann. VI. 20. 'Inmanem animum subdola modestia tegens.' Claudianus in Ruf. I. 99. 'Simulare fidem, sensusque minaces Protegere, et blando fraudem prætexere risu.' Mamertinus Paneg. Julian. c. 26. § 2. 'A quibus ingenita crudelitas figmento lætitiæ tegebatur.' Appul. Metam. v. 165. 'Thesaurumque penitus abditæ fraudis vultu læto tegentes:' et VIII. p. 203. 'Quamvis lætus ageret, vultu tamen gaudium tegit.' Supra Cæsar. c. 3. § 7. Talia facile confundi docuit Scioppius Veris. lib. II. capp. 17. et 18. Burmannus ad Quinctil. Decl. VIII. in fine, et cel. Drakenb. ad Silium lib. II. vs. 382. *Arntz.*

Clementiam simulans] Veronensis et Frobenianus *clementiamque simulans ardore gloriæ;* reliqua absunt. Et mox *acer nimis ad lacess.* Mss. et Veronensis. Deinde pro *dicto*, *dictu* iidem. *Schott.* *Ardore* solus Lugd. 2. sed pro *acerrimus,* quæ vox alias occupat edd. *acer nimis* Mss. quod secuti sumus uti et infra *dictum dictui* omnes omnino codd., quorum auctoritati repugnare nolui, licet alibi illam vocem legere non meminerim. Sed tamen ideo talia statim non sunt rejicienda, si semel tantum occurrant. Non paucas enim voces periisse nemo credo negabit; et quisque fere scriptor aliquid sibi habet proprium et singulare, quod apud alios vel nunquam vel raro saltem inveniatur. Ita 'transjugare' Pomponio Melæ II. 2. lin. 128. reddidit Isaacus Vossius, qui in talibus sæpe solet esse liberalior. Nunquam legi verbum 'præsævire,' tamen nemo puto mecum detrectabit apud Plinium ex Ms. in pristinum locum restituere Paneg. cap. 5. § 8. 'Illum tumultum præsæviisse crediderim,' ut, si Deo ita fuerit visum, ad ipsum latius demonstrabimus. Sed ad rem: *dictum* secunda flexione pro dicteriis, jocis, solet esse frequentissimum. Ex multis vide Phædrum Prol. II. 9. et Fab. III. 11. 2. et quæ ad illa loca adduxere docti interpretes: Plautum Capt. III. 1. 22. Terent. Eun. III. 2. 45. Petron. Sat. c. 11. Macrob. Sat. II. 1. Heinsium ad Ovid. Fast. III. 695. et Epist. ad Schefferum Syll. Epist. tom. v. p. 29. et Lindenbr. ad Paneg. in Pison. p. 318. Mox *meditatum* dixit, ut Plinius in Paneg. c. 3. § 5. 'Quam qui meditatum carmen intulerit.' Lactantius Div. Inst. I. 5. 'In Helicone carmen illud effudit, sed meditatus venerat et paratus.' Terentius Andria, act. II. sc. IV. vs. 3. 'Venit meditatus alicunde ex solo loco.' Tacitus vel quisquis auctor de Orator. cap. 6. 'Sive accuratam meditatamque adfert orationem.' *Arntz.*

§ 8 *Uxor Sabina*] Post *compulsa* delevimus voculam *est,* quæ aberat a Mss. et edd. *Arntz.*

Quæ palam] Aliter tres scripti codd. *Quæ palam jactabat se, quod immane ingenium probavisset, elaborasse, ne.* Sic et Augustanus, nisi quod *persuasisset*, non *probavisset*, habuit longe alio sensu: et Veronensis *gestabat* pro *jactabat*. Vidi qui, *Ne ex eo humani generis pernicies gravidaretur*, excusserunt. *Schott.* *Probavisset* est quoque scriptura cod. Guelf. pro quo *perravisset* Leid. 2. Sed ex illis librariorum aberrationibus vera lectio posset exsculpi, quam præfert Leid. 1. *perpavisset*. Præpositionum *pro* et *per* adeo frequens est confusio, ut fere talia judicio lectoris potius quam auctoritate librorum discernenda sint, et sic *probavisset* erit pro *perbavisset*, et, commutata littera *b* et *p*, *perpavissit*, *et elaborasse*, *ne ex eo, &c. perpavisset*, id est, sustentasset, aluisset, cum illo quotidiano convictu vitam egisset: dicitur hoc verbum de animalibus. Varro de L. L. IV. p. 25. 'Pecus ab eo, quod perpascat:' et Phædrus Fab. III. 7. 'Cani perpasto macie confectus lupus Forte occurrit.' Et inde transfertur ad homines vilioris conditionis, nullius frugi, ad servos. Cicero pro Milone cap. 2. 'Quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit.' Casaubonus ad Spartiani Hadrianum c. 11. Horatius Sat. II. 66. 'Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces Pasco libatis dapibus.' L. 2. ff. § 1. ad Exhibend. et l. 21. ff. § ult. de Donat. inter Vir. et Uxorem: 'Si convenerat, uti se mulier pasceret, suosque homines.' Sed jam re accuratius examinata malim scribere, quod et Schottus ex suis protulit codd. *probavisset*, *elaborasse*, pro quo editi *et elaborasse*. Tum sensus erit: quod cognorat sævam ejus naturam, omni cura effecisse, ne paternorum vitiorum heredem proferret in lucem. Et hæc erit vera auctoris manus, cum illa altera lectio *pertulisset* a nullis Mss. confirmetur, et solummodo nitatur auctoritate plerarumque editionum, quæ etiam contra voluntatem codicum hic dederant *jactabat*, *quam*. Melius omnes nostri *jactabat se, quod*, id est, se extollebat, de se magnifice loquebatur, patientiam suam et moderationem prædicans. Cicero de Oratore II. 52. 'Eo magis, si intolerantius se jactant:' et lib. eod. cap. 58. 'Illudi nolunt, nisi si se forte jactant.' Ovid. Epist. XVII. 251. 'Quod bene te jactas et fortia facta recenses.' Justin. XVIII. 7. § 10. 'Nusquamne te aliis jactare potuisti?' Casaubonus ad Persium Sat. IV. 15. et Lambinius ad Horat. Od. I. 2. 18. Et hic erit earum vocum sensus, si legere velimus *perpavisset*; sed cum multo magis arrideat *probavisset*, *se* referendum ad *elaborasse*. Arntz.

Ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur] Quasi vero liberi similes esse semper soleant parentibus, et non potius contra eveniat; uti videndum in Spartiani Severo. *Grut.*

§ 9 *Morbo subtercutaneo*] In Veronensi et Mss. *succutaneus morbus* appellatur et *dolore arduus*, pro quo vulgo *ardens*. Rursus *occultius* pro *occultis* iidem: ut infra *perseverant* numero multitudinis. Ceterum indicem dignitatum Romanarum et administrationum tam civilium quam militarium in Occidentis regionibus Hadriano imperante edidit G. Fabricius Chemnicensis, una cum antiquitatum monumentis, urbeque Roma. *Schott.* Non video caussam, cur in corruptam lectionem conspirent Mss. *arduus* retinentes, pro quo melius editi *ardens*. Cicero pro Milone c. 7. 'Quis tum non gemuit? quis non arsit dolore?' ad Atticum Epist. II. 19. 'Ardet dolore et ira noster Pompeius.' Epist. IX. 6. 'Non angor, sed ardeo dolore:' et de Finibus V. 31. 'Is cum arderet podagræ doloribus.' *Arntz.*

§ 11 *Officia sane publica et palatina*] Hæc sublecta Casaubono ad Spartiani

Hadrian. c. 10. *Arntz.*

§ 12 *Annos sexaginta duos*] *Annis sexaginta duobus* Leid. 1. Confer Scaliger. ad Euseb. Chron. p. 218. *Arntzenius.*

Cap. xv. § 1 *Annos viginti tres*] *Fulvum* verum fuisse Antonini cognomen, non *Fulvium* volunt Salmas. ad Capit. in ejus vita c. 1. et Vignolius Colum. Anton. c. 6. quam sententiam juvat, quod in Leid. 2. *Flavus* reperiatur. *Arntz.*

§ 3 *Eum Numæ contulerit ætas sua*] Mox *per ann. XXIV.* cod. Guelf. *Arntz.*

Adeo trementibus eum atque amantibus] Sic est, nonnunquam duo isthæc conjunguntur, 'timere' et 'amare.' Ammianus l. xxvii. c. 21. de Prætextato: 'Adeptus est id quod raro contingit, ut cum timeretur, amorem non perderet civium:' videatur idem quoque xxv. 14. pr. ut et Capitolini Gordianus cap. 28. nec non Victoris Antoninus Pius, capite Epitomes 15. p. *Grut.*

Inperatoremve putarent] Ita Colinæus excudit. Veronensis *et inperatorem vere putarent:* unde nostra lectio cusa est, quæ tamen non displicet. Habebat autem frequenter in ore Scipionis illud, 'Malle se unum civem servare, quam mille hostes perdere.' Jul. Capitolinus. *Schott.*

Uno ore in cælestium morem] Ita vulgati, quos quidem viderim omnes, excepto uno Veronensi, qui cum scriptis libris legit *in morem cælestium.* Nam illa *uno ore* superant, facta ex illo *in morem.* Schott. Abest et primæ editioni et Mss. Schotti *uno ore,* adeo ut cum iis legendum sit *omnesque in morem cælestium,* ejecto altero, nato ex illo *morem.* Grut. Non video, cur hic magis *uno ore* superaret, quam apud Ter. Andr. i. 1. 69. 'Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia Bona dicere.' Et Phorm. iv. 2. 19. 'Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo Uno ore auctores fuerunt.' Dict. Cretens. Bell. Troj. v. 2. 'Singuli vel inter se omnes finem miseriarum deprecantes. Ad postremum uno ore patriam redimendam clamant.' lib. eodem cap. 16. 'Discedentes uno ore omnes lacerare utrumque regem neque abstinere maledictis.' vi. 14. 'Cuncti, qui aderant, uno ore exitialem pronunciant.' Sic quod Paullus ad Romanos c. xv. vs. 6. dicit Ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν, recte vulgatus interpres transtulit *Ut unanimes uno ore honorificetis Deum.* Aristophanes Equit. vs. 667. Οἱ δ' ἐξ ἑνὸς στόματος ἅπαντες ἀνέκραγον· *illi uno ore omnes reclamabant:* ubi Scholiastes, ὁμοθυμαδὸν καὶ μιᾷ φωνῇ. et Erasmus in Adagiis p. m. 57. *Arntz.*

§ 4 *Ad quem*] Veronensis cum scriptis libris *quinetiam* pro *ad quem etiam,* et *Bactriani* populi in iisdem, et *vultu serie pulcro,* pro quo vulgati *sereno et pulcro.* Schott. In iis quæ sequuntur hæreo dubius quid eligam. Unanimi conspiratione edd. *vultu sereno et pulcro,* sensu quidem optimo, si liceret tuto credere Aldo, quem reliqui deinde fideliter sunt secuti. Sed hoc inpedit consensus Mss. Schotti cum Guelf. et Leid. 2. qui *vultu serie pulcro.* Si *serie* nove dictum accipiamus pro *serio,* sensus erit hic: Inperatorem et pulcritudinem et gravitatem ore prætulisse, cujus formæ non minus auctoritatis quam gratiæ inesset, ut de Tito Suetonius in ejus Vita c. 3. Adde Lipsium ad Plinium Paneg. c. 4. § 7. Gellius i. 19. 'Tarquinius ore jam serio, atque attentiore animo fit.' Horat. Sat. ii. 11. 125. 'Explicuit vino contractæ seria frontis.' Atque ita *serius* est 'gravis.' Burmann. ad Quinctil. Decl. xix. 7. cum Vineto ad Ausonium Parent. ii. 6. et Savarone ad Sidon. Apollin. Epist. i. 9. p. 67. qui Epist. v. 10. 'serium' et 'pulcrum' opponit: 'Erubescebat jam etiam tunc vir serius, et formæ dote placuisse, quippe cui merito ingenii

sufficisset adamari, et vere optimus quisque morum præstantius pulcritudine placet.' Talia secundæ flectionis adverbia utramque terminationem nonnunquam pati notum est, et docuit J. G. Vossius de Anal. IV. 19. Sed non minus arridet, quod est in Leid. 1. *vultus series pulcra*, ut series sit apta illa partium dispositio in facie, quæ suo ordine justoque ornatu sunt dispositæ. Serenus Samonicus de Medic. vs. 11. 'Membrorum series certo deducta tenore Ut stet.' Cum in dubio res sit, excusatius, si quid admissum foret, peccare volui, ut tutius tegar omnium, si a Leid. 2. discesseris, Mss. patrocinio et auctoritate. Posset tamen eadem facilitate, ac in editis, scribi *serie et pulcre*. Arntzenius.

Procerus membra, decenter validus] [Vide Not. Delph.] Ego hanc emendationem reperio apud Salmas. ad Capitolini Anton. Pium c. 13. et ad Verum c. 2. *Arntz.*

Actuum publicorum laboribus] Nihil etiam video caussæ, cur non revocari debeat Mss. librorum lectio *eoque actui publicorum minime sufficeret*. Grut. Atque id volunt omnes nostri. Quod sequitur de 'diligentia ad speciem optimi patrisfamilias,' non aliena sunt, quæ habet Florus I. 6. fine: 'Ac si maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur:' ubi monet Dukerus diligentiam proprie patribus familias tribui. Quo sensu Cicero ad Herenn. IV. 25. 'Non est ista diligentia, sed avaritia, ideo quod diligentia est accurata conservatio suorum:' et Burmann. ad Quinctil. Decl. XIII. 2. Similiter verba חיל אשת, quæ varie vertuntur, Proverb. c. XII. § 4. per 'mulierem diligentem' exponit vulgata versio. Nonnihil quoque locum auctoris nostri illustrat Cicero pro Deiot. c. 9. 'Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola.' *Arntz.*

§ 6 *Semetipsum*] Hæc Salmasius ad Capitolin. Anton. Pio c. 13. *Arntz.*

§ 7 *Igitur*] *Cum esset annorum septuaginta duorum* absunt hæc a Mss. et Veronensi, et certe librarii non auctoris manum olent. Eutropius enim *LXXIII.* habet. Capitolinus septuagenarium tantum facit. Novus Victor vel vetus potius, ætatis septuaginta quinque annos illi tribuit, imperii viginti dumtaxat. *Schott.*

§ 9 *Placare, quam ulcisci seditionem*] Hæc vere resipiunt Principem; qui meminit dictum Senecæ, 'haud quidquam esse gloriosius, Principe impune læso,' de Clementia I. 20. f. item: nec quidquam pulcrius existimo in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere. Exemplum talis moderationis invenire est apud Tranquillum c. 18. Claudii. *Grut.*

CAP. XVI. § 1 *Marcus autem Antoninus*] *M. Aur.* melior codicis Pithœi nostri scriptura, quod et in Floriacensi alia manu erat emendatum. Scripserat auctor *Aur.* una commutata litera sic factum *aut.* Schott.

Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profecto] Scilicet, sæpe fortuna regni aut reipublicæ ab uno pendet, ut innuit Polybius I. 35. VI. 41. VIII. 8. unde de Caio Mario Sallustius fine Jugurthinæ, 'Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitæ.' Deque eodem Florus III. 3. 'Actum erat, nisi Marius illi sæculo contigisset,' &c. Livius VIII. 10. 'Cæterum inter omnes cives sociosque præcipua laus belli ejus penes consules fuit: quorum alter omnes minas periculaque ab Diis superis inferisque in se unum vertit; alter ea virtute, eoque consilio in prœlio fuit, ut facile convenerit inter Romanos Latinosque, qui ejus pugnæ memoriam posteris tradiderunt, utrius partis Titus Manlius dux fuisset, ejus futuram haud dubie fuisse victoriam:' ubi nos plura. *Gruter.* Vide, si dubitas, tum alios qui vitam scripserunt, tum

Aristidem in oratione Panegyrica, qui providentiæ Numinum pulcerrimis verbis acceptum fert, quod talis tali et tam necessario reipublicæ tempore summæ rerum præfectus sit. Zonaras etiam in eandem sententiam: Οὐ μέντοι ἀξίως τῆς ἀρετῆς εὐδαιμόνησεν, ἐντεῦθεν δὲ μᾶλλον θαυμάσειεν ἄντις αὐτὸν, ὅτι καὶ ἀλλοκότοις ἢ ἐξαισίοις χρησάμενος πράγμασιν, αὐτός τε περιεγένετο, καὶ τὴν ἀρχὴν διεσώσατο. Hinc illud Amm. Marcellini de funestissimis et turbulentissimis imperii Romani temporibus: 'Eo tempore' (inquit) 'quo etiam si imperium Marcus regeret Antoninus, ægre sine collegis similibus, et magna sobrietate consiliorum, lenire luctuosos reipublicæ poterat casus.' *Casaub.* Quæ hoc capite adparent Merici Casauboni notæ repetitæ sunt ex Prolegomenis ejus ad Antoninum de rebus suis, ubi inter cetera testimonia hoc quoque caput reperies. *Arntz.*

§ 3 *Orientem, Illyricum, Italiam, Galliam*] Bene dixit 'bella fervebant;' uti Orosius prol. lib. v. 'Olim cum bella toto orbe fervebant.' Nazarius Paneg. Constant. cap. 38. 'Non amas bella, nisi ferventem hostem in gradu suo præcisa fuga teneat.' *Arntz.*

§ 4 *Mundi lex*] Eleganter et ex intima philosophia, pro fatum. Græci pariter νόμον eodem sensu: ut apud Marcum Aurelium Antoninum non semel. Hoc ipsum Seneca, et iisdem fere verbis, (quæ fortasse tum Victori huic, aut undecumque Victor, in mente) Nat. Quæst. III. 29. 'Origo mundi' (explicabimus in Anton. lib. IX. p. 263. ad lin. 16.) 'non minus solem et lunam, et vices siderum, et animalium ortus, quam quibus mutarentur terrena' (i. e. non minus quibus mutarentur terrena, quam solem et lunam et vices siderum: ut peculiari idiotismo, ne dicam κακοζηλίᾳ, Senecam loqui amare, pluribus exemplis, quibus hoc merito addatur, contra temerarios correctores pridem docuere viri doctissimi) 'continuit. In his fuit inundatio, quæ non secus quam hyems, quam æstas lege mundi venit.' *Mericus Casaub.*

Aliunde quid] Sic vulgati. Mss. *aliudve* et Veronensis, additque *ea mala gignit.* Præclare sic Cicero Paradox. 'Cum tibi sive Deus, sive mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius; sic te ipsum abjicies atque prosternes, ut nihil inter te atque quadrupedem aliquid putes interesse.' *Schott.* Lucret. lib. v. 'Usque adeo res humanas vis abdita quædam Obterit, et pulcros fasces,' &c. Quod autem Lucretius 'vim abditam.' alii liberius 'invidentiam numinis,' τὸν φθόνον τῶν θεῶν: quæ male sana opinio mentibus antiquorum, cujusque generis, cujuscunque professionis ita penitus inoleverat, ut etiam viris piis, quibus vera lux affulserat, voces exciderint parum piæ et ἀπευκταὶ testes veteris superstitionis. *Casaub.* *Aliunde* Leid. 2. cum antiquis edd.: sed voces, quæ sequuntur, *ea mala,* absunt ab omnibus edd. et Mss. uti etiam ab illis quæ vidit Schottus, cum dicat Veronensem addere *ea mala;* non vero reliquos etiam manuscriptos. Quare veterem ego scripturam sum secutus. Cæca enim antiquitas duo plerumque statuit, quibus humanarum rerum curam tribuerent, vel 'Deum' (sive fatum, seu mundi legem, quod idem: Lipsius Physiol. Stoic. I. 12.) vel 'Naturam.' Jam hæc duo cum statuerit, cur Noster tertium adderet *aliud,* quo certe Deum debuit intelligere, quem tamen jam agnoverat, simulac 'mundi legem' seu fatum memoraret? ut mittam addere ipsum, 'divinitus' id esse attributum. Sensus planus erit, prudentia principum collapsos hominum animos erigi atque sedari, si forte seu divinitus aliquid evenerit, quod novitate sua terrorem

potuisset incutere. *Aliunde* notat caussam externam, si res non ipsorum hominum culpa accidit, uti 'terræmotus,' 'inundationes,' 'lues,' 'locustas,' &c. quare cum Aldo et omnibus codd. mox scribendum *leniantur*. Cicero de Natura Deor. I. 10. 'Quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant.' Ex quo loco posset conjici etiam hic *incommodum* pro *incognitum* oportere scribi, sed sine necessitate, ut mihi quidem videtur. Schottus ediderat, *Aliunde quid hominibus incognitum ea mala gignit*. Arntz.

L. Annium Verum] Capitolinus nunc 'L. Aurelium Verum Commodum,' nunc 'L. Ælium' vocat; *L. Annæum Verum* Veronensis liber appellat. *Schott.*

Ictu sanguinis quem morbum Græci ἀπόπληξιν vocant] Ab Eutropio mutuatus hæc; quæ quam vera sint, viderit S. P. Q. Medicus; nam mihi N. L. Amplius igitur pronuntio. Si quis conjecturæ locus, *ictu sanguinis* superesse videtur, legendumque *morbo quem Græci ἀπόπληξιν* (Veronensis ἀποπληξίαν) *vocant*. Sic fere ex Eutropio, Orosius VII. 15. 'casu morbi quem apoplexian Græci vocant, suffocatus interiit.' De Valentiniani interitu simile quid Divus Hieronymus Chronicis. Nisi forte persuasum Epitomæ auctori, quod vulgo, cum quis repentina morte corruit, evenire id gutta sanguinis e capite in cor delata: ideoque 'ictum sanguinis' vocasse. Capitolinus certe detracto sanguine Altinum perductum, triduoque mutum vixisse auctor est. Ἀποπληξία stupor corporis mentisque vertitur et languor. Galeno autem libro Definitionum, ἔστι κατοχὴ διανοίας μετὰ ἀναισθησίας καὶ παρέσεως τοῦ σώματος. Qui et libro περὶ προγινώσκειν copiose de morte L. Veri. *Schottus*. Hunc locum perperam sollicitat vir eruditus. Eutropius unde sumpsit, 'subito sanguine ictus, casu morbi, quem Græci apoplexin vocant.' Quod vero 'ictum sanguinis' hic vocat Victor, alibi 'impetum sanguinis' dixit in Valentiniano: 'Anno ævi quinto et quinquagesimo, impetu sanguinis voce amissa sensu integer exspiravit.' Ammianus eumdem 'ictum tanquam e cœlo exspirasse' scribit lib. XXX. 'Paulatimque lenitus et ad molliora propensior, tanquam ictus e cœlo, vitalique via voceque simul obstructa suffectus igneo lumine cernebatur, et repente cohibito sanguine lethali sudore perfusus, ne laberetur spectantibus exulibus concursu ministrorum vitæ secretioris ad conclave ductus est intimum.' In ejusmodi autem subitis et repentinis morbis frequenter et 'ictus' et 'impetus' nominibus utuntur, quibus τὸ ἀποπληκτικὸν exprimunt morbi genus. Nec dubium, quin ἀποπλήξεις vocent ejusmodi species morborum, per quas impetu ruentis sanguinis et vitales vias obstruentis momento quis eripitur et suffocatur. *Salmas.* ad Capitolin. Anton. Phil. c. 14. Non parum negotii facessivit hic locus viris doctis, Eliæ Vineto et Andreæ Schotto Jesuitæ: qui frustra adhibitis in consilium medicis, et omnibus tentatis, cum alias expedire se non posset, ad ultimum illud 'ure, seca,' confugere coactus, voces illas *ictu sanguinis* expungi voluit. Sed recte asseruit et explicavit Salmasius, harum literarum magnum decus, commentariis in Historiæ Augustæ scriptores præclarissimis. Ego miror, quid in his verbis (in quorum scriptura cum Victore Eutropius, et miscellæ historiæ collector consentiunt) viris doctis adeo insolens, vel improprium, aut obscurum denique visum sit. Nam 'ictus,' si verbi ipsius vis attendatur, non alia certe vox ἀπόπληξιν melius exprimit. Quod tamen si non esset, at ob symptomatum, repenti-

nam ἀφωνίαν, aliaque, fulguritos inter (qui vulgo fulmine icti dicuntur) et 'apoplectico' morbo correptos, affinitatem, non insulsa tamen esset aut absurda metaphora. Inde enim, quod unum idemque attonitorum utrisque, tam iis qui morbo corripiuntur, quam qui fulmine feriuntur, apud Latinos (ut optimus Latinitatis auctor Corn. Celsus nos docet) commune nomen. Cur *sanguinis* autem, quamvis non omnis apoplexia ab impetu sanguinis 'ictus' dicatur, sufficit, quod inter generales morbi illius caussas a medicis præstantissimis vis subita sanguinis recensetur. Ut taceam, quod πλῆθος ἰχῶρος huic ipsi Lucio fatale fuisse vetus apud Suidam scriptor ; et ejus patrem Lucium Commodum ἐγκαταληφθῆναι (pro quo vitiose in Xiphilino meo ἐγκαταλειφθῆναι) ὑπὸ τοῦ αἵματος πολλοῦ τε καὶ ἀθρόου ἐκπέσοντος, Dio in Adriani vita testis est; quod quid aliud est, quam *ictu*, vel *impetu sanguinis?* Casaub. Qui *ictum* hic exponit per 'impetum' juvari posset loco incerti aucteris Elegiæ ad Liviam vs. 227. 'Jamque rogi flammas exstinguere fluminis ictu.' Sed durior tamen est locutio 'ictus sanguinis' pro 'apoplexia.' Nec usitatior illa, quæ apud Eutropium legitur, *sanguine ictus*. Conjeceram olim *ictu fulminis*, et *fulmine ictus*, ut missa de cœlo fulmina huic morbo initium dederint, quomodo eundem morbum describit Ammianus xxx. 6. 'tanquam ictus e cœlo.' Sed nonnihil obesse huic conjecturæ videtur sequens illud *quem*, nisi exponas per 'qualem.' Certe magnam convenientiam esse inter duo hæc malorum genera, inter fulminis ictu attonitum et apoplexia correptum constat ex Celso de Medic. III. 26. 'Attonitos quoque raro videmus, quorum et corpus et mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. Hunc ἀποπληξίαν Græci appellant.' Unde Ovid. Trist. El. I. 3. 11. 'Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.' Certe *ictus* vox est hac in re propria. Seneca Hippol. vs. 1132. 'Humida vallis raros patitur Fulminis ictus.' Livius XLV. 23. 'Nec ob id quenquam fulmine ictum audivimus.' Ovid. Tr. El. IV. 3. vs. 69. l. 6. ff. ad Leg. Rhod. de Jactu. Horat. Od. III. 16. vs. 11. Orosius IV. 4. et V. 15. Sigon. ad Liv. I. 30. Oudend. ad Obsequen. de Prod. c. 87. et multi alii. Nunc aliter sentio et antiquam scripturam tueor. Cælius Aurelianus de Morb. Acutis III. 5. 'Apoplexia dicta est, quod tanquam ex lethali percussu repentinum faciat casum.' *Arntz.*

Undecimo] Communis est ille multorum error. Vide late Nic. Toinardum ad Lactant. Mort. Persec. cap. 39. p. 383. *Arntz.*

Ingenii asperi atque lascivi] Vide Salmas. ad Capitolin. Anton. Philos. c. 16. *Arntz.*

§ 7 *A principio*] Rursus ab Eutropio est; Julius Capitolinus iisdem verbis in Antonino medio. Cum utroque igitur tota hæc pagina comparanda est, inde enim ad verbum transcripta. Disces denique quantum hic racemator sibi permiserit. *Schott.*

Vultum] Abest a Veronensi, ut antique dictum sit quemadmodum apud Sallust. *vertit* pro 'vertitur:' cæteraque apud Priscianum. Abest et *peritissimus*, quod sequitur. *Schott.* De usu vocis 'mutare' eo quo voluit Schottus sensu, inspice ad Vir. Ill. c. 16. et ejus notas: Cortium ad Sallust. Jugurth. c. 38. § 10. Sed Veronensi obest auctoritas omnium Mss. qui hic melius illam tuentur vocem cum Capitolino et Eutropio, quos sequitur Benev. de Grimbald. in libro August. in vita hujus Imperatoris: 'Sanctitate vitæ omnibus præponendus, nunquam mutans vultum.' Neque adeo antiquitatis studiosus est epitomator, ut talia statim arripi debeant, et tanquam suspecta uncorum carcere

includi, quod Schottus fecerat, repugnante Horatio Epist. I. 1. 90. 'Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo.' Val. Maximo VI. 2. ex. 7. 'At is neutra in parte mutato vultu.' VI. 9. exem. ext. 5. 'Semel duntaxat vultum mutavit.' Adde VII. 3. ex. ext. 9. auctorem tragœdiæ, quæ Octavia inscribitur, vs. 710. 'Quæ subita vultus caussa mutavit tuos?' Lucan. VII. 564. 'Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremto Mutet.' Magis placet abundare mox *peritissimus*, quæ vox aberat et a Guelf. et Leid. 1. *Arntz.*

Nec ex gaudio] Ex Capitolino et hoc Victor: nisi verius utrumque ut alia pleraque, ex aliquo vetustiore. Meminit et Gregorius Nasianzenus in Jul. Στηλιτ. δευτ. his verbis: Ὅτι τοσοῦτον ἀόργητος ἦν, καὶ τῶν παθῶν ὑψηλότερος κατὰ τοὺς τῶν πώποτε βασιλέων ἀτρέπτους καὶ ἀκινήτους, καὶ μηδ' ἂν ἔτι γένοιτο τοῦ προσώπου τι παρατρέψαντας, ἢ παθοῦς ἴχνος ἐπισημαίνοντας, &c. *Casaub.*

Ut convivia eodem cultu] Hæc est illa κοινονοημοσύνη (fructus certe ejus e pluribus unus) quam a patre suo didicerat Antoninus. Ad eandem et illa Eutropii referenda: 'Hic cum omnibus Romæ æquo jure egit, ad nullam insolentiam elatus est imperii fastigio,' &c. quæ doctissimus et elegantissimus Eutropii paraphrastes apud Suidam non bene ad Antoninum adhuc privatum refert. Ita enim ille pluribus exsequitur: Τόν τε γοῦν ἰδιώτην βίον ἐν ἰσηγορίᾳ τοῖς πολλοῖς Ῥωμαίοις ἐβίω, οὐδὲν τῇ εἰσποιήσει τοῦ γένους ἀλλοιωθεὶς, καὶ ἐπεὶ παρῆλθεν εἰς τὴν ἡγεμονίαν, &c. Atqui Antoninus ipse I. 13. ideam imperii κατὰ ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν gubernati inter ea ad quæ fratris exemplum ipsi profuerat, commemorat. Hæc generalis verborum expositio, quam ad Victoris mentem potissimum hic facere ex ordine narrationis persuasum habeo; ad Capitolini vero mentem, ex qua Victor hausit, non item. Peculiaris enim ratio, quæ Antoninum movit, ut id permitteret; quam ad Capitolinum fuse explicat venerandæ mihi memoriæ pater Isaacus Casaubonus. *Casaub.* Et Paullus Voet ad Herodiani Marcum et Commodum p. 58. *Arntz.*

Ministris] *Ministeriis* apud Jul. Capitolinum. *Vinet.* [Vide Not. Delph.] Hæc jam antea ad Capitolin. c. 17. notarant Casaubonus et Salmasius, quod monere oportuerat. Credo recte hanc ibi vocem exponi; sed et Eutropium et nostrum auctorem, Capitolinum, vel eum, ex quo ille sua hausit, non bene inspexisse, aut certe non bene intellexisse, cum uterque pro *ministeriis*, *ministris* legeret, vel quod malim *ministeria* per 'ministros' verteret. Vide illum VIII. 14. Quem si cum Capitolino et Nostro conferas, facile videbis non nostri potissimum seculi esse vitium, ut inpudentissima furta et litterarum plagia committantur et auferantur inpune. Adde de ipsa voce Pignorium de servis p. m. 101. et Burmann. ad Petronium c. 31. Justinus XV. 2. § 7. 'Amicosque ejus cum privati instrumenti ministerio remittit,' pro *ministris* est exponendus ex cap. præc. § 8. *Arntz.*

Hic cum] [Vide Not. Delph.] Sed talia in hoc compendio non sunt nova, et centies in auctore de Viris Illustribus duæ periodi ab una eademque auspicantur voce. *Arntz.*

Uxorium ac suum sericum] Hæc debentur Salmasio ad laud. Capitolini locum. Ceterum Leid. 1. habet *uxoria*, quod accipi posset pro 'res uxorias,' id est, ornamenta, instrumenta, et elegantiores cultus, quibus operosæ esse solent mulieres. Sic ingeniose, neque enim solet aliter, Burmannus ad Ovid. Amor. El. II. 3. 9. 'Ista mares tractent, tu res depone viriles.' Cum vulgo *spes* circumferatur, minus concinne. Addendus Westerhovius ad Terent. Heaut. II. 3. 48. Sed receptam in Victore scripturam

tuentur Eutropius et Capit. Mox corrupte optimus Guelf. *continuo.* 'Menses continui' sunt menses non interrupti, qui continenter et junctim numerantur, quorum nulli dies alii negotio destinantur. Livius XLII. 55. 'Prioribus continuis diebus nunquam ante horam quartam hostis adparuerat.' XLV. 9. 'Quum quadriennium continuum bellatum esset.' Suetonius Augusto cap. 23. 'Per continuos menses barba capilloque submisso.' Val. Maximus II. c. 4. ex. 4. 'Ludosque et lectisternia continuis tribus noctibus fecit.' In jure nostro nihil est frequentius. *Arntz.*

§ 10 *Molestus nulli fuit*] Sic jubet lex ult. de Quadr. Præscript. et Institut. de Usucap. et longi temp. Præscript. *Schott.*

§ 12 *Ipse vitæ anno quinquagesimo nono apud Vendobonam*] De annis vitæ Marci et loco mortis aliter Tertullianus, Dio, Capitolinus, alii, qui nec ipsi in omnibus inter se consentiunt. Eorum rationes hic expendere longum esset, et minime necessarium; cum jam ab aliis satis accurate præstitum sit. *Casaub.* Et Scaliger ad Euseb. Chron. p. 225. *Arntz.*

Apud Vendobonam] Antiq. cod. *B* pro *V* hic habet. In Pannonia obivisse mortem anno Christi centesimo et octogesimo secundo in Eusebii Latinis Chronicis legimus. *Vinet.*

§ 13 *Veste tetra amictus*] Non displicet Schotti *Atrata.* Et sequenda lectio Mss. et editionis antiquissimæ *pari consensu.* Grut. Nescio quomodo illud *trita* placere potuerit Schotto, cum multo leviori mutatione *atra* legeretur, quia atris vestibus procederent, cum funus alicujus lugerent. Ovid. Met. VI. 288. et VIII. 448. Juvenal. Sat. III. 213. Lactantius de Mortibus Persecutorum c. 39. Dougtæus Anal. Sacr. part. I. exc. XCIV. Perizon. ad Ælian. Var. Hist. XII. 1. &c. Atque ita postea vidi velle quoque Casaubonum ad Capitolin. Antonin. Phil. cap. 18. Neque tamen recepta lectio removenda est. Præterquam enim quod sordidis vestimentis uterentur lugentes, id quod ex innumeris locis constat, 'teter' nonnunquam idem est quod 'ater.' Arnobius Adv. Gentes VII. 225. 'Hic albentibus, ille tetris:' ubi confer Stewechium. Ita p. 226. 'Ut tetræ his hostiæ nigerrimique admoveantur coloris.' Prudentius Cathem. Hymn. II. vs. 69. 'Tu sancte, qui tetram picem Colore tinguis lacteo.' Pro *amictus,* Aldus et Gryphius ceterique *indutus,* quos merito deseruit Schottus et nostri scripti, tunc enim usitatius *vestem* dixisset. Terentius Eun. IV. 4. 41. 'Et eam est indutus:' ibi quoque vulgo *ea.* Sed aliud firmant optimus codicum numerus, quibus accedunt Ms. nostrum et duo alia, quæ inspeximus. Mox etiam scripturam viri eruditi *pari consensu* amplectitur Leid. 2. me plane invito, cum ea ab ignorantibus librariis orta, quos fugiebat 'sensum' pro sententia accipi. Cicero ad Famil. Epist. I. 9. 'Unum fere sensum fuisse bonorum omnium.' Nepos Alcib. cap. 5. § 3. 'Erat enim eodem quo Alcibiades sensu.' et Curtius VI. 6. § 9. 'Totisque castris unus omnium sensus ac sermo erat.' *Arntz.*

§ 14 *Marcum cœlo receptum esse*] I. e. cœlitibus adscriptum, et divum, imo Deum factum. *Casaub.* Phædrus Fab. IV. 11. 'Cœlo receptus propter virtutem Hercules.' Ovid. Epist. Her. XIX. 135. 'Flavaque Laodice, cœloque recepta Celæno.' De Romulo Quinctil. Inst. III. 7. 'Quod ipsum quoque cœlo receptum temporis ejus homines non dubitaverint.' Val. Maximus IX. 15. ex. 1. 'Postquam ille cœlo receptus est, in urbem rediit.' Tacitus Ann. I. 43. 'Tua Dive Auguste cœlo recepta mens.' Rutilius Itiner. I. 47. 'Inter sidereos Roma recepta polos.' Sed facile abesse posset, quod in ultima nota addit vir doctus, *immo Deum factum.* Hæc

superflua sunt, nec quidquam illustrant, cum satis esset *Divum* dixisse, quæ vox propria de consecratis Imperatoribus. Hanc rem melius illustrat Havercamp. ad Tertull. Apolog. c. 21. p. 210. *Arntz.*

§ 2 *Ab incolumi quamvis*] Veronensis *ab incolumi vis paullatim.* Capitolinus extremo Antonino, ubi hæc narrat, ita corruptus, ut nullum sensum elicere potuerim: adeoque sine vet. cod. sanari posse desperem. *Schott.*

§ 3 *In eos atrox quos amplissimis honoribus donisque ingentibus extulerat*] Quod monstro simile. Ita enim natura comparatum est, ut cariores habeamus, quos promovimus, in quos multa contulimus, et fecimus quasi opus nostrum. Seneca de Benef. IV. 15. 'Non mentior si dixero neminem non amare beneficia sua; neminem non ita compositum animo, ut eum libentius videat, in quem multa congessit; cui non caussa sit iterum dandi beneficii semel dedisse,' &c. *Grut.*

§ 5 *Veneni poculum*] 'Quod cum minus operaretur, per athletam, cum quo exerceri solebat, eum strangulaverunt.' Lampridius Commodo. Athletam autem hunc 'Eclectum Ælii Veri libertum' vocat Capitolinus in Vero extremo. Spartianus autem Severo 'Narcissum' quendam 'Commodi strangulatorem' facit, quem hoc nomine 'leonibus objecerit' Severus, qui et 'Divum appellare' ausus est 'Commodum, ut se de senatu ulcisceretur.' 'Vivus' tamen 'etiamnum hostis generis humani judicatus.' Orosius, qui et 'in domo Vestiliani strangulatum' ait. *Schott.*

CAP. XVIII. § 1 *Helvius Pertinax*] 'Ælius Pertinax' vocatur Orosio et menses sex imperavisse VII. 16. Tò *imperavit* huc ex præcedenti linea odiose inculcatum. Exturbandum igitur et obelo fodiendum. *Schott.*

§ 2 *Origine gentis*] Tres Mss. *origine ortus sordida:* quomodo et Veronensis. *Schott.* Mss. et primogenita ed. *origine ortus sordida.* Ideoque reducendum in suam possessionem. *Grut.* Mss. volunt *ortus sordida,* quod cum a Schotti codd. confirmetur, potius illud recipiendum existimavi, pro quo *origine gentis sordida* exhibent edd. Livius XXII. 25. 'Loco non humili solum sed etiam sordido ortus.' *Sordidus* est 'abjectus,' 'contemtus,' 'vilis.' Livius I. 58. 'Ut in sordido adulterio necata dicatur.' Appul. Met. v. 171. 'Sordidis amoribus inimicam cruciares:' et Cortius ad Ciceron. ad Famil. Epist. II. 12. *Arntz.*

Præfecturam Urbis agens] *Urbis* Leid. 1. sed Eutropius VIII. 16. 'Præfecturam Urbi tunc agens.' *Arntz.*

Septem atque sexaginta] Tu vide ne *sex atque septuaginta* scripserit supposititius Victor, et librarius in notis, ut fere, peccarit transponendis, feceritque *septem atque sexaginta:* sed mihi meum placet somnium; propius enim abest a vero. Norunt qui libros veteres tractant quoties erratum in numeris, alio dictante male exceptis a librariis oscitantibus, et ad finem nimis, lucri studio, properantibus. Similem scribarum errorem in Victoris Vitellio deprehendi. *Schott.* Sed hæc emendatio viri optimi omnino falsa est; vixit enim revera Pertinax annis sexaginta sex, et aliquot mensibus, ut procedat Victoris scriptura, si annum incœptum pro completo numeremus. Natus quippe est Vero et Bibulo Coss. interfectus Falcone et Claro Coss. ita ut intermedium tempus LXVI. annos expleat. Capitolinus Pert. c. 15. cujus computatio per consules erit accurata, si cum Casaubono ibi scribamus *annis LXVI.* Arntz.

Ad humanæ conversationis exemplum] *Hunc exitum* Leid. 2. 'Obire mortem' ponitur recte pro veterum ra-

tione dicendi. Festus in vocibus 'Mortem obiisse:' quomodo aliquoties apud Plautum et Terentium. Cicero Orat. Phil. v. 17. 'Nondum tertio et tricesimo anno mortem obiit:' et Tacitus multis in locis: an et ad hanc formam dicere voluit 'obire exitum?' non crediderim; lapsus est huic descriptori satis frequens, qui fortasse superscriptam lineolam finxit, ubi nihil tale reperiretur. *Arntz.*

Universa adsumtus provectusque eo ut] Huc pertinet illud Plauti Captivis: 'Dii nos quasi pilas homines habent.' Eandem fortunæ commutationem expertus Septimius Severus, qui et Pertinacis nomen induit, ut tandem exclamaret, 'omnia fui, conducit nihil.' Spartianus et Victor. *Schott.* Aut aliud quid latet, aut rescribendum *ad summam provectus; usque eo, &c.* Grut. Veram lectionem vidisse virum doctissimum certissimum mihi est, cum et sic omnes apud me scripti et ipsa emendandi ratio suadeat. Sed durior est locutio, si intelligas honores vel tale quid. Ego *viros* suppleo ex præcedenti 'obiit vir,' &c. Nec multum dissimilia illa Symmachi Epist. vii. 94. 'Quum igitur te meritorum ratio summis proximum faciat:' ubi *viris* interpretatione addere ipse sensus exigit. *Arntz.*

§ 4 *Apud Ligures*] 'Ager squalidus' est malignus, non fertilis, qui non sufficit ad alendos homines vel pecora, sterilis. Claudian. de Rapt. Pros. ii. 339. 'Squalentisque novem detexit jugera campi.' l. iii. vs. 239. 'Squalent rubigine prata.' Et in Entrop. i. 244. 'Incendia fumant, Muris nulla fides, squalent populatibus agri.' Victor alter de Cæsar. c. 41. fine; et Eumenius Paneg. pro Restaur. Scholis c. 21. 'Britanniamque squalidum caput sylvis et fluctibus exserentem.' Guntherus Ligur. de Gest. Frederici Barb. iv. 187. 'Squalida torpet humus.' Drakenb. ad Silium xii. 373. Oudend. ad Lucan. v. 39. Fulgentius Myth. i. 9. 'Squalebat viduus sulcis ager.' *Arntzenius.*

Lollii Gentiani] Erravit Noster, vel qui post eum epitomen hanc descripsit. Vide Casaub. ad Capit. Pert. capp. 1. et 7. cum Relando in Fast. Consul. p. 114. et 118. *Arntz.*

Fuit doctor litterarum, quæ a grammaticis] Contra Dionysius Syracusanus tyrannus ex solio in pistrinum literarium detrusus, ubi pro sceptro et diademate ferulas et virgas tractaret, veteris regni specimen. Justinus lib. xxi. extremo. *Schott.*

§ 5 Χρηστολόγον] Veronensis χρηστόατον, depravate. Capitolinus totidem pæne vocibus; sic dictum 'quod verbis magis quam re ipsa benignus esset.' Sed hac tota de re vide Pithœi Subsecivarum Lectionum ii. 3. *Schott.* Χρηστόλογον non male scribunt accentu in antepenultima. Significat enim eum, qui habet χρηστοὺς λόγους, seu τὸν χρηστὸν ἐν λόγοις, verbis tantum benignum, cujus benignitas intra verba dumtaxat consistit. Nam χρηστολόγος (accentu in penultima) significat potius eum, qui de bonis seu benignis verba facit, ut ut ἀστρολόγος, τερατολόγος, et similia. *Sylb.* Cœlius Rhodiginus Ant. Lect. xxiv. 6. *Arntz.*

Communem se adfatu] *Comem* Veronensis. Nihil demuto: infra enim in Decio et in Theodosio *cōis* pro *comis* ponitur. Græcorum imitatione, qui κοινὸς hac notione usurpant: ut Demosthenes περὶ στεφάνων, et Phocylides apud auctorem Etymologici. Sic optimum exemplar Ms. Corn. Nepotis, sive is Æmilius Probus est, quod mihi doctissimus juxta ac humanissimus Puteanus utendum dedit, in Miltiade pro *mira comitas* disertim *communitas* scriptum præfert. Vox rarius usitata; forte, quod cum *cōis* compendio reperissent, semper *comis*

legerint. Sic et in Terentii se ipsum cruciante actu v. scriptum in melioribus libris idem me monuit, 'Quemquamne animo tam communi aut leni putas?' Quamquam idemne valeat coïs quod *comis* liquido affirmare Muretus non possit. Et apud Tranqu. in Claudio c. 21. 'Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat.' *Schott.*

§ 6 *Ad usque defectum*] [Vide Lectt. Var.] *Vocis* contra edd. quoque addunt omnes nostri. *Arntz.*

CAP. XIX. § 3 *Extenta damnatorum modo cervice*] Tale quid fieri solitum, haurire est ex formula vulgari, 'præbere' aut 'porrigere cervicem.' Seneca Epist. 82. 'Mors illa quæ in Catone gloriosa est, in Bruto statim turpis est et erubescenda: hic est enim Brutus, qui cum periturus mortis moras peteret, ad exonerandum ventrem secessit, et evocatus ad mortem, jussusque præbere cervicem; Præbebo, inquit, ita vivam.' Marcellus Eserninus: 'Non indignabitur cervicem hosti porrigere; indignabitur clienti.' *Grut.* Tacitus Ann. xv. 67. Admonitusque fortiter protendere cervicem, Utinam, ait, tu tam fortiter ferias. Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset,' &c. ubi Lipsius, et nonnulla collegimus sup. ad Vir. Ill. c. LXVIII. fine. *Arntz.*

Decollatur] Pro 'capite truncatur.' Sueton. Caligula: 'Miles decollandi artifex, quibuscumque e custodia capita amputabat.' c. 32. Utitur et Seneca. Translate vero Plautus Capteiveis: 'Si spes cœnatica decollabit.' Et Casina: 'Si sors decollassit, gladium faciam culcitam.' Operæ est occasione hujus verbi fragmentum Fenestellæ ex Diomede eruere, quod ad Suetonium, Plutarchum, et illa Victoris, quæ ad Viros Illustres primi e Mss. addidimus capita illustranda pertineat. Sic enim ille lib. II. Epitomes: 'Quemadmodum Cæsar a piratis captus sit, utque eos postea ceperit et decollaverit.' Tranquillus vero Cæsare c. 74. et Plutarchus 'jugulatos cruci suffixos' ait. Victor noster de Viris Illustribus simpliciter piratas captos et punitos: quo genere supplicii, tacitus præterit. *Schottus.* Sed an omnibus illis locis ita legendum sit litigant eruditi. Certe apud Plautum per unum *l decolare* malunt Lambinus ad Capt. III. 1. fin. et magnus Gronovius ad Liv. XXVII. 17. Scribunt grammatici *decollare* antiquis esse, 'de collo deponere,' unde putant viri docti deductam esse metaphoram 'decollare spem,' &c. pro deponere. Ego vero malim *decollare* apud Plautum notare, cervices præcidere. Nam quod dicat Gronovius, tempore Cæsaris nondum cognitam fuisse 'artem caput ense rotare,' adeoque tempore Plauti non potuisse in usu esse *decollare* pro 'caput præcidere,' verum est, si modum intueamur, cum post ea tempora 'ense' perficeretur, quod antea 'securi' fiebat. Vide ad Vir. Ill. c. 77. § 11. Ipsa igitur capitis præcisio notissima fuit stante rep. quamvis alia ratione ea pœna sumeretur. Et hoc firmari puto verbis, quæ ex Plauti Casina II. 4. 28. adtulit Schottus, ubi videtur duo mortis genera opponere, si sors capite plecteretur, ipse in gladium volebat incumbere. Si vero malis *decollare* a crumena e collo suspensa deducere, non pugno, præsertim cum destituamur testimoniis veterum (si Plautum et Lucilium excipiamus) apud quos illa vox 'caput præcidere' significet. Posterioribus temporibus eo sensu occurrit non semel. Scribonius Largus Compos. Mec. CXCIV. 'Palpitare lingua similiter decollatorum capitum:' et Du Cange Gloss. Med. Latin. hac voce. *Arntz.*

CAP. XX. § 2 *Hominem omnium turpitudinum*] Id est, omnibus vitiis ad-

dictum, qui ad omnia scelera pronus erat. Vide Barthium Advers. XXVI. 26. Legit tamen Leid. 2. *omnium turpissimum*: quæ si scriptura placuerit, defendere se potest Quinctiliani testimonio Decl. II. 1. 'Homo omnium, quos umquam miseros fecere virtutes, innocentissimus.' Appul. Metam. III. p. 185. 'Omnium quidem nequissimus audacissimusque lorus iste.' Mox § 5. 'bellicosissimus omnium,' cum iis quæ supra ad Vir. Illust. c. 69. dicta sunt. Sed veterem lectionem longe præferimus. Plautus Pseud. IV. 7. 99. 'Quem ego hominem nullius coloris novi.' 'Hominem maximi corporis' dixit Nepos in Datame cap. 3. et 'homo minimæ fortunæ' est apud Symmachum Epist. X. 16. *Arntz.*

Vallum] Modo supra priscæ edd. agnoscebant *filios suos successores suos vel.* sed talis inutilis vocum repetitio et abundantia in historico, nedum in epitomes scriptore, toleranda non est. Merito ergo exsulat a scriptis. *Arntz.*

Per triginta duo] Ex Eutropii lib. VIII. ut pleraque. Mendum adhuc hæret in Orosio, etiam eo quem Franciscus Fabricius vir doctissimus recensuit: legitur enim 'per CXXXIII. pass. M.' Centenarius redundat ex Dione, et Spartiano: quorum hic, etiam Adrianum, in vita illius scribit, primum in Britannia, correcta disciplina, murum per octoginta millia passuum duxisse. *Schott.*

§ 5 *In finem perseverans*] Alludere ad nomen videtur, nec enim Severi nomine contentus, Pertinacis addidit: vide Spartianum. Post in *Anullino* lambda geminatur in Mss. et Veronensi. Infra tamen Diocletiano 'Anulinus' est: ubi vulgo *Amilinus.* Schott. *Amilium* hic quoque editi, sed *Anullinum* per duplicatum *l.* solus Leid. 1. mox idem cod. *inclinasset se*, quod vel factum ex repetitione ultimæ syllabæ, vel quia non cogitaret hoc verbum simpliciter ita poni non addito, 'se,' 'animum,' 'mentem,' vel simili. Cicero de Orat. II. 44. 'Sua sponte, quo inpellimus, inclinant.' de Senectute cap. 6. 'Cum sententia senatus inclinaret ad pacem.' *Arntzen.*

§ 6 *Lateranum Chilonem Amilinum Bassum*] Hic sic legendum et distinguendum censeo: *Lateranum, Cilonem, Anulinum, Bassum.* 'Laseranum' Cassiodorus consulem facit, Rufino collega, sub Imperatore Septimio Severo: qui ut suspicor, trium syllabarum est 'Laternus,' apud Dionem. *Chilones* et *Cilones* veteres Latini habuerunt, Carisio et Festo auctoribus: sed quem cum spiritu *Chilonem* hic impressum legimus, et inter consules Cassiodori, et in Commodo Lampridii, et Carracalla Spartiani, vetus liber scribit sine spiritu, et ita habet impressum Censorinus: quomodo et apud Dionem appellatur Κίλων. *Anulini* vocabulum varie corruptum reperiri, monuimus in Eutropii commentario. *Bassi* denique cum Gentiano consulis, quo anno decessit Severus Augustus, meminit Cassiodorus: et *Bassi* præfecti Urbi Spartianus in Severo. *Vinet.* *Cilonem* contra editos omnes Mss. quod viri etiam eruditi amplectuntur libentius. Confer Dausq. Orthogr. part. II. p. 81. et virum dignissimum, cui longior vita contigisset, Cortium ad Orationem in Sallustium c. 6. In marmoribus antiquis utroque modo occurrit, sed illa sæpe ab ignorantissimis erroribus absolvi non possunt. Exempla de hac voce sunt apud Gruter. passim, et ostendit diligentissimus Petrus Relandus Fast. Consul. p. 104. &c. Diversa tamen nomina esse *Cilo* et *Chilo*, credendum grammaticis. Festi locum attulerant Lipsius ad Tacit. Annal. XII. 21. Menagius ad Diogenem Laërtium I. 68. et Colerus ad Val. Maximum IX. 11. ex. 4. *Arntz.*

§ 7 *Honores venumdari*] Vereor ne μνημονικὸν ἁμάρτημα sit, quod nemo eam illi laudem tribuat: falsus forte in nomine: Severi enim Alexandri proprium hoc, qui magistratuum nundinationem detestatus est, cum judicaret, necesse esse, ut qui emerit, vendat. Legendus Lampridius Alexandro. Non dissimile Pescennio Nigro tribuit Spartianus. Judicem nec dare nec accipere debere: ideoque salaria iis constituit. *Schott.*

§ 10 *Annos sexaginta quinque*] Sic notat vetus cod. rectius, quam alii, *septuaginta:* sicut ostendimus in commentario Eutropii. *Vinetus.* *LXX*, And. Cratandri et Gryphii edd. propius verum; octoginta enim novem annorum facit non semel Spartianus. Moriturus autem jussit signum tribuno dari, 'Laboremus:' ut Helvius Pertinax 'Militemus.' Idem Spartianus. Supra paullo *cruditatem passus* est in editis quatuor. *Schottus.* Quod miror, *qui ei negabatur*, reperio in Leid. 1. et Guelf. codd. si conspirent, raro peccantes. An *cibum* intelligamus? sed tum requiro auctoritatem, qui ita locutus sit. Novi equidem, relatum non semper respondere suo substantivo, sed tum fere aliud nomen sequi solet, ad quod refertur, ex. gr. *veneni, quæ medicina.* Si 'venenus' adjectivum statui posset, res facilius procederet. Sed quid fortassis in aperto librarii mendo laboramus, præsertim in tali voce, quæ propter similitudinem abbreviandi plures patitur varietates? *Cruditatem passus* et *annos LXX.* apud nos editi, aliter scripti. Leid. etiam 1. *annis.* Arntz.

Cap. xxi. § 3 *Furore pœnas*] Hoc nusquam de Caracalla memini legere. Adrianum quidem furore laborasse auctor est Lampridius sub initium Alagabali. *Schott.*

Ultrices vocantur] Ut apud poëtarum principem, 'Ultricesque sedent in limine diræ,' Æn. viii. quæ et lib. xii. depinguntur. Sic furiis agitatus Orestes et Ajax poëtis. Et Neroni matris interfectæ species obversatur apud Suet. cap. 44. et 46. et Othoni manes Galbæ, Othone cap. 7. Eleganter Tacitus de Tiberio loquens Annal. lib. vi. initio, vel, ut alii distinguunt, quincto: 'Non frustra,' inquit, 'præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque pœnas ipse fateretur.' Sed non vacat campum hunc ingredi. *Schott.* Virgil. Æn. iv. 610. 'Et diræ ultrices et Di morientis Elissæ.' vi. 579. Val. Flaccus Argon. v. 446. 'Ultrices spectant a limine diræ.' Seneca Medea vs. 13. et Octavia, si illius est auctor, vs. 966. Oudend. ad Lucan. x. 337. *Arntz.*

§ 4 *Corpore Alexandri Macedonis conspecto*] Sed cur non de corpore manu pictoris vel statuarii expresso melius interpretamur? Ovid. Tr. ii. 522. 'Ut prisca virorum Artifici fulgent corpora picta manu.' Quis in mortuo, præsertim in quo oris lineamenta delere coacta fuerat longinquitas temporis, trucem frontem agnosceret, vel conversam ad lævum humerum cervicem? *Arntz.*

Magnum] Sic etiam vocat Paullus I. C. in Veterum Prudentum Fragmentis, quæ immortali P. Pithœi beneficio cum Mosis legibus comparata circumferuntur, Tit. iii. de Adulterio: 'Magnus,' inquit, 'Antoninus pepercit eis qui adulteros inconsulto calore ducti, interfecerunt.' *Schottus.* Et humaniorum non minus litterarum quam juris scientissimus Schultingius ad Ulpiani Fragm. tit. xx. § 10. *Arntz.*

Ad lævum humerum conversa cervice] *Levicum* Veronensis. Simile de Platonis discipulis alibi legitur: sed libris destitutus studioso lectori quærendi laborem mando. *Schott.*

Quod in ore] *Quod more* idem Veronensis præfert: nil muto. Simile supra cap. 15. 'Julius Cæsar Gadibus Alexandri visa imagine ingemuit,' &c. Sueton. cap. 7. Ea signare literas aliquamdiu solitus Augustus. Octav. cap. 50. Vide infra in Aureliano. Plautinum illud huc quadrat de Milite Glorioso: 'Itaque Alexandri præstare prædicat formam suam.' *Schott.*

Fidem vultus simillimi persuaderet sibi] Habent et hoc assentatores, ut etiam falsissima principibus persuadeant: simileque prorsus isti est quod de Pyrrho rege legimus apud Lucianum libello adversus indoctum libros plures sibi comparantem; is enim adeo ab adulatoribus captus erat, ut putaretur esse expressa Alexandri Magni effigies, donec a vetula Larissæ hospita monitus, hanc opinionem exsuit, si modo exsuit: sunt enim reges multi, qui malunt esse quam videri. *Grut.*

§ 5 *Inpatiens*] *Inpatientis libidinis* rursus est in Veronensi. Eutropius, unde hæc ad verbum descripta, nihil variat. Et *Carris* legunt Basileenses uterque et *Ædessam* cum diphthongo. 'Carras autem profectus Luni Dei gratia, die natali suo VIII. idus Apriles ipsis Megalensibus.' Spartianus. Qui et de Luno Deo quædam, unde et Alogabalus Imperator nomen acceperit. Herodian. lib. VI. *Schott.*

§ 6 *Ad officia naturalia*] 'Cum levandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, rursusque in equum levaretur,' a milite quodam Macrini, præfecti prætorii jussu, 'latus confossum:' Spartianus. Oros. vero lib. VII. 'ab hostibus circumventum' ait: Sextus Rufus in Breviario, 'propria morte obiisse, et in Osroëna sepultum,' non, ut noster, Romam corpus relatum. Quem auctorem priusquam de manibus deponam, libet duobus locis emendare, quæ etiam in Brugensi ed. longe optima corrupta sunt. Ad medium, *Nunc eas partes totumque Orientem*, repone ex Mss. *nunc Eoas partes:* hactenus enim de occidentali et VII.trionali plaga egerat. Post paullo lege ex iisdem, *ne quid tamen P. R. non viris* (*viribus* alii) *partum haberet, armis* (vulg. male *arma*) *per nos ab Antiocho Syriarum rege maximo est vindicata:* de Asia enim sermo est. *Schott.*

§ 7 *Fere triginta*] Spartianus et Eutropius XLIII. annos numerant. Conjicio scriptum fuisse *fere tres et quadraginta.* Schottus. Tu vide Casaubon. ad Spartiani Carac. cap. 9. *Arntz.*

CAP. XXIII. § 1 *Semea consobrina*] *Concubina* August. codici. In Mss. et Veronensi *Sæmea* scribitur cum æ diphthongo. Ab Herodiano Σοαιμὶς lib. V. appellatur, et Xiphilino. 'Semiamiram' Capitolinus Macrino, et Lampridius Alagabalo vocant, 'Semia,' Syra, Eutropio est lib. VIII. Porro regnasse autumat Orosius lib. VIII. annis quatuor. *Schott.* *Sæmea* confirmant Leid. 1. et Guelf. et in antiquis numismatibus constanter satis vocatur JULIA SOAEMIAS. supra pro *Varius* scribit *Varus* Guelf. *Verus* Leid. 2. uterque male. Vide Lamprid. in Nostri Vita capp. 1. et 2. *Arntz.*

Heliogabalus] Ἐλαιαγάβαλος est Herodiano: Dioni Ἐλιογάβαλος, Ἀβῖτος, καὶ Σαρδανάπαλος: in numis vero antiquis fere *Alagabalus*, vel *Elagabalus* reperias: et Phœnicibus Sol est, vel, ut quidam, Juppiter, inquit Lampridius: qui et inde sic dictum ait, quod interempto Macrini factione Caracalla patre, in templum Dei Alagabali, ne interficeretur, velut in asylum confu-

gisset. Et ita Victor ipse nunc primum a nobis erutus. Græcis etiam Sol ἥλιος dictus. Forte hoc pertinent, quæ de Luno Deo refert Spartianus Caracalla. Locus vero aut insigniter depravatus, quem sine libris mutare non ausim; aut a Lampridio et Herodiano longe diversa narrat racemator iste. *Schott.* Ideoque pro *solis* aliquot edit. in margine addunt *Jovis*, sed aliud persuadent nummi hujus Inperatoris, in quibus passim SANCT. DEO. SOLI. SOLI. ELAGABAL. SACERDOS. DEI. SOLIS. ELAGABAL. et similes, quos in Numismatibus Inperatorum Romanorum reperies frequentissimos. Confer quæ nuperrime ad Eutrop. VIII. 22. collecta sunt. *Arntz.*

Vestalem virginem] Aquiliam Severam vocat Xiphilinus. Mox quoque *M. Aureliam* pro *Marcellum* rectius quis legendum putet. Aurelium enim Alexandrum Orosius, Spartianus, et Rufus nominant: supra *Naturæ defectu nondum poterat* melius est in Mss. *Schott.* *Nondum* recepimus etiam ex priscis edd. et nostris Mss. vixit enim tantum *annos sedecim*, quod in ultimo capite tradit Noster. *Arntz.*

Abscisisque genitalibus] Pro ea voce, quæ omnes occupat edd. manu exarati codd. exhibent *abscisis*, quod haud dubie verum. 'Abscidere,' diversa vox ab 'abscindere,' adhibetur a veteribus, si de parte aliqua corporis humani detruncata mentio fiat. Lucanus VIII. 674. 'At postquam trunco cervix abscisa recessit.' Sæpissime autem hæ voces inter se confunduntur, uti dudum monuerunt Munckerus ad Fulgen. Mythol. III. 5. Const. Fan. ad Ovid. Met. XII. 362. Davis. ad Cæsar. Bell. Gall. VII. 73. § 2. Gronov. ad Senec. de Constant. Sapient. c. 1. Inde legendum erit apud Liv. IV. 19. 'Caputque abscisum victor spiculo gerens.' et cap. 48. 'Non brachium abscisum consulem ex tam ancipiti prælio summovit.' Eodem modo corrupte editur l. XXXI. c. 34. 'Gladio Hispaniensi detruncata corpora brachiis abscissis:' non dubito inutiliter geminatam litteram *s* ejicere: uti XXII. 33. est, 'præcisisque manibus dimissus.' Lucretius III. 654. 'Et caput abscisum calido viventeque trunco:' quod recipiendum ex Mss. pro quo *abscissum* turpat editiones. Nec aliter muto apud Martial. Epigr. II. 82. 'Abscisa servum quid fingis, Pontice, lingua?' Et Epigr. III. 80. 'Abscisa est quare samia tibi mentula testa.' Vell. Paterculus II. 27. § 3. 'Cujus abscisum caput ferri gestarique circa Præneste jussit:' sic enim et ibi mallem, ut recte editum est eodem libro c. 66. § 2. et c. 119. fin. Seneca in Thyeste vs. 1038. 'Abscisa cerno capita et avulsas manus:' ita restituo ex duobus codd. a quibus recte hic locus constituitur, cum ceteri habeant *abscissa*. Claudian. in Eutrop. I. 280. 'Unguinis et reliquum Phrygiis abscidere cultris:' quam scripturam reduxerunt codd. Heinsiani et Rhodius ad Scribon. Largum Compos. Med. p. 164. Confer Bernecc. ad Justin. XV. 3. § 4. Vorstium ad Val. Maximum I. 1. ex. 18. Oudend. ad Lucan. III. 33. Cannegieterum ad Avian. Fab. XXX. 2. Orosius V. 16. 'Abscisis enim cum crine verticibus:' quæ mutatio fit fide Ms. pro vulgato *abscissis*. Sed quid plura? eandem emendandi rationem observandam esse existimo omnibus illis locis, ubi de rebus natura sua animatis sermo est, quod ipsa quantitas in *abscidit* media brevi, et *abscīdit* media producta, in poëtis clarius exigit et demonstrat: quam viam certissimo conatu insistunt Gronovius ad Senec. Phœn. vs. 194. et Dukerus ad Florum II. 2. § 2. Et si in illo tempore rei veritas negari non possit, cur hoc fraudi esset participio, ubi per mensuram poëticam hæc dignosci non possunt? Hinc apud

Sueton. in Calig. c. 32. § 6. lego *manibus abscisis.* Albericum Philos. de Deor. Imag. init. *Virilia abscisa.* Spartian. Sever. c. 11. *Caput abscidi jussit.* l. I. pr. C. de Off. Præf. Præt. Afr. *Abscisis radicitus linguis.* Amm. Marcell. XIV. 11. *cervice abscisa.* Contra 'abscindere' et 'abscissus' præfero, si de aliis rebus sit sermo, quæ vi aliqua abrumpuntur. Propertius El. III. 9. 65. 'Coclitis abscissos testatur semita pontes.' Et El. IV. 4. 70. 'Strymonis abscissos fertur aperta sinus.' Curtius VII. 11. § 1. 'Petra undique abscissa et abrupta.' Claudian. de Rapt. Proserp. I. 143. 'Abscissos interluit æquore montes.' Ex his defendenda lectio apud Livium XLIV. 5. 'Qua rupes abscissæ erant.' *Arntz.*

§ 4 *Marcellum*] Schottus conjicit legendum *M. Aurelium.* Sed respexit fortassis auctor ad sortis Prænestinæ responsum, quod Alexandro super Heliogabali insidiis consulenti datum est his verbis: 'Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris.' Ut in Alexandri vita refert Lampridius, *Sylb.* Adde Casaubon. ad Lampridii Alexandrum c. 1. *Arntz.*

§ 6 *A milite*] Melius est in Mss. *a militibus.* Iidem contra ut et Veronens. *ex re, quæ acciderat,* numero singulari. *Schott.* Nescio cur melius scribi *militibus* plurali numero statuat vir doctus, nisi solam ob hanc caussam, quod fidei Mss. sit obtemperandum; ceteroquin Romani scriptores sæpius hac in voce utuntur singulari, cum tamen de pluribus instituatur sermo. Livius XXII. 22. 'Ibi milite exposito profectus Scipio fratri conjungitur.' XXXIII. 36. 'Fatigato per diem totum milite via facienda.' XXXV. 29. 'Extemplo terga dedit tyranni miles.' Velleius II. 85. § 3. 'Fugientis reginæ, quam pugnantis militis sui, comes esse voluit.' Suetonius Claud. cap. 1. § 7. 'Circa quem stato die quotannis miles decurreret.' Sic et alii, et Justinum XI. 6. § 1. eo modo emendavit ex Ms. Schefferus; clar. Gronovius Livium VII. 35. Adde Stephanium ad Saxonem Histor. Dan. lib. V. pag. 117. Præferunt tamen et duo nostri *a militibus:* in Leid. vero 2. utraque vox desideratur. Obsecutus igitur sum Mss. præsertim quod adjectivum multitudinis sequatur. *Arntz.*

Militari cavillo appellantium] Sed vide Perizon. ad Sanctium IV. 3. Si *milite* retineamus, facilius scriberes *appellante eum.* Mox pro *et rabidæ* ex omnibus scriptis dedimus *rabidæque.* Arntz.

Novissime cum angustum foramen] *Angusto foramine cloaca* Leid. 1. *Angustia cloacæ foramen corpus ejus* Leid. 2. deinde *usque Tiberim* idem cod. de qua forma diximus ad Vir. Ill. c. 34. *Arntz.*

CAP. XXIV. § 1 *Hic bonus*] *Bonis* vulgati fere omnes. Veronensis *hic bonus P. R. fuit ærumnosus.* Infra quoque *compressus* integrius cum Mss. qui mox ita legunt: *ut illa ipsa permodica, si mensæ prandioque superessent: quamvis convivio reponerentur.* Ex quibus nullus idoneus sensus elici potest. *Schott.*

§ 2 *Taurinus Augustus effectus est*] Mox *Euphrati fluvio objecit* præfert Gryphius, et quæ eum secutæ sunt edd. Melius Aldus et Mss. *Euphrate fluvio abjecit.* In qua constructione frequentius præpositionem addunt, qui castissime loquuntur, uti diximus ad Vir. Ill. c. 1. § 2. Non omnino tamen alienus Curtius X. 5. § 19. 'Laceratisque crinibus humi corpus abjecit.' Phrasin 'objicere fluvio' scio Latine dici, verum sensu admodum ab hoc loco alieno. Cæsar Bell. Civ. I. 64. § 4. 'Timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum objicere:' et Pacatus in Paneg. cap. 34. § 3. 'Quorum se fugæ impervius ripis amnis objecit.' *Arntz.*

§ 4 *Ab stipatoribus*] Grammaticorum præcepta eludebant Guelf. et Leid.

1. reponentes *ab stipatoribus:* ita 'ab spe' Livius XXII. 15. 'Ab sede' Pierius ad Virgil. Æn. I. 626. 'Ab suis' Cæsar Bell. Gall. VII. 4. § 5. c. 12. § 13. Liv. XXII. 18. 'Ab se' Cæsar Bell. Gall. VII. 20. § 7. 'Ab senatu' Livius II. 60. III. 70. IV. 7. VI. 21. XXII. 22. XXXVIII. 58. XXXIX. 33. XL. 42. Quare et in Vir. Ill. c. 44. § 5. 'ab senatu triumphum oblatum recusavit' retinere non dubitavi, quamvis quatuor vel quinque codd. *a* præferrent. *Arntzenius.*

Compressas] Mss. Schotti, *compressus:* neutra lectio satisfacit. *Grut.* Sed cur *compressas* minus placere debeat non video, cum recte 'extentæ cervici' opponatur supra c. 19. § 3. et quæ attulimus ad Vir. Ill. cap. 68. Primus tamen casus est in Guelf. et Leid. 2. quod quidem minus mihi satisfacit, nisi ex eo refinxeris *confusus,* quod equidem non amplecterer. *Arntz.*

Ut illa ipsa] [Vide Lectt. Var.] Illæ ipsæ cœnarum reliquiæ, permodicæ quidem, non familiæ apponebantur, sed in aliud tempus reservabantur, etiam convivio, non modo cum solus sibi cœnaret Inperator, verum etiam cum convivas exciperet. Notum quippe est 'convivium' dici, si instructis epulis alios advocamus ad cœnam, unde a convivendo hoc verbum deducendum est. Cicero in Catone c. 13. et Scholiastes Juvenalis ad Sat. III. 250. Interim opportune D'Orvillius monuit Rittershusium Sacrar. Lection. VI. 18. rescribendum censere *ut Lipsana, quamvis, &c.* Λείψανα apud Ecclesiæ præsertim Patres sunt reliquiæ mortuorum, quas ex cæca superstitione divina veneratione prosequebantur. Vide in utroque Gloss. Du Cange. Sed de reliquiis cœnarum eam me vocem legere non memini: an ejus notionis exempla attulerit vir erud. ignoro, cum ipse liber non sit ad manus. Si vel hoc maxime verum esset, evertitur tamen illa conjectura sequentibus verbis, 'si cœnæ superessent,' quorum alterum abundaret, si ita scripsisset auctor. Ego in expositione adquiesco, ceteroquin et fieri posset *illæsa.* Sed abstineo. *Arntz.*

CAP. XXV. § 1 *Thrax*] *Tracus* Leid. 1. quæ gemina terminatio in similibus vocabulis incognita non est: de hac ipsa voce est apud Nic. Heinsium ad Ovid. Met. VI. vs. 455. dein *ex* scripsimus pro *e* cum omnibus codd. *Arntz.*

§ 2 *Militari joco*] Significat credo joca, qualia triumphantis currum prosequentes milites jocolariter canere solebant impune. Sueton. Cæsare c. 49. *Schott.*

Ne catulum] Non dissimile illud Aristophanis ἐν Βατράχοις. Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν. Μάλιστα δὲ λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν, Quam quidem ille sententiam Æschylo tribuit. Pericli vero ab inferis revocato veluti oraculum Val. Maximus VII. 2. *Schott.* Scribendum *nec catulum,* vel *ne catulum quidem.* Sylb.

CAP. XXVI. § 2 *Pupienus*] De Pupieno (qui in Mss. omnibus *Pupianus* est) et Balbino ad Victorem nostrum plura. *Schottus.* [Vide Lectt. Var.] Interim nota locutionem 'unus post unum;' pro quo alii dixissent 'alter post alterum.' Nec tamen aliter est in versione vulgata Euangelio Joannis c. VIII. vs. 9. 'Audientes autem unus post unum exibant.' *Arntz.*

CAP. XXVII. § 2 *Anno vitæ vicesimo*] Vet. cod. *undevicesimo.* Capitolinus 'vicesimo et secundo ex Junio Cordo.' *Vinet.* Vulgati quatuor *vicesimo,* quot et Capitolinus memorat. *Schott.* Supra *præfecto Prætorii* Leid. 1. *Arntz.*

§ 3 *Prope fines*] Apud Circeium Castrum Capitolinus Gordiano; XX. miliaribus a Circesso. Eutrop. lib. IX. et Oros. VII. 19. et Sex. Rufus. Mentio Circusii, quod in Capitolino Egnatius reponendum censet, apud Amm. Marcell. lib. XXIII. Titulus

eidem Gordiano positus exstat apud eundem Capitolinum. *Schott.* Quod eodem fere redit, *sepulcro* præfert Lugd. 2. *Arntz.*

Cap. xxviii. § 3 *Caius Julius Saturninus*] Eutropius, Cassiodorus, et alii Philippum juniorem appellant. *Vinet.* Vulgo fere omnes *Gallus Julius:* non probo. De ludis sæcularibus ad Victoris Philippum quædam notavi. Vide et singularem Onufrii Panvini libellum. Decius hic integer fere ab Eutropio est: infra *Licinianus* est in Mss. Veron. et tribus vulgatis per quinctam vocalem. *Schott.*

Vultu notaverit aversato] Oportet fuerit Tiberio similis, de quo Tranquillus cap. 21. 'Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palam, nec dissimulanter morum ejus diritatem adeo improbasse, ut nonnunquam remissiores hilarioresque sermones superveniente eo abrumperet.' *Grut.* Solenni aberratione est in Leid. 2. et ed. Gryphiana, *adversato.* Melius conferes cum Ovidio Am. El. iii. 9. 45. 'Avertit vultus, Erycis quæ possidet agros.' Art. ii. 615. 'Hoc quoque viso Avertit vultus sæpe puella suos.' Lucano ix. 1036. 'Non primo Cæsar damnavit munera visu, Avertitque oculos.' *Arntz.*

Cap. xxix. § 1 *Bubaliæ*] *Bubalia* contra sententiam Mss. antea editi. *Arntz.*

§ 5 *Valens*] Quatuor Valentes Imperatores hoc in rerum Romanarum Breviario memorantur: Valens hic Licinianus, qui cum paucis diebus in Illyrico imperasset, occisus fuit: Valens, qui sub Gallieno in Macedonia imperium invasit, et inter triginta tyrannos a Trebellio Pollione recensetur: Valens, quem morte multavit Licinius: et Valens frater Valentiniani Augusti, quem Gothi interfecerunt. *Vinet.* Confer Spanhem. de Usu Num. Diss. xi. p. 254. *Arntz.*

Cap. xxx. § 1 *Virius*] Pro *Virius* habet *Valerius* antiq. lib. 'Vibium' Ponponius Lætus vocat. Hunc autem Gallum Eutropius et Orosius 'Gallum Hostilianum' appellant. *Vinet.* Lege *Vibius* ex antiquis nummis, in quibus est, c. VIBIVS. TREBONIANVS. GALLVS. AVG. Vide quæ jam ad auctorem de Cæsaribus notata sunt. *Arntz.*

§ 2 *Perpennam*] *Perpennam* vero, sive *Perpernam Hostilianum;* aliunde non novi. *Vinet.* *Perpenna,* quod tamen cognomen Hostiliani fuisse alibi non memini me legere, constans est omnium scriptura, pro qua aliis locis *Perperna* prætulerunt viri docti, de quibus Ryckius ad Tacit. Ann. iii. 62. et Dukerus ad Florum ii. 20. § 6. Haud absurde conjici potest per errorem unum fecisse auctorem nostrum ex duobus Inperatoribus, qui eadem pestilentia absumti sunt; Caius scilicet Valens Hostilianus, et Marcus Perpenna Licinianus. Adi Occonem Biragi Numism. Inper. p. 356. et 357. *Arntz.*

Pestilentia consumtus] Qua sola imperium horum insigne, ad ultionem cædis Christianorum a Decio factæ. Orosius lib. vii. capp. 21. et 22. Zonar. Annal. lib. ii. Eutrop. lib. ix. et Eusebius Chronicis, qui et Cypriani libellum laudat de mortalitate (sic enim vocat δυσφημίας vitandæ caussâ pro 'pestilentia') temporis hujus occasione conscriptum; qui hodieque in manibus est. *Schott.*

Cap. xxxi. § 1 *In Mœsia*] Ita diphthongum secundam habuit hoc nomen regionis, in vet. cod. Græci *Mysiam* appellant, ut alibi ostendimus. *Vinet.*

Septimo circiter] Veron. *septimo circiter et XL.* nisi forte transpositæ literæ, ut fit, a *XL.* adeo impedita omnia: sed in ætate non tanti est: de imperii annis singulorum magis laborandum, ut qua fieri potest, temporum series constet. *Schott.*

In insula Meninge] Quæ Græcis Μῆνιγξ. Lotophagorum insula in Africo mari. *Vinet.* et *Anna.*

§ 2 *Menses quatuor dominatus*] Unde fortasse cum Pithœi cod., Aldo, Gryphioque, non pejus scribes *mense quarto domin.* ut indicet quartum mensem incœptum quidem, non tamen completum fuisse. *Arntz.*

Inter Otriculum, Narniamque, Spoletium] Si conjecturæ res esset, pro *Narniam* divinare liceret *Nursiam.* Hæ enim tres urbes in triangulo positæ sunt ita, ut apertum latus claudat Roma, adeo ut in Nari fluvio, postquam ille Velini aquis auctior procedit, pons ille sanguinarius fuerit. Non succurrit melius, et si addicerent Mss. videtur sublata difficultas, quæ contra accuratam geographiæ auctoris nostri cognitionem non temere moveri posset. Ceterum *Ocriculum* cum utroque Leid. Aldo et Gryphio scripsimus, non *Otriculum,* quæ mutatio a Schotto est profecta. Sed inspice tu Ryckium ad Tacitum Hist. III. 78. et Dausq. in laudabili opere de Orthographia part. II. pag. 325. *Arntz.*

§ 3 *Pugnax, nec tamen præceps*] Quod rarum est. De Jugurtha Sallustius c. 7. 'At sane, quod difficillimum imprimis est, et prœlio strenuus erat, et bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem plerumque adferre solet.' *Grut.* Mss. omnes *Maurus genere pugnans.* Sed pleraque talia participia in *ans* desinentia in adjectiva in *ax* mutant hodie artis criticæ periti. Exempla dabit Drakenb. ad Silium IV. 235. et X. 398. Fortasse superstitiosior haberi merear, si plus apud me valeat antiquorum codicum reverentia, quam ut iis audeam adversari. Nec tamen omnino fides deroganda illis, qui ante nos auctores ediderunt, qui cuncti hic *pugnax* exprimunt. Lege de illa emendandi ratione in conjecturis Burmann. ad Ovid. Am. El. II. 6. 23. *Arntz.*

§ 4 *Quatuor minus quinquaginta*] Liber membranaceus *annos III. minus L.* hoc est, *annos, tribus minus, quinquaginta.* Vinet. Et sic Guelf. et Leid. 2. *Arntz.*

Cap. XXXII. § 1 *Publici officii*] Excusi tres, *ad usum aliquem publicum officio, consilio.* Trebellius autem Pollio contra, 'nobili stirpe ortum, moribus laudatis,' &c. *Schott.*

§ 3 *Cassius*] Edd. pleræque *Cassius Labienus Postumus,* sine distinctione; rectius: est enim unus idemque Inperator, qui a Panvinii Fastis in triginta tyrannorum Catalogo quintus ordine ponitur, appellaturque *Imp. C. C. Junius Cassius Postumus Labienus P. F. Aug.* A Trebellio quoque in Victorino, 'Junius Postumus.' *Sylb.* Mutationis caussam reddidimus ad Cæsar. c. 33. § 8. *Arntz.*

§ 4 *Ælianus*] Vide Casaub. ad Pollionis Trig. Tyr. c. 5. *Arntz.*

§ 5 *Valerianus in Mesopotamia*] Rursus Eutropiana sunt. De XXX. tyrannis, quorum plerique hic nominantur, Trebellius Pollio legendus. *Schott.* Mox vocem *consenuit* huic rei admodum propriam non solum imitati sunt, verum etiam quasi de manu in manum tradidere priores et sequentes historici, seu historicorum compilatores; Pollio in Valer. c. 7. Eutropius IX. 7. Orosius VII. 22. Festus Rufus in Breviar. c. 23. Freculphus III. 9. Benevenut. de Rambaldis in Vita hujus Inperatoris, et alii. *Arntz.*

Cap. XXXIII. § 1 *Salonianum*] 'Saloninum' Pollio: sic dictus vel quod apud 'Salonas' natus esset, vel a matre 'Salonina.' Quin et 'Piparam' concubinam nominat. Victor noster *Pipam* concise absque litura. *Schott.* *In loco* Guelf. Leid. 1. et Aldus: quod mutavit deinceps Gryphius, ut multa, male. Talia enim in sequioris ævi scriptoribus repudianda non sunt, si a consensu Mss.

proficiscantur, quibus sæpe pro eo ac debet non adhibetur fides. Lactantius de Mort. Persec. c. 29. ' Imperium Licinio daret substituto in Severi loco:' ubi tumultuariæ operæ facile tribuo, quod *in locum* nobis emendaverit Jacobus Tollius. Supra in Vir. Ill. c. 15. § 1. ' Quia in loco Tricipitini collegæ consulem non subrogaverat:' ita invenio in cod. chartaceo, quem, postquam jam ille libellus typis erat expressus, mihi obtulit J. Phil. Dorvillius, vir non varia eruditione, quam vitæ elegantia commendatior. Hyginus fab. LXXVII. ' Postea Jovis in stellarum numero retulit.' Sed multa similia proferre esset bonas horas perdere. *Salonianum* hic defendunt omnes codd. *Arntz.*

Mat. specie] Pro *specie* posset legi *spe*. Illam sollicitaverat ea spe, fore ut aliquando uxorem duceret. Livius XXVII. 31. ' Spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat.' Ovid. Epist. Heroid. VIII. 178. ' Pro spe conjugii tempora parva peto.' Metam. XII. 505. ' Qui tantus erat, Junonis ut altæ Spem caperet.' Claudian. Gigant. vs. 40. ' Hic sibi promittit Venerem, speratque Dianæ Conjugium, castamque cupit violare Minervam:' ubi tamen *spiratque* recepit Heinsius, verum vulgata ideo contemnenda non est. Hoc vero loco *specie* defendi potest, quia veræ non erant nuptiæ, cum matrimonium civis Romani cum peregrina nullum esset. At hisce temporibus libido erat pro legibus, nec hisce se vinculis Inperatores teneri credebant. *Arntz.*

§ 2 *Aureoli commento*] Quali, explicat Victor ipse, unde hæc sunt: diversa vero Trebellius Pollio in Gallienis, immissis a Martiano, et Cecropio Delmatarum duce percussoribus interemptus circa Mediolanum. *Schottus. Apud Mediolanium* Guelf. et Lugd. 1. *Arntz.*

§ 3 *Cum patre septem* (*et*) *solus octo*] Copulativam vocem *et* cum Mss. rejecimus, jam antea uncis incluserat Schottus. *Arntz.*

CAP. XXXIV. § 1 *Annis duobus*] Veronensis disertim, *annum unum, mensibus novem*. Schott.

Dum adolescens a muliere] Casaub. emendandum putat *in muliere Dalmat. institueretur, &c.* Grut. Hanc emendationem instituit magnus Casaubonus eam ob rationem, quod non a muliere institueretur, sed in muliere aliqua suas vires periclitaretur. Verum dicat mihi aliquis, an verba *institueretur in muliere* tale quid possint indicare, ne jam loquendi illud genus in dubium vocem. Ni valde fallar, res eodem redibit. Quare unice probo sententiam Salmasii, qui recte locum vitio carere judicavit. Fuit enim et hæc consuetudo apud seculum prius, ut adolescentes, antequam ad legitimos thalamos admitterentur, in illa τῆς Ἀφροδίτης palæstra exercerentur, ne novitii in arenam descenderent, cum eam artem recte a virgine addisci posse non crederent veteres. Res hæc mei non est judicii; vide tu viros laudatos ad Trebellii Pollionis Claudium cap. 11. Turpiusculum est, sed ab hoc loco non alienum epigramma Martialis Epigr. XI. 79. ubi dat sponso consilium (talibus consiliis corrupti hujus seculi mores sine monitore abundant) ut antea in meretrice experiatur, quam in virgine suæ militiæ tirocinium deponat. Claudit epigramma his verbis: ' Ergo suburanæ tironem trade magistræ, Illa virum faciet; non bene virgo docet.' Et hinc patres permittebant in Comœdiis, ut dum licitum erat et ætas ferebat, amarent filii. Vide Terentium Andria II. 6. 12. Multo minus *matura* hic mutandum in *Dalmatica*, hanc eamque levissimam ob caussam, quod Claudius ' originem ex provincia Dalmatarum videretur ostendere' teste Pollione loc. laud. qui tamen alios aliter tradere ibidem adnotat,

Hæc prurigo est emendandi. 'Maturus' dicitur de ætate tali, quæ rebus agendis apta est. Ita 'matura virgo' plus semel apud Ovid. Sed hic forte (nam data opera id raro fieri solet) inspicio Minellianum illum heroëm Junckerum, qui pro suo captu *matura* exponit per 'jam seniore.' Apparet malum fuisse medicum, vel artem tenere eos magistros, quæ apud nos ignoratur, qua senes et vetulæ mulieres possint parere. Talium librorum abortum fecisse nonnullos Germanos (de Junckeris similibusque loquor) facile adfirmanti adsentior, sed similium liberorum partum non æque percipio. Vide de hoc sensu vocis 'maturæ' commentaria ad Petron. c. 87. Barthium ad Statium Theb. II. 204. Symmachum Epist. VI. 3. 'Sororem Pompeiani olim viro maturam.' Mox *designatur* legit Guelf. non male. *Arntzenius.*

§ 3 *His diebus Victorinus regnum cepit*] *Bandurius* in Numism. tom. I. p. 355. Censorinus hoc loco reponit: sed eodem redit, cum et ille triginta tyrannis sub Gallieno accenseatur. Interim Guelf. habet *Victorianus.* Leid. 1. *Victrinus.* Arntz.

Fatalibus libris] Livius XXII. 9. 'Decemviri libros Sibyllinos adire jubentur, qui inspectis fatalibus libris.' Vopiscus Aureliano cap. 19. 'Jubetur ut inspiciantur fatales libri:' vel simpliciter 'fata' apud Ciceron. Orat. Catil. III. 5. et IV. 6. Multa alia collegit Castal. ad Claudii Rutilii Itiner. vs. 52. *Arntz.*

Tanti ordinis] *Tantis ordinibus* nescio quomodo amplectuntur omnes scripti apud me, sed ante nos nemo hic variavit. Vox ea numero multitudinis posterioribus ita usurpata fuit. Symmachus Epist. IX. 48. 'Datis ad Ariminensium magistratus atque ordines minacibus litteris.' Postea *quam ipsum* expressi cum iisdem Mss. *quoniam Inperatorem* edidit Aldus. *Habere ipsum Inperatorem* Gryph. *Arntzenius.*

§ 4 *Imaginem auream*] 'Clypeum aureum' vocant summo consensu Pollio, Eutropius, Orosius. His quoque frater ejus *Quinctilius,* ut et in M ss. vocatur. Tebellio vero Pollioni trisyllabus est. *Schott.* Sed tamen et 'clypeum' et 'auream statuam' memorat Trebell. Pollio in Claud. c. 3. Eutropius IX. 11. et Orosius VII. 23. *Arntz.*

§ 5 *Quintilius*] *Quintillum* Pollio: Κύντιλλον Zosimus. *Anna. Quintilius* omnes scripti et editi. *Arntz.*

Is paucis diebus] [Vide Not. Delph.] Ad Pollionis Claudium c. 12. *Arntz.*

Cap. XXXV. § 2 *Romanum orbem*] Sic emendavi auctoribus libris et Vopisco. *Romanam urbem,* quod hactenus legebatur, concoquere non possum. Terminos enim et limites propagati imperii significat. *Schott.*

Alexander annos tredecim] Veron. *Annis vix X.* Curtium vide, et de Græcis Plutarchum et Arrianum, qui lib. VII. regnasse ait a. XII. m. VIII. vicesimo enim anno regnum arripuit, tertio et tricesimo exstinctus. Cicero Philipp. lib. V. et Oros. III. 23. Infra non displicet legi *subegerit* veteribus libris auctoribus, qui mox *Septiminus Imperator* præferunt. Rursum *victos,* vulgati *victor:* et post paullo *visebatur.* Schott. *Subegerit* ut legamus etiam nostri postulant codd. Suetonius Cæsare c. 49. 'Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.' Sulp. Severus II. 9. § 5. 'Æthiopiam bello premeret et subegisset.' Vegetius de Re Militari I. 1. 'Romanum sibi orbem subegisse:' ubi etiam *subjecisse* præferunt variantes lectiones. Sed nugarum satis; vide supra etiam ad Viros Ill. cap. 35. § 4. *Arntz.*

Amnem Metaurum ac fanum Fortunæ] Quod sequitur *Ticinensibus in campis* legunt omnes edd. sed Schottus præpositionem mediam unculis incluse-

rat, et abest ea ab omnibus nostris Mss. nec magnopere desiderari debet. Livius lib. XXIV. cap. 48. 'Collatisque æquo campo signis.' XXV. 9. 'Ut quo res postulet occurrere libero campo posset.' XXIX. 32. 'Adeptusque eam patentibus prope Clupeam urbem campis.' Florus IV. 12. § 20. 'Sarmatæ patentibus campis inequitant.' Claudianus Bell. Get. vs. 641. 'Cimbrica tempestas, aliasque inmissa per Alpes Isdem procubuit campis.' Sallust. Jug. c. 101. § 11. 'Spectaculum horribile campis patentibus: sequi, fugere:' ubi recte eam præpositionem ejecit Cortius, qui tamen nullam varietatem adnotat c. 105. § 3. ubi reperitur, 'repente in campis patentibus sese ostendit:' quomodo constanter apud Nostrum inf. c. 38. § 6. 'In campis Veronensibus occiditur.' Quare utrumque recte dici certum est. Livius XXIV. 41. XXV. 12. et alibi. Ovid. Fast. VI. 722. Justin. XI. 6. § 10. De præpositione illa temere intrusa diximus ad Viros Illustres c. 2. § 3. et Barthius ad Statium Theb. IX. 637. *Arntz.*

§ 3 *Septimius*] [Vide Lectt. Var.] Similiter *Romam* seu *Romanam* rejecit Freinshemius apud Florum I. 13. § 21. Sed tale quid non tentandum contra Mss. *Arntz.*

§ 4 *Victos*] Totidem verbis hæc reperiuntur apud Eutrop. IX. 14. qui etiam supra simpliciter 'Monetarii in urbe rebellaverunt.' *Arntz.*

§ 5 *Primus apud Romanos diadema*] Casaub. ad Lamprid. Heliogab. cap. 23. Chiflet. de Aur. Numism. c. 4. et Spanhem. de Usu Num. Diss. XII. p. 388. Cedrenus hujus consuetudinis auctorem demum facit Constantinum; eos conciliare conatur Valesius ad Ammian. XXI. 1. prope init. ego potius errasse crediderim. *Arntz.*

Gemmisque et aurata omni veste] Errorem hoc loco Nostri notavit et culpat Stan. Kobierzyckius de Luxu Romanorum I. 8. Sequenti versu *visebatur* cum Schotto volebant omnes etiam codd. *Arntz.*

§ 7 *Adspergens hominem*] Diversum Cæsaris de se dictum exstat, 'Malle se in Alpium oppidulo primum esse, quam Romæ secundum.' Plutarchus. Ceterum de correctura quædam ad Victorem diximus, quibus adde l. 'de omnibus' D. de Offic. Præsid. et l. unic. Cod. 'Ut omnibus Jud.' *Schott.* *In Galliis factus* scribit Leid. 2. *Arntz.*

§ 8 *Fraude*] Eutropiana sunt ad verbum usque ad Florianum fere, quem cum hac Epitoma comparandum censeo, ut consarcinatoris industria vel audacia potius appareat, qua Victoris nomine auctoritateque subditicium librum hactenus obtrusit. *Schott.*

Nomina pertulit adnotata] *Pertulit adnotata* absque *nomina* Mss. Vopiscus, 'breve nominum' appellat. Hinc 'breviarium' vox non inepta, Plinio, Suetonio in Augusto cap. ult. Vespasiano c. 21. et Senecæ Epist. XXXIX. usitata. *Schott.*

Septem mensibus] *Sex* tantum Vopiscus. *Vinet.*

CAP. XXXVI. § 2 *Exercitus Equitum Probum*] Totidem pæne verbis hæc Vopiscus Floriano. Τὸ *equitum* non comparet in Vopisco: 'Probum,' inquit, 'omnis exercitus legerat,' et vereor ne supersit. Veronensis enim et Cujacii liber *Equitium Probum* nominat, nescio quam vere. Vopiscus enim et numi veteres 'Aurelium Valerium Probum' appellant; vulgati fere omnes *Equitantium*. Lector viderit. Infra certe in Valentiniano 'Equitius' quidam nominatur. cap. 45. § 10. *Schott.* Veron. et Cujacii liber *Equitium Probum* vocant, cui lectioni* patrocinatur aliquo modo, quod in Probi nummis equi effigies sculpta visitur. *Sylburg.* Et ego hic libenter ignorantiam profiteor meam; tamen cum Mss. *Equitium* scribendum censui, si forte et hoc nomen tulisset ante inperium, quod nobis

alia non reliquerint monumenta, cum ipso inperante in desuetudinem abierit. *Equitum* edidit Schottus; vellem docuisset, quid per *exercitum equitum* debeam intelligere. Quod de equis numismatibus hujus Inperatoris insculptis profert Sylburgius, non magis verum est, quam de reliquis Inperatoribus, in quibus currus triumphales, currus solis, &c. apparent; non ideo illi 'Equitii' fuerunt dicti vel 'Curules.' *Arntz.*

Cap. xxxvii. § 1 *Dalmatio sanguine*] Liber membranaceus *nomine* pro *sanguine*. Sed alii *Maximum* vocant patrem Probi. Vide Flavium Vopiscum. *Vinet.* Mss. et Veron. *nomine*. Idem Vopiscus 'quinque' dumtaxat 'annos' attribuit: qui et de his tyrannis, ut et Firmo legendus. *Schott.* Inperite et hic corruptus locus, cum ignavum librariorum genus vim vocis 'nominis' non intelligerent, quæ idem denotat, quod gentem, sanguinem, genus. Livius vi. 2. 'Ad exstinguendum nomen Romanum arma ceperant:' qui passim eo modo solet loqui. Justinus ii. 4. fine, 'Brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.' Lucan. vii. 391. 'Tunc omne Latinum Fabula nomen erit.' Frontin. Strateg. i. 2. § 2. 'Cum animadvertisset non alienos nomini Romano.' Servius ad Virgil. Æn. vi. 758. et xii. 514. Bernec. ad Justin. xii. 4. § 1. Gronov. ad Liv. i. 3. Nic. Heinsius ad Ovid. Epist. Her. ii. 50. et xvii. 60. ubi vulgo quoque *sanguine* circumferebatur. Et nonnulla Cort. ad Sallust. Catil. cap. 52. § 24. *Arntz.*

§ 2 *Opere militari Almam montem*] Supra *Pannonos* legit Lugd. 2. Vide ad Cæsares cap. 33. § 2. *Arntz.*

Conseruit] Pro *consenuit*, *conseruit* Mss. et *Syrmio* iidem et Veron. Vulgati *Sirmii* generandi casu, et cum iῶta, ut Græci. Herodianus lib. vii. Σίρμιον μεγίστην Παιόνων πόλιν facit. 'Almum' quoque montem vocat Eutropius, unde hæc verbotenus exscripta. *Schott.* *Conseruit* non solum omnes scripti, sed et edd. de qua forma vide Vossium de Anal. iii. 30. Vulgo distinguunt grammatici inter 'consero, consevi,' et 'consero, conserui;' sed tamen hanc utramque vocem ejusdem esse originis apparet. Nec debuerat exemplum suum sequi doctissimus Schottus in sequenti voce *Sirmio*, quam contra codicum et editionum fidem in *Sirmii* transtulerat infelici incœpto. Florus iv. 2. § 19. 'Prima Arimino signa cecinerunt:' nec enim ibi arridet sententia magni viri *Arimini* reponentis. Hyginus Fab. lxvii. 'Dum hæc Thebis geruntur, Corintho Polybus decedit,' id est, in Corintho, Corinthi. Justin. xviii. 4. § 3. 'Cum interim rex Mutgo Tyro decedit:' et Commentatores ad ejusdem v. 4. § 1. 'Jam Sesto Mindarus et Pharnabazus Lacedæmoniorum duces exspectabant.' Multa quoque collegit Muncker. ad Hygin. Fab. ccxlvii. *Arntz.*

Cap. xxxviii. § 1 *Narbonæ*] Potest et *Narbone* tertia inflexione legi. *Vinet.* Romæ alii, alii Mediolani, quidam in Illyrico asserunt: Vopiscus. Sidonius vero Apollinaris in eleganti Narbonæ descriptione *Narbonensem* quoque facit. Versus ob venustatem non pigebit adscribere: 'Quid quod Cæsaribus ferax creandis, Felix prole virum, simul dedisti Natos cum genitore principantes? Nam quis Persidis expeditionem, Aut victricia castra præteribit Cari Principis, et perambulatum Romanis legionibus Niphatem? Tum cum fulmine captus Inperator Vitam fulminibus parem peregit.' *Schott.*

In lecticula] Præpositio illa Schotto suspecta fuit, quod declarant duæ unculæ, in quas eam damnaverat: sed injuria, cum patroni adsint omnes Mss. et edd., et ipse Ovid. Trist. Eleg. iv. 2. 45. 'Hoc simul in curru,

Cæsar, victore veheris.' Cicero Orat. Phil. II. 24. 'Vehebatur in essedo tribunus plebis.' Orat. pro Milone cap. 20. 'Cum alter veheretur in rheda penulatus.' Adeoque non mutanda fuerat verissima scriptura apud Eutropium IX. 18. 'In lecticula veheretur.' De more illo, quo morbo impediti duces in lectica vecti iter facerent, confer Gebhard. ad Corn. Nepotem Hannibale cap. IV. § 3. *Arntz.*

§ 7 *Matrimonia nobilium*] 'Nobilia' Eutropius, unde hæc fere ad verbum, ut supra illa de Apro. Malim *militum*, si libri auctores fierent ex Aurelio Victore. Infra, *vel levi fatigatione taxaverant.* Idem Eutropius. *Schott.*

Verbi fatigatione] Non credo ipsum Junckerum intellexisse suam expositionem, cum hæc ita vertat, *Qui eum taxaverant in auditorio, ideo quod fatigaretur loquendo:* si verba ea capiamus, ut capienda sunt, tanto commentatori dignissimus evadet sensus, si modo ullus inest. Melius fecisset, si, cum ipse nihil invenire posset, aliorum bene inventis obtemperasset, quod fecit bellissima femina [vide Not. Delph.] ex Salmas. ad Vopisc. Carino initio. Adde Savaronem ad Sidon. Epist. I. 8. et Carolum Du Fresne in Gloss. Med. Latin. hac voce. *Arntz.*

Taxaverunt] Et hæc habet loco laud. Salmasius : supra pro *in auditorio, in adjutorio* corrumpit uterque Leid. *Arntz.*

CAP. XXXIX. § 1 *Anulini senatoris*] *Amilini* libri aliquot. Mentio Anulini cujusdam supra cap. 20. § 6. cum Laterano Cilone et Basso, ut Imp. Severi amicissimi. Mox *libertus* est in Veron. et *Charausio* cum spiritu, ut et in Mss. quibus usus sum, omnibus. *Schott.*

§ 3 *Charausio in Galliis*] Apud alios rectus est 'Carausius.' *Vinet.* Cum adspiratione etiam nostri manu exarati. Sed aliter et quidem recto casu terminante in *us* scribunt nummi. Vide Begerum Thes. Brand. tom. II. p. 783. et Spanhemium de Usu Numism. diss. XI. p. 265. *Arntz.*

Instituta] Legi etiam possit *insita*, si libri Mss. faverent. Cicero Catone dixit *dimensa atque descripta*, de arboribus, quod e Xenophontis Œconomico καταμετρήσαντός σοι καὶ διατάξαντος conversum apparet. *Schott.* Cur et huic lectioni dicam scribat vir doctissimus, nulla est ratio. Etenim *insita* proprie dicitur de arboribus, si felicius fructuum genus deteriori trunco applicetur, de qua re Plinius Hist. Nat. XVII. 14. 15. et 18. et alii cum Emmenessio ad Virgil. Ecl. I. 74. At ego, quamvis parcissimus sim hortorum cultor, illud tamen intelligo, tales insitiones in oleribus non procedere. Sed 'instituere' vox est de eo, qui frumenta justo ordine serit, et arbores dirigit. Varro de Re Rust. I. 27. 'Ad alia arandum aut fodiendum, ut si segetes institutas.' Cicero Orat. Agrar. contra Rullum II. 25. 'Jugera CC. in quibus olivetum fieri potest, jugera CCC. ubi institui vineæ possunt.' Suetonius in Galba c. 1. 'Observatum est sub cujusque obitum, arborem ab ipso institutam elanguisse.' Idem de Illustribus Grammaticis c. 23. § 5. 'Agros adeo coleret, ut vitem manu ejus institutam satis constet trecenta sexaginta quinque vasa edidisse :' sic 'instituendi salicti caussa' est in l. 3. § 3. ff. Arb. furt. cæs. Junge his multiplicis eruditionis Gothofredum ad l. 61. pr. ff. Loc. Cond. *Arntz.*

§ 7 *Communi habitu*] Pro privatus, ut ad Victorem monui. *Voluntariam* scriptus liber et Veronensis. *Schott.* Quid 'mors' sit 'voluntaria' expositione non eget. Cicero de Claris Orat. c. 27. 'Morte voluntaria se a severitate judicum vindicavit.' Val. Maximus III. 5. ex. 1. 'Cum ei morte voluntaria absumi satius fuerit.' Adde VIII. 9. ex. ext. 3. et IX. 11. ex.

ext. 2. Curtius v. 6. § 7. 'Multi ergo hostium manus voluntaria morte occupaverunt.' Suetonius Caligula cap. 26. 'Paucos post dies voluntaria morte periisse mentitus:' in Nerone c. 34. § 8. et Galba c. 3. § 11. Quinctil. IX. 2. p. 792. 'Obliti tot exemplorum circa voluntariam mortem.' Justin. IV. 5. § 10. 'A captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat.' Amm. Marcellinus XIV. 8. 'Ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto.' De anno vero et genere mortis dissentiunt historici; vide Scaliger. ad Eusebii Chron. p. 249. et quæ adnotata sunt ad auctorem de Mortibus Persecutorum c. 42. *Arntz.*

CAP. XL. § 1 *Itinere Lavicano*] Quam et per *b* viam 'Labicanam' appellatam reperies. *Vinet.*

Ad tres tabernas] [Vide Lectt. Var.] Romæ in sexta regione a P. Vict. 'x. tabernæ' collocantur. 'Tres tabernæ' a Sex. Rufo in regione Exquilina cum collegio Viminali, et 'x. tabernæ,' in regione Alta semita in libellis de regionibus urbis Romæ: mox *ex urbe* iidem scripti libri. *Schottus.* Verissimam lectionem optime revocavit dubio procul vir egregius, quam tamen corruperant omnes editi. Et extra urbem ejusdem fuerunt nominis loca, de quibus Lindenbr. ad Ammian. XVI. 11. et Corradus ad Cicer. ad Atticum Epist. II. 10. Quæ non recte distinxisse videtur vir magnus ad Euseb. Chron. p. 247. quod tamen fieri debere adjecta vox *Romæ* suadebat. De tribus Romæ Tabernis agit Argolus ad Panvin. de Ludis Circens. I. 5. Deinceps *ex urbe* cum Schotti libris Guelf. et Leid. ambo, ut recte monuit, qui utrumque illum codicem in mei gratiam contulit, frater conjunctissimus Otto Arntzenius Diss. de Milliario Aureo sect. III. § 4. Præpositionem *ex* posses exponere per *ab*; uti Cæsar Bell. Civ. I. 14. § 3. 'Cn. Pompeius pridie ex Urbe profectus iter ad legiones habebat.' Cum tamen Pompeius cum inperio non in Urbe, sed ad Urbem moraretur, unde eodem lib. c. 33. § 2. dicitur, 'Pompeius discedens ab Urbe.' Aliam lectionem expresserant ante nos omnes, et ea est apud Liv. XXVII. 37. 'Utraque decimum lapidem ab Urbe.' Martial. Epigr. I. 13. 'Signat vicina quartus ab Urbe lapis.' Eutrop. I. 8. 'Octavo decimo milliario ab Urbe positam.' Et apud multos alios frequentissima, quæ res fortasse errori dedit caussam. Supra *Severus Cæsar ab, &c.* interserit Guelf. *Arntz.*

§ 5 *Pœnas luit*] Iidem scripti libri *pœnas dedit.* Schottus. [Vide Lectt. Var.] Virgilius Georg. lib. I. 405. Ovid. Epist. Her. XXI. 32. 'Commentis pœnas doque dedique tuis.' Plinius Epist. I. 15. 'Dabis pœnas, non dico quas.' Juvenal. Sat. III. 278. 'Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit, Dat pœnas.' Justin. XXXVI. 4. § 8. 'Victus pœnas inconsultæ avaritiæ sanguine dedit.' Mitto alia, quæ et apud eum ceterosque longo ordine loca recenseri possent. neque enim sordidam diligentiam lector desiderabit. *Arntz.*

§ 7 *Mulvio*] Pons *Molvius* in nostris Mss. in Sallustii aliisque 'Mulvius:' et *egreditur* iidem vulgo; *congreditur.* Schottus. Vide quæ supra scripsimus ad Vir. Ill. c. 72. *Arntz.*

§ 8 *Maximinus*] *Ad Tarsum* est in cod. Guelf. ut diximus ad Vir. Ill. c. 60. Adde notata ad eundem libellum c. 72. § 11. Wasse ad Sallust. Catil. c. 31. et magnum Gronov. ad Liv. VII. 7. *Apud Tarsum* expono per 'Tarsi,' quam loquendi rationem non infrequentem esse hujus ætatis scriptoribus jam docuit Vorstius ad Sulp. Severum Hist. Sacr. II. 11. Quid sit *morte simplici periit*, exponit Cuperus ad Lactant. Mort. Persec. c. 49. *Arntz.*

§ 13 *Suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis*

auspicio pravissimi cœpti a puero] Videtur illud *muliebri* mutandum in *mulieris*, uti conjungatur voci *laborantis*: vult enim ideo suppositum partum, uti retineretur animus mariti. Quinctil. Declamatione I. 'Alius diceret, maritum et uxorem, nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum vinculis inhærere.' Consulatur Euripidis Medea vs. 490. Senecæ Hercules Œtæus, vs. 407. *Grut.*

Auspicio] Quod edidi confirmant etiam omnes apud me codd. et lectio est ab ipso auctore profecta, recteque ita citat hunc locum Valesius ad Excerpta de Constantino Magno p. m. 712. Maritis enim eæ conjuges solent esse gratiores, quæ liberos edunt; sterilitas enim invidiosa et suspecta; multo etiam gratiores, si filium edant, quam filiam, præsertim ubi successor speratur. Quinctil. Decl. XVIII. 3. 'Suspicax maritus nihil umquam potuit objicere nisi filium, quæ pudicitiæ prima fiducia est, edidit partum.' Et hinc est, quod puellæ si natæ essent, jussu patris exponerentur, qua de re scribit Ælianus Var. Hist. XIII. 1. initio: Ταύτην ὁ πατὴρ γενομένην ἐξέθηκεν· ἔλεγε γὰρ, οὐ θυγατέρων, ἀλλ' ἀῤῥένων δεῖσθαι. Heliodorus Æthiop. IV. 174. Antoninus Liberalis Metam. c. 17. Οὗτος, ἐπειδὴ ἐγκύμων ἦν ἡ Γαλάτεια, ηὔξατο μὲν ἄῤῥενα γενέσθαι αὐτῷ παῖδα, προηγόρευε δὲ τῇ γυναικὶ, ἐὰν γεννήσῃ κόρην, ἀφανίσαι. *Is cum uxor gravida esset, voto masculam sibi prolem expetens, edixit conjugi, si filiam peperisset, uti eam tolleret.* Consulendus ibi Munckerus, qui elegantissimis notis multo hunc libellum jucundiorem reddidit. Insignis hanc in rem est locus Appul. Met. X. 249. Adde Plautum Casina prol. vs. 41. et Cistellaria I. 3. 33. Puer vero hic ad sexum refertur, et puellæ opponitur, quomodo veteres dixerunt 'puer' et 'puera,' Donato teste ad Terent. Andria III. 2. 10. Servio ad Virgil. Æn. II. 598. Senec. Hippol. vs. 577. Sueton. Caligula c. 8. Justin. XIII. 2. § 5. 'Roxanes exspectari partum, quæ exacto mense octavo matura jam ex Alexandro erat; et si puerum peperisset, hunc dari successorem patri.' XLIII. 2. § 4. Hygin. Fab. LXXXVII. Salas ad Petron. c. 22. &c. *Arntz.*

§ 14 *Is Maximianus*] Hoc tamen vitium viderunt ante et sustulerunt Valesius ad Excerpta de Vita Constant. p. 711. Baluzius ad Lactant. Mort. Pers. c. 26. postea et Cuperus ad eundem c. 18. p. 171. et 174. cum tamen corrupta scriptura confirmetur ab omnibus Mss. nihil temere in textum recepi, cum vel lapsus ipsius auctoris esse possit. *Arntz.*

§ 16 *Romulianum ex vocabulo*] Quod sequitur de matre a dracone compressa aliter narrat Lactantius Mort. Pers. c. 9. qui Martem patrem facit. De Olympiade inspice Savaron. ad Sidon. Apollinarem carm. II. vs. 80. et 121. et Ælian. Var. Hist. I. 25. *Arntzenius.*

§ 18 *Daza dictus*] Sic *Daza* alia ex nostris exemplaribus, alia *Dara*, alia *Daca*. Vinet.

§ 19 *Qui cum pigeret facti, differri quæ præcepit*] Gemina sunt quæ de Trajano refert Victor ipse: 'Vinolentiam,' inquit, 'quo vitio, uti Nerva, angebatur, prudentia molliverat, curari vetans jussa post longiores epulas.' Nec dissimilia de Alexandro Magno referunt interfecto Clito: qui et Jove Ammone natum se putabat. *Schott.* *Quod* melius ex Mss. reduci existimavi. *Arntz.*

Senectæ] *Ætatis* amplius est in Mss. *Schott.* Et recte quidem. 'Senectus' enim adjectivum est, quod variis substantivis adjungi docuit Vossius de Anal. III. 25. et IV. 13. et Schotti Mss. accedunt Guelf. et Leid. 1. cum editis. Plautus Casina II. 3. 23. 'Senecta ætate unguentatus per vias, ignave, incedis.' Et vs. 41. 'Mirum, ecastor, te senecta ætate officium

tuum Nea meminisse.' Dict. Cretensis de Bell. Trojano III. 21. 'Neque dubium cuiquam, quin contemtui sit adolescentiæ senecta ætas.' Supra de Cæsar. c. 5. § 15. 'Quamquam senecta ætate inperio correpto subvenisset.' Servius ad Virgil. Æn. v. 758. 'Senatores autem alii a senecta ætate, ut Græci γερουσίαν, dicunt:' et ad XI. 198. *Arntz.*

Cap. XLI. § 2 *Annis triginta*] *Annos* edidit Schottus, aliter ac vetustæ editiones et Mss. *Arntz.*

Publica jumenta] Equos publicos cursui deputatos: sicut idem, ut puto, Constantinus loquitur in titulo 'de cursu publico:' qui est quinquagesimus primus libri duodecimi codicis Justiniani: et quos appellare 'dispositos equos' videtur Titus Livius libro tricesimo septimo. *Vinet.* Quæ ad historicam veritatem pertinent illustrata reperies apud interpretes ad Lactant. de Mortibus Persec. c. 24. *Arntz.*

Quaqua iter ageret] Hæc a Victore desumpta, si qui forte comparare velit, nisi quod *vitæ ultima agebant* legit. Porro *Erocus*, *Crocus* Alemannorum rex in Mss. appellatur. Et *idem* pro *item*. Ita perpetuo *Mediolanium* sex syllabis scriptum repperi. *Schottus.* Dedimus quoque hoc loco nostrorum etiam codicum et editionum priscarum scripturam, pro qua Schottus, *quaqua iter ageret*, *interficiens*. Sed *situm* interponit solus Guelf. Deinde *Croco* malunt uterque Leid. *Idem* olim editi, Guelf. et Leid. prior, qui mox *Mediolanium*. Sequenti versu pro *hisdem*, quod præferunt editiones et omnes manu scripti codd. reposuerat Schottus *eisdem*, plane ut § 4. 'hisdem diebus,' quam formam in posterioris certe ævi scriptoribus male rejici et in *iisdem* mutari existimo. Dictys Cretensis de Bello Trojano II. 42. 'Hisdem fere diebus barbari paravere eruptionem:' et III. 1. 'Hisdem fere diebus nuntius apportatur:' ita præfert optima Stephani ed. quam neglexere posteriores. Plinius Epist. III. 4. 'Recordarer quanta pro hisdem Bæticis pericula subiissem:' sic habet codex scriptus, uti Epist. IV. 13. 'Hisdemque religio addatur:' sed adi Broukhusium ad Propert. El. IV. 7. 7. qui ibi edidit, 'Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.' Ego maluissem *hosdem* retinere. Alia Cortius ad Sallust. Catil. c. 13. § 1. Postea recte *perurguebant*, interposita vocali, quomodo et infra idem lib. cap. 43. § 2. Dudum est, quod monuere viri docti ita esse scribendum, ut in optimis quibusque Mss. et in ipsis Pandectis Florentinis reperitur. Vide Pierium ad Virgil. Georg. III. 200. et Æn. I. 115. Rhodium ad Scribon. Largum comp. 66. Scriverium ad Veget. de Re Milit. III. 17. lib. v. capp. 7. et 11. Schottum cap. 42. § 14. Munckerum ad Fulgentii Mythol. III. 7. Oudendorp. ad Lucan. I. 147. *Arntz.*

§ 4 *Filiumque suum Crispum nomine*] Alii tamen legitimam uxorem fuisse Minervinam scripsere, de qua re videndus Spanhemius ad Juliani Orat. I. p. 64. *Arntz.*

§ 5 *Dissidium*] *Discidium* disertim Mss. de cujus vocis elegantia Gabriel Faërnus ad Terentium. *Schott.* Lactantius Divin. Inst. VII. 3. 'Seminibus inter se passim coëuntibus: quibus iterum resolutis, discidium atque interitum secuturum:' sic equidem malim ibi, non cum editis *dissidium*. Solinus Polyh. c. 1. p. 7. 'Inter plurima humi discidia:' ubi Gryphiana ed. male *dissidia*; sed talia exempla, ubi hæc confunduntur, innumera sunt. Ex multis accipe pauca. Commentatores ad Ciceron. pro Ligar. capp. 2. et 6. et Orat. Phil. II. 8. ad Ovid. Met. XIV. 79. Barthius et Heinsius ad Claudian. Bell. Gild. vs. 241. Gronov. ad Liv. XXV. 18. Broukhusius ad Propert. El. II. 19. 16. et ad Tibull.

El. I. 5. 1. Frustra dissentit Scioppius Veris. II. 8. quem cum ipsa res, tum posterorum omnium convincit auctoritas, et hoc loco nostri Mss. *Arntz.*

§ 8 *Post quintum decimum*] *Quartum decimum* confirmant edd. et Mss. (si a Leid. 2. discesseris) qui etiam mox *occidit* amplectuntur: supra in Cæsar. cap. 41. § 11. 'Cum natu grandior patris judicio occidisset.' Ovid. Epist. Her. VII. 113. 'Occidit internas conjux mactatus ad aras:' et multis locis. *Arntz.*

Præcipue forensem industriam] Equidem quod ad caussidicinam attinet, si talis fuit tempore Licinii, qualis est hodie, jure merito vocavit *pestem publicam*. Nam quid aliud quæso est? *Gruter.* Amm. Marcellinus XXX. 4. *Arntz.*

§ 9 *Agraribus*] Horrida vox et agrestis, qua offensus Frobenius, *agrariis* impressit. *Schott.* *Agraribus* quoque Mss. non *agrariis*, uti substitutum in Frobenii ed., quod offenderetur voce altera. *Grut.* *Agrariis* edd. at Mss. *agraribus* quod magis placet, ob vocis rusticitatem. *Anna.* Et nostri Mss. Levior mutatio est (nec tamen mutandum credo) *agralibus*, quæ vox jam nota lexicographis. *Arntz.*

§ 10 *Tineas, soricesque*] Et Lindenbrochius ad Amm. Marcellinum XIV. 11. *Arntz.*

Fausta conjuge suggerente] Apollinaris Epist. v. 8. 'Non figuratius Constantini domum vitamque videtur vel pupugisse versu gemello consul Ablavius vel momordisse disticho tali clam Palatinis foribus appenso: 'Saturni aurea sæcla quis requirat? Sunt hæc gemmea sed Neroniana.' Quia scilicet prædictus Augustus iisdem fere temporibus exstinxerat conjugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni.' *Schott.* Ibi consulendus Savaro et Scaliger ad Eusebii Chron. p. 250. *Arntz.*

Herbam parietariam] 'Parietinam' Amm. Marcellinus lib. XXVII. *Schott.*

Studia litterarum] Pro *legationes* supposuit *legatos* Leid. 2. non cogitans hæc ita poni, ut 'servitia' pro servis, 'matrimonia' pro uxoribus, et similia. Cæsar Bell. Gall. I. 34. 'Ei legationi Ariovistus respondit.' Nepos Epamin. c. 7. § 4. 'Quo cum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit.' Tacitus Hist. IV. 68. 'Trevirorum legatio illic opperiebatur.' Justin. VIII. 4. § 3. 'Non pacis amore, sed belli metu, legationes venere.' XXX. 3. § 5. et Tennulius ad Frontin. I. 2. ex. 1. Paullo post *Dalmatio* volunt codd. et sic supra in Cæsaribus editur, nescio librariorum culpa, an auctoris. Aliter hic omnes editi, et vere ad nummos si provocemus apud Occonem et reliquos, monente id etiam Spanhemio Diss. XI. de Usu Numism. p. 266. *Arntz.*

§ 16 *Tracala decem*] In aliquibus exemplaribus aspirat mediam syllabam *Trachala*, sicut apud Festum 'Trachali.' *Decem* autem anni, et *duodecim*, et *decem*, videntur esse triginta duo anni hujus imperii: qui triginta solum supra numerati sunt. Sed hic variant et auctores et exemplaria, sicut monuimus in commentario Eutropii. *Vinet.* Hunc locum multi non intellexerunt; neque mirum, cum variis difficultatibus laboret: de voce 'Trachala' per litteras Sarravius consuluit Salmasium, quæ exstant in Sarravianis Epistolis num. 77. 80. et 81. Ille volebat τρόχαλα, ut allusio fieret ad ternas illas mutationes; is substituebat *tria cappa:* sed frustra. Neque enim de veritate receptæ lectionis dubitabimus, si Cedrenum audiamus p. 269. Καὶ παχὺς τὴν αὐχένα, ὅθεν καὶ Τραχηλᾶν αὐτὸν ἐπωνόμαζον. *Et crassus erat cervice, unde etiam Trachalam ipsum nominabant.* Τράχηλα ut notum Græcis *cervices* notant. Videatur Du

Fresne Gloss. Med. Latin. in 'Trachala' et Burman. ad Quinctil. Inst. VI. 3. p. 554. Et sic *Trachala* non ad *præstantissimus* solum, sed ad omnia reliqua tempora, cum 'latro' fuerit vel 'pupillus,' referendum erit. Inde facile inducor ut, ne *præstantissimus* suo substantivo destituatur quo exprimatur quid decem primis annis fuerit, quaque præcipue re claruerit, ut, inquam, nulla fere mutatione scribam, *Trachala, decem annis præstantissimus dux, decem sequentibus.* Hoc modo ipse auctor sibi contrarius esse desinit, cum initio hujus capitis dixisset Constantinum inperitasse 'annos triginta,' et hic numeret ex vulgata lectione annos XXXII. Decem prioribus annis res fortiter gessit, sequentibus in suos sæviit, et ultimis adeo profusionibus et largissimis inpensis neglecta reip. cura deditus fuit, ut vel ideo tanquam 'pupillus' tutore indigere videretur, qui ejus nomine res administraret. Vel 'pupillus' ideo, quod ultimo ætatis tempore videretur quasi repuerascere, et mentis vigorem amittere. 'Pupillus' enim est parvus puer, quo sensu Apuleius Met. II. 124. 'Pupillus ego Mileto profectus:' et in Apolog. p. 320. 'formosa pupilla:' quomodo 'pupulus' apud Senec. Epist. 12. sed prius magis placet, cum non diversa ratione Sejanus vocetur tutor Tiberii a Juvenale Sat. X. 93. 'Visne salutari sicut Sejanus, habere Tantundem, atque illi summas donare curules? Illum exercitibus præponere, tutor haberi Principis augusta Caprearum in rupe sedentis.' Adde et Du Cange Gloss. Græcit. voce Τραχαλᾶς. Melius feceris, si in contextu post vocem *Trachala* minorem distinctionem seu comma posueris, separari enim debet a sequentibus. Ceterum hunc locum, uti per litteras mihi significavit, ita legendum et distinguendum censebat Cannegieterus: 'Cumque liberis filioque fratris Delmatio Cæsaribus confirmatis tres et sexaginta annos vixisset (ex quibus dimidios its, ut tredecim solus, inperarit) morbo consumtus est irrisor potius, quam blandus. Unde proverbio vulgari Thracola decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis popillus ob profusiones immodicas nominatus.' *Thracolam* dici hunc Inperatorem volebat vir eruditissimus ob nimium in Thraces et Thraciam studium, ut nomen compositum esset ad formam atque ad imitationem *publicolæ.* Deinde pergit, *Pupillum,* ut editi libri habent, quis Imperatorem dixerit? Lampridium unum in Alex. Sev. c. 15. cujus similiter corrupti sunt libri, ut dudum doctis viris est animadversum, non moror: deinde quis hominem ob profusionem 'pupillum' dixerit? siquidem ex jure Romano constat omnem profundendi occasionem ereptam esse pupillis, non tantum tutoribus datis, sed fide cum ad pecuniam mutuandam, tum etiam ad solvendam negata. *Popillus* vero, ut legendum censeo, a 'popino' est; et ea vox luxurioso recte accommodatur: Horatius quidem contemtissimæ atque extremæ luxuriæ hominem ita appellatum significat Serm. II. 7. 39. 'Imbecillis, iners, si quidvis, adde popino.' Ut autem a 'corona, coronula, corolla,' sic a 'popina, popinula,' quod est in glossis *popilla:* et a 'popino, popinulus, popillus:' ita vir doctissimus. Sed dudum hæc scripseram, cum casu evolvens Lexicon Hosmanni voce 'Trachala' laudari videam Suarezium Episc. Vasion. in Epist. III. de ea voce Romæ edit. qui ex Mss. Sexti Rufi hæc verba protulit: 'L. Cassio quæstore Crassi reliquias colligente Pamphyliam obtinebat; ad bellum Epirotarum missus: ditissimum fortunatissimumque ducem prioribus decem annis invenies, duodecim continuis perditissimum grassatorem, decem novissimis, ob immensa donaria, pupullum ne-

quissimum.' Hæc quisque facile videt neque in Crassum quadrare neque in Cassium, sed loco non suo ibi a glossatore aliquo esse intrusa. Vide Rufi Brev. c. 17. ubi nil variant editi, nec qui ad manus est scriptus cod. *Arntz.*

§ 17 *In Byzantio*] *Ex Byzantio* Guelf. et Leid. 2. corrupte: nisi velis ita supplere, quamvis durius, sepultum esse corpus in urbe ex Byzantio Constantinopoli dicta, id est, quæ ante Byzantium, postea alio nomine fuit insignita. *Arntz.*

§ 19 *Constantinum et*] Auferendi casu Mss. et vulgati aliquot, *ita ad tres redacta dominatio est orbis Romani: Constantino et Constantio ac Constante filiis:* quam recte ipsi viderint. Et mox *Delmatius Trachiam:* ut et Veronensis. *Schottus.* Sextum tamen casum præferunt et scripti nostri et editi, quare ablativus erit, ut dicunt, absolutus; ad tres imperium pervenit, cum tot filii, id est, heredes exsisterent. Justin. II. 3. § 16. 'Uxorum flagitatione revocantur, per legatos denunciantibus:' ibi nonnulla viri litterati et Dukerus ad Florum IV. 12. § 28. 'Defuncto ibi fortissimo juvene, ipsi, quod nunquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit.' Atque post eum Cortius ad Sallust. Jug. c. 68. § 1. Unde quartum casum, nisi ab ingenio, acceperit Schottus, vellem addidisset. Sed talia multa in ejus ed. ubi non allata Mss. auctoritate receptam lectionem mutavit. *Arntz.*

§ 20 *Constantinus junior cuncta trans Alpes*] Natu quidem maximus inter fratres erat hic Constantinus, sed *junior* dicitur respectu parentis, ut ab eo, non a fratribus distingueretur; neque enim hoc opus erat, cum ille inter eos solus Constantinus diceretur. Hinc tollendum vitium ex Beneven. de Ramb. in Vita Constantis: 'Constans et Constantinus filii Constantini occiso fratre eorum Constantino.' Scribe priori loco *Constantius.* Aliud igitur agebat comtissimi ingenii femina, [Vide Not. Delph.] cum auctorem hoc loco turpis mendi reum ageret. De usu vocis 'junior' vide Salmas. et Grut. ad Pollionis Saloninum Gallienum cap. 1. Nil magis frequens in Numismatibus, in quibus obviam FL. CONSTANTINVS. IVN. NOB. CAES. apud Occonem, Patinum, Begerum ceterosque, atque ita in hoc ipso, quem additum videtis, nummo. Meliores Latini dixissent 'Constantinus filius.' *Arntz.*



Annibollianus] Scribitur et *Anibalianus* neutra geminata consonante: habetque A pro I alicubi in secunda syllaba nomen hoc. *Vinet.*

Constans cœperunt] Superest ex Mss. et Veronensi, et illud infra *ductus.* Schott. Rejecimus ex Schotti nostrisque codd. inutilem vocem, quam addiderunt ignorantes librarii, quibus inusitatum erat, ita infinitivum construi intellecto hoc vel tali aliquo verbo finito. Sallust. Jug. cap. 7. § 6. 'Igitur Inperator omnes fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque in dies amplecti.' Dictys Cretensis de Bello Troj. II. 49. 'Quæ ubi accepere, qui in consilio erant, admirari magnificentiam regis, maxime Patroclus.' Quid multa in re notiori? similia videantur apud Perizon. ad Sanctium IV. 5. Freinshem. ad Florum IV. 4. § 2. Vorstium ad Justin. II. 3. § 7.

Cortium ad Sallust. Jug. cap. 98. § 2. et Oudendorp. ad Lucan. VI. 318. Mox *cupidine ductus* cur ediderit Schottus, non video. Ipse enim profitetur esse contra Mss. et Veron. Neque tamen ex vetustis ante eum edd. ullam vidi, ubi hæc vox reperiretur: quapropter et jussu nostrorum codicum ipsius auctoritatem deserui. *Arntz.*

Et Marcellino] Pro tetrasyllabo trisyllabus est 'Marcellus' hic in antiq. lib. *Vinet.* Mox *Marcellus* Leid. 2. sed hic nullam varietatem reperio. *Arntz.*

Ventris secreta] *Solita* melius iidem. Supra 'officia naturalia' vocavit cap. XXI. 6. Mox *fuerint* pro *fierent* editi libri. *Schott.* Scribendum fide Mss. *ad ventris solita dec.* Grut. Et hoc suo testimonio comprobant nostri. *Arntz.*

Habitum venerabilem] Adde Spanhemium ad Juliani Orat. I. p. 185. *Arntz.*

Mursiam] In fine capitis *voluptuarium* exstat in Guelf. et Leid. 1. faventibus priscis edd. sed alterum melius tuentur Borrichius, Dausqnius, Vossius, ceterique cum Salmasio ad Capitolini Verum cap. 2. ut enim a 'voluntas' est 'voluntarius,' sic a 'voluptas' deducitur 'voluptarius:' de historia ipsa confer Spanhem. ad Julian. p. 186. et 203. *Arntz.*

CAP. XLII. § 4 *Pæne nusquam*] Ita Mss. Veronensis *in quo bello, nusquam amplius, Romanæ consumptæ sunt vires totiusque inperii fortuna pessumdata.* Schott. *Nusquam* omnes nostri, pro quo *nunquam* vulgo edebatur, qualem varietatem jam notavimus supra ad Vir. Ill. c. 2. § 13. Plinius Epist. VI. 25. 'Deinde nusquam comparuisse,' quod in *nunquam* corrumpit scriptus cod. Et in sequentibus *fortuna pessumdata* Mss. nisi quod *forma* præferat Leid. 2. *Arntz.*

§ 5 *Ticinum*] Tres editi *Thicanum* et post *pulsi parietis.* Schott. Ortelius videndus Thes. Geogr. in 'Thicanum.' *Arntz.*

§ 6 *Mense inperii quadragesimo secundo*] Mox τὸ *barbaris* omissum in libris typo notatis, ab iis fortasse qui *barbaros* se vocari moleste ferrent. *Schott.* Non recte *barbaris* omisit Aldus et Gryphius, namque ex barbaris parentibus originem traxisse pluribus probavit Spanhemius Orbe Rom. Exerc. II. 20. et ad Julian. Orat. I. p. 219. *Arntz.*

§ 8 *Laqueo fasciæ ad collum posito*] Rectius Mss. *laqueo fascia composito:* quomodo et Veronensis. *Schott.* Sequimur Mss. omnes quibus nihil detrahit Zosimus. *Arntz.*

§ 9 *Annos quatuor*] *Annos tres*, antiq. lib. Scribit in Chronicis Hieronymus, Gallum fuisse creatum Cæsarem, anno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo, et interfectum trecentesimo quinquagesimo nono. *Vinet.* Mss. et Veron. *annos IV.* præferunt, ut edd. fere omnes: quæ lectio præterquam quod Mss. auctoritate nitatur, etiam Amm. Marcellino extremo XIV. probatur. Non me fugit Vinetum lectionem mutasse. *Schott.*

§ 13 *Campis Argentoratensibus apud Gallias*] Eos etiam in Gallia collocat Ausonius Mosella vs. 3. 'Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas.' Quod sint citra Ellum fluvium, ubi terminatur Gallia Sequanica. Marcellinus, 'Argentoratus barbaricis cladibus nota.' *Schott.*

§ 14 *Stabant acervi*] Ex Amm. Marcellino lib. XVI. extremo: 'Ceciderunt,' inquit, 'in hac pugna Romani quidem CCXLIII. rectores vero quatuor: ex Alemannis sex millia corporum sunt inventa in campis constrata, et inæstimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.' *Schott.* Stephanius ad Saxonem Hist. Danica lib. II. pag. 78. et Burmannus ad Val. Flaccum VI. 596. Cicero Orat. in Catil. III. 10. 'Omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit:' et Orat. IV. 6.

'Cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium.' Quod addit fluxisse cruorem 'fluminum modo,' poëtis magis est usitata loquendi ratio, quam majori tumore superat Florus I. 13. ubi incendiorum vestigia Gallici 'sanguinis inundatione' deleta memorat. *Arntz.*

Chonodomarius] *Nodomarius*, Cassiani et Gryphii Lugdunensis typographi exemplaria. *Badomarius* vero *Baldomarus* est in membraneo cod. quatuor tantum syllabis, sed *l* inter *a* et *d* interjecta. Eundem Amm. Marcellinus libro quartodecimo et vicesimo sexto et alibi pentasyllabum facit: sed *Vadomarium* V pro B scribit. *Vinet.* *Nodomarius* nostri quoque Mss. Veronensis et Augustanus cod. Marcellino 'Gundomadus' est lib. XIV. Alter 'Baldomarius' pentasyllabus iisdem libris. Ammiano 'Vadomarius.' Mox *Urguere* scribunt Mss. ut infra cap. 43. Sic dixit Ausonius ad Pontium Paulinum: 'Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit Barcino: me bimaris juga ninguida Pirenæi.' *Schott.* *Nodomarius* priori loco Guelf. et Leid. 2. cum plerisque editis. Alterum regem *Baldomarium* appellat Leid. 1. *Baldomarum* Leid. alter. *Arntz.*

§ 16 *Hic Constantius*] *Hunc* Veron. Mss. *hinc* melius et infra *his*. Male qui hæc a superioribus, ut alias sæpe, titulo quodam diviserunt; cohærent enim cum prioribus. Post *reverti* Veronensis absque *ut*. Schott. Supra *Hinc a milit.* Guelf. hoc loco *hinc Constantinus* Leid. 1. et deinceps *His Constantius* Guelf. et Leid. optimus. *Arntz.*

§ 17 *Apud Mopsocrenem*] Amm. Marcellinus lib. XXI. 'Petiit per vias difficiles Myandam Ciliciæ ultimam hac pertingentibus stationem, sub Tauri montis radicibus positam:' sic enim Rob. Stephani editio: Gryphii vero longe integrior *Mopsuestiam*. Idem imperii vitæque anno quadragesimo et mensibus paucis exstinctum scribit. *Schott.* Adde quoque doctos Commentatores ad eundem Ammianum XIV. 8. et XXI. 15. cum Ortelio in 'Hemopsonestia.' *Arntz.*

§ 18 *Felix bellis civilibus*] Et Spanhemius ad Julian. Orat. I. p. 168. Quod dicit 'mirus artifex' credo hanc formulam corruptam esse apud Ammianum XIV. 5. 'Ut erat in complicandis negotiis artifex dirus:' scribo *mirus*. Arntz.

Multum intemperans] *Temperans* Mss. et Veronensis, et certe confirmatur ea lectio Ammiani historica narratione lib. XXI. Similem locum supra in Augusto emendavi § 21. 'multum abstinens.' *Schott.* Hoc firmant omnes nostri. *Arntz.*

§ 20 *Amantias*] Antiq. lib. *per adamantias*. Vinet. *Adamantias* Mss. et Veronensis codex longe optimus. *Schott.* Vulgo *Amantias*: sed rectius Schotti et Vineti codd. Mss. *Adamantias.* Jac. Durantius Variarum II. 17. mavult *amentias*. Sed *adamantias* retineri posse censeo, sive mulieres eo nomine, sive gemmas amori conciliando efficaces intelligamus, ut 'Gorgonias' pro philtro accepit idem Durantius. *Sylb.* Illud *Gorgonias* insana emendandi prurigine reducere volebat idem Durantius l. l. apud Quinctil. Decl. XV. 7. et exponit per 'potiones amatorias, quibus exhaustis in amicarum conspectu quidam quasi lapidescunt:' argute sane, qui tales nobis ineptias fingunt. Sed si *Amentiæ* (sic enim legit) et *Gorgoniæ* φίλτρα notabunt, quid sibi velint verba 'et alia inportuna ministeria?' Hæc utique indicare videntur *Gorgonias* et *Amantias* homines fuisse, non medicamenta. Quænam autem fuerint, dicere non licet, et Œdipo opus est. Si tamen quis vera hæc esse nomina non credat, posset per *Ademantias* (sic enim volunt quoque nostri codd. excepto Leid. 2.) intelligere ancillas veneficas; *adamantis* enim herba est magica et venefica, de qua Salmasius in Plinianis Exercitationibus p. 768.

Per *Gorgoneas* autem 'sævas,' 'pessimas,' et ad quævis scelera promtas, quomodo hanc vocem exponit Servius ad Virg. Æn. VII. 341. et Barthius ad Statium Theb. II. 277. *Arntz.*

Quarum sæpe] In eandem sententiam Amm. Marcellinus initio l. XIV. cap. 1. de Constantii credo uxore loquens, stimulos admovente: cum virum potius lenitate feminea ad veritatis humanitatisque viam reducere utilia suadendo deberet. *Schott.*

Locupletum quemque] *Unus ex his*, non *ex iis*, omnes scripti, qui cum edd. *locupletium* non *locupletum* expressere: nam utroque modo hic genitivus terminari solet. Apuleius Met. lib. IX. p. 234. 'Liberali legum præsidio de insolentia locupletium consueverint vindicari.' Arnobius Adv. Gent. VII. p. 231. 'Cœnarum ditium et locupletium saginas.' Atque hinc facile fit quod in Veronensi conspicitur *locupletissimum quemque*, quomodo 'quisque' eleganter sæpe secum habet adjectivum superlativi gradus. Cæs. Bell. Civ. I. 39. § 2. 'fortissimus quisque.' Livius XXIII. 18. et XXVIII. 13. 'promtissimus quisque.' XXIV. 1. 'Levissimus quisque.' Plinius Epist. IX. 5. 'Honestissimus quisque.' Mamertinus Paneg. Julian. cap. 25. § 2. 'Cum vilissimus quisque honorum et divitiarum potitus foret, ab his optimus quisque abigebatur procul:' et alii, inter quos Cortius ad Sallust. Catil. c. 8. § 5. Hanc scripturam recipit Gronovius loco laud. quem tamen contra Mss. non sequor. Voces *ad mensam*, quamvis viri magni patrocinio tueantur, admodum tamen mihi suspectæ sunt. An igitur procuratores sola ea bona rapiebant, quæ quis ad mensam seu mensarios habebat, cum de reliquis possessionibus posset esse securus? Præterea in nullo nostrorum codicum comparent, nisi quod corrupte Leid. 2. *ad menses*. Crediderim semidoctum aliquem de grege monachorum, cum meminisset *ponere*, quod verbum sequitur, proprie esse conviviorum, existimasse mentionem mensæ hic desiderari, quam lacunam ipse de suo liberaliter supplevit. Attamen summi Gronovii auctoritas tantum apud me valuit, ut potius uncis includere, quam omnino ejicere sim ausus. Unanimi etiam conspiratione scribitur *quare habes*, pro quo editi *quæ habes*. Propertius Eleg. II. 23. 98. 'Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?' *Arntz.*

Quod laudis esset incuriosus] Non male Mss. Schotti et Veronensis *laudis suæ esset*. Grut. Et sic omnes scripti. *Increpitans* Leid. 1. *Arntz.*

Inprobans et detestans] Longe melius Schotti codd. et impressio Veronensis, *exactiones improbas detestans*: nec enim quævis exactio cives exhaurit, sed nimia, sed 'improba.' *Grut.* Favent omnes Nostri, et *ea crescente* Guelf. et Leid. 1. ut *lien* genere feminino videatur usurpasse. *Arntz.*

Quod eo crescente] Sic fisco ditescente exhauritur respublica. Aliam etiam caussam reperisse videor, quod quemadmodum spleneticis lien seditionem facit in præcordiis, (utar enim Plautinis,) ita et bella civilia seditionesque ex fisci incremento nascuntur. Hinc cinctos lienosos incedere utile esse dixit Aristoteles lib. III. De Partibus Animalium: quod atræ bilis lien, ut hepar sanguinis sic conceptaculum; hic in dextro, ille in sinistro latere. Plautus Casina: 'Perii, cor lienosum opinor habeo, jamdudum salit: De labore pectus tundit.' Et Mercatore: 'Perii, seditionem facit lien, occupat præcordia.' Rursus Curcul. 'Quasi zona liene cinctus ambulo.' Mox, 'Lien necat; renes dolent.' Et, 'Lien dierectus est. PA. ambula, id lieni optimum est.' Laudata igitur non immerito vox Pertinacis Inperatoris: 'Sanctius est,' inquit, 'P. C. inopem remp. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia pervenire.' Plinius Junior in aureo illo Panegyrico de fisco quædam.

Non enim vacat, nec si vacaret, liberet campum illum ingredi. *Schott.*

CAP. XLIII. § 2 *Parthi*] Supra *orbis curatione* omissa voce *Romani:* quomodo frequenter alii, et Petronius c. 119. 'Orbem jam totum Romanus victor habebat.' Prudentius Apotheosi vs. 454. 'Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi:' uti ibi lege, non *urbi*, etiam teste Valesio ad Ammianum XXV. 4. initio. Unde queritur Ovidius sibi 'orbem ultimum' habitari, id est, ultimas terras inperii Romani Tr. El. I. 1. vers. ult. 'Longa via est; propera; nobis habitabitur orbis Ultimus:' ubi minus recte *ultimus* per 'pæne ultimus' exponit Ciofanus. Nec alio sensu Cilices dicuntur 'ultimæ gentes' Ciceroni ad Fam. Ep. XV. 9. et Nepoti Attico cap. 20. § 4. Bentleius ad Horat. Od. I. 35. 29. Manutius ad Ciceron. Epist. I. 9. p. 87. Verum hoc loco ea vox prætereunda non erat, cum 'orbis Romanus' mox 'Persis' opponatur l. 17. ff. de Statu Homin. 'In orbe Romano qui sunt,' &c. centum talia prætereo lubens. *Arntz.*

§ 3 *Conto percutitur*] Priscæ edd. habent *ab uno ex hostibus et quidem surgente;* male, cum respiciatur ad morem plerarumque gentium et præsertim Parthorum, qui equis insidentes et fugam simulantes tela conjiciebant in persequentes hostes. Et hac in re adhibetur vox 'fugere' et 'fuga.' Ovid. Remed. Amoris vs. 155. 'Ecce fugax Parthus, magni nova caussa triumphi, Jam videt in campis Cæsaris arma suis.' Horatius Od. II. 13. 17. 'Miles sagittas et celerem fugam Parthi:' ubi bene multa magnus Bentleius, quæ huc pertinent; is tamen audiendus non est, quod pro *celerem* reponat *reducem*, quasi prius epitheton huic rei minime conveniret. Ovidius Amoris III. 786. 'Ut celer aversis utere Parthus equis.' Sil. Ital. X. 12. 'Quæ redit in pugnas fugientis arundine Parthi:' vide quæ illic Drakenborch. Livius XXV. 48. 'Partim sagittis ex equo utentes, et a quo nihil satis tecti sit, aversos refugiente equo certius figentes.' Nemesianus Cyneg. vs. 74. 'Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras Parthorum.' Adeundi illic interpretes et Berneccerus ad Justin. XLI. 2. § 7. Schol. Lucani I. 230. Stephan. ad Saxonem Hist. Danic. v. 129. Barthius ad Claudian. Cons. Honor. IV. 531. *Arntz.*

§ 4 *Amicorum, &c.*] Mss. *amico ex invidia rei p. discordia.* Veron. apertius, *discrepantibus studiis amico ex invidia reipub. discordiam exercitus periculum pararet.* Editi tres, *ex invidia rei p̄. discordia exercitus periculum pararet.* Factum erat forte ex *rei p.* *Reipubl.* Hinc lectionum varietas, de qua eruditus lector arbitrabitur. *Schottus.* [Vide Lectt. Var.] Apud Ammian. sane lib. XXV. Juliani morientis hæc extrema sunt ad suos verba: 'Super Imperatore creando caute reticeo, ne per imprudentiam dignum prætercam, aut nominatum, quem habilem reor, anteposito forsan alio, in discrimen ultimum trudam: ut alumnus autem Reip. frugi opto bonum post me reperiri rectorem.' Simili etiam sententia orationem suam claudit Tacitus apud Flavium Vopiscum in Vita Aureliani. *Sylb.*

§ 5 *Æquaverat*] Veronensis et Mss. *eo juverat,* ut cum præcedenti cohæreat. Basilienses duo *eo juvaverat* ediderunt. Mox pro *quam validior* scripti libri et Veron. *quo validus*, vulgo omnes *quam validus.* Schott. Forsan melius Mss. et Veronensis ed. *corporis, quo validus quidem, &c.* Grut. Unde Schottus, eumque secuti, acceperint suum *æquaverat* divinare nequeo; ipse primus dedit, professus tamen esse contra Mss. etiam suos; illis addo quibus ipse sum usus. Hos in tanta incertitudine sequor, et *eo* expono per 'ea re,' 'ea scientia.' Simile quid de Antonino Philosopho dixerat alter Victor supra de Cæsar.

cap. 15. § 9. 'Philosophorum obstantium vi circumfunderetur, ne se expeditioni aut pugnæ prius committeret, quam sectarum ardua et occulta explanavisset.' Nec majori auctoritate rejecit vir doctissimus *quam validus,* (quod occuparat omnes antea edd. et Mss.) quasi incognitum esset post comparativum sequi positivum; talia exempla invenies apud J. F. Gronovium ad Livium I. 25. et Cortium ad Sallust. Jug. cap. 16. § 5. *Arntz.*

Sed brevis fuit] Ridicule: hæc enim ad corpus referenda sunt, non ad annos inperii; hinc Julianus 'mediocris staturæ' dicitur Ammiano XXV. 4. ubi Valesius. Ovid. Am. El. II. 4. 35. 'Hæc habilis brevitate sua est, corrumpor utraque: Conveniunt voto longa brevisque meo.' Et Art. III. 263. 'Si brevis es, sedeas, ne stans videare sedere.' Martial. Epigr. II. 77. 'Et puerum Bruti dixeris esse brevem.' *Arntz.*

§ 7. *Cupido laudis immodica*] Sequenti membro Leid. 2. *cultus nimium superstitiosus:* cui scripturæ favet quod de Juliano Ammianus adnotat XXV. 4. 'Præsagiorum sciscitationi nimiæ deditus, ut æquiparare videretur in hac parte principem Hadrianum; superstitiosus magis quam sacrorum legitimus observator.' Sed receptam prætulerim, nam *superstitiosus* satis indicat, peccasse in eo, quod anili et inepto cultu Deos prosequeretur; vox enim illa apud ipsas gentes in vitio ponebatur, inde 'vanam superstitionem' dixit Virgil. Æn. VIII. 187. ubi Servius, 'superstitio est timor superfluus et delirus,' quem confer ad VI. 596. Cicero de Divin. II. 60. 'Superstitio inbecilli animi atque anilis:' et de Natura Deorum II. 28. 'Ita factum est in superstitioso et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis.' *Arntz.*

Cui salus propria] Amm. lib. XIX. 'Nec enim abnuimus salutem legitimi principis propugnatoris bonorum et defensoris, unde salus quæritur aliis consociato studio inveniri debere.' *Schott.*

Tum maxime in bello] Mallem *in bello maxime conservanda est,* absque *tum:* sic enim Veronensis et Mss. Post *abductus sit* August. cod. *Schott. Tum* abest quoque a nostris, qui *in bello maxime* dederunt. *Arntz.*

§ 8 *Ingens globus cœlo labi*] Gryphius *cœlo labente diem.* Cæterum de expeditione in Persas Juliani vide Sex. Rufum extremo Breviario, qui in duobus Mss. antiquissimis 'Festus dictator,' non 'Sextus' appellatur: quod obiter monendum putavi. *Schottus.* Rectius legas *igneus globus,* cum Sylburgio, adstipulante Ammiano. *Gruter.* Melius Leidenses quoque codd. *cœlo labi ante diem,* ex quo deinceps contractis in unum duabus vocibus suam scripturam concinnarunt; quam minime hic necessariam esse adjecta temporis significatione *noctu* sensus declarat. Verbum ipsum 'labi' de talibus meteoris haud infrequens. Livius XLI. 21. 'Faces eadem nocte plures per cœlum lapsæ sunt.' Virgil. Æn. II. 693. 'De cœlo lapsa per umbras Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.' Seneca Phœnis. vs. 530. 'Aut qualis cadit Delapso cœlo stella.' Claudianus Rapt. Proserp. I. 232. 'Præpes sanguineo dilabitur igne cometes Prodigiale rubens.' Frontin. Strateg. I. 12. ex. 6. 'Quum fax de cœlo nocte delapsa.' Capitolinus in Anton. Philos. cap. 13. 'Concionabundus ignem de cœlo lapsurum.' Arnobius adv. Gentes l. VII. p. 227. 'Audire desidero, aut cœlo aliquid lapsum.' Ammianus l. XXV. c. 2. 'Corpora enim qui credit aut cœlo posse labi.' Eginhartus in Vita Caroli cap. 32. 'Vidit repente cœlitus delapsam cum ingenti lumine facem:' ibi inspice Goldastum, qui inter reliqua adfert locum e Sigeberto Gemblacensi de Stephano Papa: 'Apparuit magnum signum in cœlo, globus scilicet igneus a parte austra-

li declinans,' &c. qui locus favet Sylburgio, cujus egregia est conjectura, quam vellem a Mss. juvari. Simpliciter tamen eo sensu hac voce est usus Cicero de Divin. I. 43. 'Cum cœlum discessisse visum est, atque in eo animadversi globi.' Audacius est quod et illic excidisse vocem existimet Davisius, scribendumque *in eo ignei animadversi globi:* quam opinionem nec sibi placere testatus est nuper Wopkens. in Lect. Tull. III. 4. Manilius I. 837. 'Et globus ardentis sequitur sub imagine barbæ.' Vide quæ collegit ad Frontini laudatum locum Keuchenius. *Arntz.*

CAP. XLIV. § 1 *Incola agri Singidonensis*] *Insula* Mss. Pithœi; Danielis vero *in solo agri Sigindonensis,* quomodo fere et Veronensis, qui mox *dicere* legit. *Schott.* *Insula* Guelf. Aldus et Gryphius: *in solo* uterque Lugd. quod sumus secuti. Pro *Jovianus* omnes olim edd. *Jovinianus,* uti et mox. *Arntz.*

CAP. XLV. § 3 *Aggeritur*] Puto legendum *oggeritur,* quod in omnibus Mss. et Veronensi comparet. *Schott.* Mss. et Veron. *oggeritur,* ea scilicet forma qua *obtruditur.* Sylb. *Oggeritur* omnes mei. Plautus Pseud. III. 2. 23. 'Boves qui convivas faciunt, herbasque oggerunt.' Appul. Apologia p. 315. 'Quidquid larvarum oculis tuis oggerat.' et Florid. p. 357. 'Quibus mos est oggerere semet otiosis præsidibus.' *Arntz.*

§ 5 *Quamquam enim*] *Quamquam esset* Veronensis Mss. *hæsit* pro *esset,* in quibus et *τὸ vehemens* desideratur. Mox *infectus vitiis* Pithœi, Cujacii Mss. et Veronensis: non placet, nec illud *cupitor* pro *punitor.* Inde *memoratus sum* scripti libri, vulgatam tamen lectionem ut castiorem præfero. *Schott.* *Quamquam hæsit ad* Leid. 1. *Quamquam esset ad* Leid. alter; et *quamquam enim hæsit ad* Guelf. *Quamquam esset* confirmat Paullus Diaconus, qui hæc et multa iisdem narrat verbis initio libri undecimi. *Vehemens* abest ab utroque Leid. Pro *infestus* omnes mox scripti *infectus,* quæ videtur vera scriptura, quamvis displiceat eruditissimo Schotto. Per voculam enim *tamen* reliquis virtutibus, quas memoraverat, addit, eum infectum fuisse vitiis, et maxime vitio avaritiæ. Quod in eo Inperatore damnat itidem Ammianus XXX. 8. Deinceps si contra unanimem codicum consensum *punitor* retineamus, multum favebit, quod cap. 2. § 24. supra dixerat: 'Cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, more hominum, qui in ulciscendis vitiis quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt.' Sed non reperio apud alios, eum in avaros pœnam aliquam statuisse, (quis enim principum hoc unquam cogitavit?) sed quidem, ut eorum possessiones ad se traheret, insidias struxisse potentioribus; testatur id Ammianus eo, quem dixi, loco: ideoque *cupitor* expressi, ut magis auctor respiciat ad sensum, quam ad verba præcedentia, et *pecuniæ* vel tale quid intelligatur; vel, si ita velis et hoc placet magis, ipsa vox *vitii,* quæ proxime erat repetenda. *Arntz.*

§ 6 *Genera vetustissimorum meminisse*] Lego *pingere venustissime, meminisse,* ex Veronensi et Mss. Floriacensis tamen *vetustissime.* Editi libri *genera vetustissimorum meminisse* excuderunt, forte quod arma sequerentur, quæ, ut conjicio, ad gentilitia insignia homines curiosi (qui nihil præter fumosas imagines alienasque virtutes admirantur) retulerunt, ut in genealogiis recensendis excelluisse Valentinianum dicat, sed nihil agunt. Cæterum de Adriani artibus supra c. 14. unde sententiam de hoc loco meam confirmari posse video. *Schott.* Schottus ex Mss. et Veron. mavult *pingere venustissime, meminisse.* Sed cum ex veteribus libris quidam *vetustissime* habeant, sic etiam legere possumus: *Pingere, vetustissimorum meminisse.* Sylburg. Lectionem Schotti compro-

bant omnes codd. et confirmatur ex iis quæ cap. 14. dicta sunt, et Amm. Marcellino XXX. 9. 'Scribens decore venusteque pingens et fingens, et novorum inventor armorum.' Altera scriptura satis est inepta, nec melius a quibusdam exponitur. *Arntz.*

Nova arma meditari] Sed Hadrianus rei militaris fuit peritissimus, multaque nova instituit, ut norunt doctiores cum Salmasio ad Spartiani Hadrianum cap. 10. et Stewechio ad Vegetium de Re Mil. lib. I. cap. 8. *Arntz.*

Fingere terra] *Cera* Mss. *terra* vulgati. *Schottus.* Legendum cum Mss. *cera.* Gruter. *Cera* plerique Mss. id quod secutus est Paullus Diaconus, qui totidem verbis 'fingere cera seu limo simulacra:' et ita debere legi satis adparet ex addita voce *limo*, ne auctor bis idem dicat. Virgil. Ecl. VIII. 80. 'Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit.' Servius ibi: 'Fecerat illa duas imagines, alteram ex limo, alteram ex cera.' Ovid. Epist. Heroid. VI. 91. 'Devovet absentes simulacraque cerea figit.' Justin. XXXVI. 4. § 4. 'Ab hoc studio ærariæ artis fabricæ se tradidit, cerisque fingendis.' Munckerus ad Hyginum Fab. CIV. et Heinsius ad Ovid. Epist. Heroidum XIII. 152. Juvenalis Sat. VIII. vs. 19. 'Tota licet veteres exornent undique ceræ Atria; nobilitas sola est atque unica virtus.' Imagines namque familiarum cereæ erant, de quibus Cortius ad Sallust. Jug. cap. 4. *Arntzenius.*

Sermonibus] *Sermone* singulari numero iidem scripti. *Schott.* Ita nostri et Paullus Diaconus. Ammianus XXX. 9. de hoc Inperatore: 'Memoria sermoneque incitato quidem, sed raro.' *Arntz.*

Si ei infidis hominibus] *Fœdis hominibus quis sese* Mss. et Veronensis. Antiquitus excusi, *Atque ut breviter concludam, semper criminibus, queis sese:* corrupte. Quidam libri *Si infidis careret.* Schott. Præstat Mss. librorum lectio, *si ei fœdis hominibus, queis se, &c.* Grut. Non hic necessarium est epitheton, quod *infidis* opponatur; nam tum aliud requireretur merito, quod τῷ *prudentissimis* esset contrarium: melius est recipere cum omnibus Mss. tale adjectivum, quod ad utrumque referri potest. *Arntz.*

Firmus] *Firmius* Leid. 1. corrupte. *Arntz.*

§ 8 *Apud Bergentionem*] *Bregitionem* habent alia exemplaria, ut et Ammianus libro tricesimo. Hieronymus et Orosius 'Brigitionem' appellant. *Vinet.*

Inpetu sanguinis] Mox *sensus integer* Leid. alter, quomodo Horatius, 'Integer vitæ, scelerisque purus.' Ovidius Met. IX. 440. 'Qui, dum fuit integer ævi, Terruerat magnas, ipso quoque nomine, gentes.' Et multa talia apud poëtas. *Arntz.*

Saturitate] *Securitate* Mss. uterque et Veronensis cod. non probo. *Schottus.* Neque ego, licet velint Mss. Mox iidem et edd. *detulere* non *retulere*, pro 'narravere.' Virgilius, 'Detulit armari classem cursusque parari.' Ea frequenter confunduntur. Vide ad Val. Maximum I. 1. de relig. observ. exem. 3. sed ibi omnino *delata* retinendum; non enim augures habebant potestatem 'referendi' ad senatum, sed quidem 'deferendi,' ut notum est. *Arntz.*

Equitio] *Æquitio et Merobaudo e propinquo creatur Imperator* Floriacensis et Cujacii Mss. Vide quæ notavi cap. 36. *Schott.* Eam præpositionem præcedens littera deleverat, quam e Mss. reducimus. Alii non *quadriennem*, sed *quinquennem* faciunt, qua de re Vales. ad Ammian. XXX. 10. et Spanhem. de Usu Num. diss. XII. p. 381. *Arntz.*

Cap. XLVI. § 1 *Annos tredecim*] *Decem* dumtaxat vulgati omnes: et mox *mutare judicia, verus, in amicos fidus.* Infra quoque *Procopius tyrannus cadens exstinguitur.* Veronen-

sis vero amplius, *periculo cujusquam insuetus. Sane valde timidus.* Schott.

§ 2 *Concrematus est*] Cum optimis Mss. edidi *in casa deportatur vilissima;* non *in casam d. vilissimam*, ut vulgo edd. Sic 'deducere in Ida monte' dixit Hyginus Fab. XCII. ubi multa Munckerus: confer quæ supra cap. 33. diximus. *Arntz.*

CAP. XLVII. § 2 *Apud Argentarium*] *Argentariam* prima declinatione legimus in antiq. lib. et apud Paullum monachum, et Amm. Marcellinum libro tricesimo primo. *Vinet.* Hic fem. gen. libri veteres, qui et *Trachiam* scribunt, partim *Traciam* et *Gothos Hunosque* non geminatis consonantibus. Opidum forte illud quod hodieque nomen retinet in agro Lemovicum, *Argenton.* 'Argenteum' amnem Galliæ Narbonensis fluvium celebrat Plinius et M. Tullius Epist. lib. X. *Schottus.* Mss. *Argentariam* fæmin. fine: itidemque Amm. Marcell. Cassiodorus, Hieron. P. Diacon. *Sylb. Argentariam* recte quoque nostri. Lectu digniora sunt, quæ de situ hujus urbis attulit Valesius ad Ammian. XXXI. 10. et post eum Cellarius Geogr. Ant. II. 3. p. 182. 'Argentariam oppidum Galliarum' vocat Orosius VII. 33. Ceterum non multo deterius post legeretur *millia uno bello.* Uno enim prælio id factum fuisse constat. 'Bellum' pro 'prælio' dici exemplis confirmavimus ad Vir. Ill. c. 53. Porro *millia* desideratur in omnibus meis scriptis, quod fortasse ex compendio numeri millenarii, qui per *m* exprimitur, originem traxit. Cum enim scripserat auctor *Alamannorum m bello exstinxit*, stupidus deinde librarius ignorans quid sibi littera *m* vellet, ex eo *in* fecit, qui error facilis et obvius, ut patet ex his quæ notamus ad Vir. Ill. c. 66. § 2. Scio Diaconum eodem modo scribere c. 30. 'Millia Alamannorum in prælio interfecta.' Sed potuit et ille in corruptum codicem incidere. *Arntz.*

§ 3 *Taifalis*] Quid. cod. *Thaiphalis*, at non item Suidas, apud quem prima tenui legitur Ταΐφαλοι. *Sylb. Taifalisque* seu *Taiphalisque* omnes manu exarati, quorum jam sub Trajano meminit Eutropius VIII. 2. Conjunctivam particulam adjecimus ex scriptis et edd. sup. c. 15. § 3. 'Regibus nationibusque et populis.' c. 42. § 6. 'Vulnere naribusque et ore cruorem effundens.' § 18. 'A cibo vinoque et somno multum temperans.' Multa supra ad c. 8. § 4. *Degenti* uterque Leid. *Arntz.*

Hunnis] *Unis* Leid. 2. *Hunis* Leid. prior. Nec honorificentius his populis testimonium exhibet Claudianus in Rufin. II. 270. 'Qui nos aut turpibus Hunnis Aut inpacatis famulos præstabit Alanis.' Seneca Thyest. vs. 629. 'An feris Ister fugam Præbens Alanis.' Nonnulla huc pertinentia Freherus ad Ausonium Mosella vs. 9. et Barthius ad Claudian. in Ruf. I. 321. *Arntz.*

§ 4 *Controversias rhetorum*] *Controversa rhetorum* Veronensis, Cujacii Ms. et Pithœi: cujus etiam opera Quinctiliani Declamationes seu Controversiæ propediem in integrum restitutæ, Deo favente, apparebunt, una cum Salviano Massiliensi episcopo altera parte ampliore: sic enim hortante me vir humanissimus juxta ac doctissimus facturum recepit. Quam etiam spem nobis fecit Puteanus fore, ut cum Mss. plurimis comparatos Panegyricos brevi in vulgus exire patiatur. Nam quæ Senecæ nomine circumferuntur Controversiæ seu Declamationes, ut germanæ Senecæ Neroniani sint vereor; patris potius illius esse credo: hoc volui nescius ne esses. *Schott.*

Ferire perite sibi destinata] *Perite sibi:* locum hunc, ut opinio mea fert, glossema hoc fœdavit; in insulam igitur deportetur. Afuit certe a Veronensi, nedum a Mss. omnibus. *Schott.* Recte damnavit vir laudatissimus glossema, quod repudiant omnes

quos vidi, et Paullus Diaconus, sed in eo peccat Guelf. quod *distinata* scribat contra vim vocis. Curtius VII. 5. § 41. 'Namque adeo certo ictu destinata feriebat.' Eumenius Paneg. Constant. c. 8. § 1. 'Non enim ulla Persarum Cydonumve tela tam certis jactibus destinata fixerunt.' Dict. Cretensis Bell. Troj. III. 1. 'Sagittarum dominus et destinata feriendi arte mirabilis.' Eodem lib. c. 18. 'Ulyxes cum Merione destinatum confixere:' ubi male eruditissima illius scriptoris interpres destinatum reposuit, cum utique 'locum' subintelligendum foret. Livius XXI. 54. 'Omnes copias ad destinatum jam ante consilio, avidus certaminis eduxit:' hæret ibi vir magnus, et *locum* interponunt scripti, quæ vox si a codd. abesset, non magnopere desiderarem. Vegetius de Re Mil. III. 2. 'Cœpto itinere ad destinata perveniunt.' lib. eod. cap. 6. fin. 'Impedito itinere circumveniatur exercitus, priusquam ad destinata perveniat.' Symmachus Epist. II. 67. 'Facili itinere ad destinata pervenimus.' Epist. III. 62. et Epist. IX. 73. De illa vocis 'destinare' significatione agit Barthius ad Statium Theb. VIII. 438. et Savaro ad Sidon. Epist. I. 2. *Arntz.*

§ 5 *Reipublicæ gerendæ*] Nihilo pejus Mss. *reipublicæ regendæ*. Gruterus. Priori membro nil variant Mss. et Paullus Diaconus: sed pro *gerendæ*, *regendæ* Guelf. et totam vocem ignorat Leid. 2. Scilicet insolentius librario videbatur loquendi genus 'gerere remp.' ideoque illud in notiorem multo phrasin mutavit, quo tamen auxilio potuissemus facile carere. Spartianus in Ælio Vero c. 3. 'Eum, quem non multum ad remp. gerendam probaret, ob hoc tantum adoptasse.' Lampridius in Alex. Severo cap. 46. 'Eos esse promovendos, qui per se remp. gerere possent.' Justinus XIX. 2. § 3. 'Per hos res Carthaginiensium ea tempestate gerebantur.' Hunc locum eodem modo emendare conatur Schefferus, cujus tamen emendationes in eo scriptore non semper eadem facilitate procedunt. Pomponius l. 2. § 2. de Orig. J. 'Senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat:' ubi etiam *regere* voluerat Muretus, sed priorem lectionem merito defendit Cujacius ad illam legem, et elegantiarum peritissimus vindex Bynkershoekius Præterm. de O. J. p. 33. Quoties has voces corruperit indocta natio, non opus est docere. Inspice tamen Brouckhusium ad Tibull. El. III. 3. vs. 22. Davis. ad Cæsar. V. 17. § 2. Cortium ad Sallust. Jug. c. 58. § 4. et Oudendorp. ad Lucan. IV. 662. *Neglegeret* exprimit deinde Guelf. et sequenti capite *intellegimus* (non *intellegamus*, ut scribit Schottus) idem cod. cum Leid. 1. Vetustæ edd. *intelligimus.* Illa scriptura exstat in ipsis ff. Florentinis, tum apud alios, ut Vegetium de Re Milit. I. 3. 'Umbræ neglegens,' uti edidit Scriverius: Scribon. Largum comp. 103. 'Unusquisque intellegit:' et comp. 122. 'Ut intellegant.' Vide Dausq. Orthogr. part. II. p. 167. et 209. Cortium ad Sall. Catil. c. 10. § 4. Jug. c. 30. § 22. *Arntz.*

§ 6 *Capitur*] Concinnior erit membrorum similitudo, si legamus *caperetur*. Sylb. Sed Mss. *capi*, quod placet præ editis, qui omnes *capitur*. Per conjunctionem diversos modos conjungi certum est, et vide Perizon. ad Sanctium I. 18. § 1. Quomodo in scripto cod. reperi apud Senecam Phœn. vs. 291. 'Tu impii belli minas Averte vivus, tuque vecordes potes Inhibere juvenes.' *Caperetur* tamen legit Paullus Diaconus, sed ille solet talia mutare, quæ sibi duriora videbantur. *Arntz.*

Eodem habitu] Habitus cultusque insolentia atque immodestia semper odiosa; odiosa et Cæcinæ apud Corn. Tacitum Histor. Augustæ lib II.

'Ornatum,' inquit, 'ipsius municipia et coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo braccas, tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.' De Maximo autem vide Sidonium Apollinarem lib. II. epist. tertiadecima. *Schott.* Valde vero sibi eos demeretur Princeps, quorum utitur vestitu; ut pluribus ostendimus ad Taciti illa Annal. I. 41. 'Militari vocabulo Caligulam appellabant; quia plerumque ad concilianda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur;' ut et ad illa ejusdem Annal. II. 59. de Germanico: 'Multaque in vulgus grata usurpavit; sine milite incedere, pedibus intectis, et pari cum Græcis amictu.' *Grut.*

Qui vixit annos triginta octo] *Annos viginti novem* liber calamo scriptus. Sed hi numeri sunt utrique falsi, si sua tempora satis noverunt Hieronymus et Prosper, qui Gratianum esse natum anno Christi trecentesimo sexagesimo tertio, et occisum anno Christi trecentesimo octogesimo septimo, scripserunt. Sic enim non plus viginti quatuor annos vixerit Gratianus. *Vinet.*

CAP. XLVIII. § 1 *Annis viginti septem*] Scribendum *decem* pro *viginti*, quomodo habet Cassiani nostri cod. Vide Prosperi, et Orosii, et Cassiodori rationes. *Vinet.* Rursum numeri variant: factum id propter notarum compendia. Vulgati omnes, quos vidi, demto Veronensi *XXVII.* Infra pro Δ *Græcis* iidem *a Græcis;* moxque *cognitione principii:* neutrum placet. *Schott.*

§ 3 *De hoc etiam*] Amm. Marcellinus libro vicesimo nono. *Vinet.*

§ 4 *Præsumeret*] Amplius Mss. *Deberi præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia persolverat.* Eleganter vero probum illud Veronense exemplar; quo solo fere scipione vulgatam editionem prope collapsam stabilire atque constituere me potuisse, ut reliqua defecissent subsidia librorum, confidebam: sic igitur præfert, *Cum sibi imperium deberi præsumeret, scelus cœptæ cupiditatis persolverat.* Infra quoque *appetitus* pro *petitus* venuste pro sollicitatus. *Schott.* *Deberi* interponunt nostri et Paullus Diaconus; in reliquis nihil mutant, nisi quod *persolverat* Guelf. *Arntz.*

§ 6 *Maximum*] Videtur Noster adversari reliquis historicis, qui intra Aquileiæ muros, non apud eam urbem, Maximum interfectum esse tradidere: adde Sulp. Severum in Vita Martini c. 20. et qui Inperatori hanc victoriam gratulatur, Pacatum cap. 37. ubi in fine scribo, *Gratulantes annis senes, pueros tibi longam senectutem voventes,* non *servitutem,* quod commaculat edd. confer sequentia. Sed hoc loco dissensum tolles, si *apud Aquileiam* exponas 'Apuleiæ,' quomodo præpositio ista urbium vel regionum nominibus addi consuevit, ut denotet, non *ad* sed *in* aliquo loco factum, uti jam antea monuimus præcedenti capite 40. § 8. Ausonius Paneg. cap. 13. 'Municipalem scholam apud Visintionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed vilitate consenuit.' Sulp. Severus Hist. I. 5. § 2. 'Inde apud Carras una cum patre diversatus est:' II. 17. § 2. 'Apud Babyloniam defunctus est.' c. 31. § 6. 'Apud Hierosolymam episcopus fuit:' quibus omnibus locis videndus Vorstius, Junius ad Tertull. de Spectac. c. 3. et Heumann. ad Eutrop. V. 6. Sed quod ibi existimet vir doctus ita quoque locutum esse Ciceronem ad Fam. Epist. XVI. 3. credo eum falli; nam ibi 'apud Alyziam' est, quod superiori epistola dixerat 'ad Alyziam,' non in ipsa urbe Alyzia; neque enim sic loquuntur castiores Latini. *Arntz.*

§ 8 *Quantum scripta veterum et picturæ docent*] Quæ picta, et quæ scripta exstabant ab veteribus de Trajano, et non de Theodosio. Scripta namque antiquorum hominum et picturas non adduceret de Theodosio, qui Theodosium coævus vidisset, ejusque mores perspexisset. Nisi

forte hæc postrema de Theodosio (quæ iisdem verbis in eo leguntur, quod Eutropii breviario subjecit Paullus Diaconus) ad Victoris historiam ab iis esse adjecta velis, quibus veterum scripta contaminare nulla fuit religio. *Vinet.*

s, absque eo] Paullus Diaconus addit *simile: es simile, absque eo,* in quibusdam exemplaribus. *Vinet.* Ceterum hanc descriptionem confer cum illa Plinii Paneg. c. IV. unde nonnulla ad illustrationem peti possunt. *Arntz.*

§ 9 *Communis*] Barthius Advers. XVIII. 7. per 'popularem' exponit. Est is, qui se super inferiores non superbe extollit, sed erga minores benignus est et facilis. Cicero de Senect. cap. 17. 'Ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum fuisse,' ut recte eum locum constituit Grævius. Adde de Amicit. c. 18. Schott. supra ad Epit. c. 18. § 5. Eleganter mox loquitur Noster *erudita mirari,* cum *mirari* sæpe sit aliquam rem ita probare, ut eam imitari et consequi cupiamus; 'optima enim' (utor verbis Servii ad Virgil. Æn. VIII. 517.) 'ingenia necesse est, ut ea, quæ mirantur, imitentur.' Hoc de Inperatore suo prædicat infra § 11. Ovid. Epist. Her. II. vs. 77. 'Quod solum excusat, solum miraris in illo; Heredem patriæ, perfide, fraudis agis.' Et sic libenter vellem secutus scripti cod. fidem apud Martial. reponere Epigr. I. 40. 'Si quis erit recti custos, mirator honesti, Et nihil arcano qui roget ore Deos.' Corruperunt elegantiam poëtæ, quicunque librarii *imitator* reposuerunt, quod tamen novum non esse crimen docuerunt Ovidio restituendo Heinsius et Burmannus ad loc. laud. et ad Virgilii locum Jesuita doctissimus La Cerda. Ovid. Epist. Her. v. 81. 'Non ego miror opes, nec me tua regia tangit.' Cicero de Officiis II. 20. 'Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum.' Just. XI. 10. § 1. Hoc modo Græci suum θαυμάζειν adhibent, ut Arrianus Exp. Alex. lib. IV. p. 164. edit. Gron. Θαυμάζοντα δὲ ἤδη τὰ Περσῶν καὶ Μήδων, quod verti potuisset cum Curtio VI. 6. § 2. 'Persicæ regiæ, par Deorum potentiæ, fastigium æmulabatur.' Suidas in Θαυμασταὶ, Casaubonus ad Theophrasti Charact. c. 5. p. 46. et Cuperus Observ. II. 1. *Arntz.*

Erga se] Mss. et Veronensis auctiores *erga se vel patrem aspero casu.* Rursum *vinolentiam scilicet, et cupidinem triumphandi.* Schott. Non improbanda quorundam impressorum librorum scriptura, *erga se velut patrem.* Sylb. Bene Mss. *erga se vel patrem aspero, &c.* Inde Stephani ed. *erga se velut patrem,* minus recte; quamvis eam non improbandam censeat Sylburgius. *Grut.*

§ 10 *Vinolentiam*] 'Usum Trajanus post secundam mensam potandi usque ad quinque pocula instituerat: eum Alexander Severus inter amicos militares reservavit.' Ælius Lampridius, et supra § XIII. n. 4. de triumphandi cupiditate quædam etiam ad Augustum Octavium. *Schottus.* Post *detestatus* voculam *est,* quam Schottus jam uncis incluserat, non agnoscunt Mss. optimæ fidei: et pro *invenerit* non bene Leid. 2. *imminuerit.* Arntz.

Psaltriasque] Savaro ad Sidonium Epist. I. 2. p. 20. *Arntz.*

Tanquam sororum] Tres editi *reorum.* Hujusmodi autem nuptiæ Claudii Inperatoris cum Agrippina: supra c. IV. § 10. vide Tacitum extremo quarto annali. Tulit et Cocceius Nerva, 'ne fratris filiam uxorem ducere liceret.' Xiphilinus e Dione. *Schott.* Mss. et quædam edd. *si nimium perfectos* more Græco, qui ἄγαν et λίαν sæpe usurpant pro ἄκρως, *summe.* Sylb. *Nimium* Aldus, Gryphius, Guelf. et Leid.

1. quod amplector. Si enim *nimium* addatur nomini, hæc duo conjuncta superlativum gradum exprimunt. Propertius El. II. 23. 99. 'O nimium nostro felicem tempore Romam.' Spartianus Hadriano c. 21. 'A militibus propter curam exercitus nimiam multum adamatus est.' Claudianus Cons. Olyb. et Prob. vs. 30. 'Aut nimias laudes ignoret Olybri.' in Rufin. I. 166. 'Nimiumque elatus avaro Pascitur intuitu.' Eutropius X. 16. 'Nimius religionis Christianæ insectator:' qui locus sic vel sine emendatione exponi potest. Symmachus Epist. V. 74. 'Esse in illis scientiam juris idoneam nimis.' Dict. Cretensis III. 13. 'Quarum Diomedea nimium juveni et omni affectu dilecta fuerat.' Rittershusius ad Gunth. Ligur. de Gest. Fred. Barb. II. 104. 'Urbs opulenta nimis.' Et Columbus ad Lactantium Mort. Persec. c. 26. *Arntz.*

§ 11 *Ad cognoscenda*] Favet Guelf. et Leid. 1. cum vetustis edd. Ex iisdem Mss. mox dedimus *libertatique*. Arntz.

§ 13 *Severa præcepta*] Melius Cujacii Mss. *severe præcepta*. Schott. *Severe* Leid. 1. *Arntz.*

§ 14 *A naturæ munere*] *A natura* Mss. et Veronensis, ex quibus τὸ *didicerat* superare didici: furcis igitur ejiciatur. Mihi sane hic dignus vindice nodus videtur, qui manum ad finem properanti injicit; et cujus solius caussa non male in castiganda hac Epitoma tempus posuisse, nec operam in edendo lusisse videar. Conjecturam proponam, post eam argumentis, qua potero, confirmabo. Floriacensis cod. *quod Augustus a philosophiæ doctore* . . . Hinc forte spatium vacuum relictum ab hæsitante librario, quem in vacua mitteret (obliteratis vel vetustate, perfidia, errore, vel dubitationis caussa nominibus, ut supra in Augusto de Ovidii scriptis cap. 1. § 24. admonui) *Athenodorum* ne an *Livium*: Græcum illum; hunc Romanum. Nam Augustana ed. Andreæ Cratandri et Sebastiani Gryphii aliter paullo hæc notant: *Unde modica dilatione emolliebatur. Aliquando severa præcepta habuit de Livio, vel quod Augustus a philosophiæ doctore didicerat: qui cum, &c.* Quæ lectio non frustra est in tribus editis. Sed qui Patavinus Livius Theodosii æqualis? Non magis quam Livius Andronicus poëta: nam ille Tiberii principatu obiit. Eusebius Chronicis. Transposita igitur verba aliquando sic collocare tentabam: *severa præcepta habuit, ut de Livio Augustus philosophiæ doctore: qui cum.* Sed magis est ut absque ulla transpositione intelligamus de T. Livii philosophicis scriptis præcepta hausisse Theodosium. Philosophica enim Livium præter historica in literas misisse, posterisque tradidisse, Seneca philosophus et ipse docet, Epist. c. et cum M. Tullii et Asinii Pollionis philosophicis committit; adeoque Fabiani Papirii anteponit. Locum quia corruptus est, ut legendum censeo, apponam: 'Scripsit,' inquit, 'et Dialogos, quos non magis philosophiæ annumerare possis quam historiæ: et ex professo philosophiam continentes libros.' Nam quomodo doctissimus Pincianus tentat, coactior lectio, nec a Mss. est. Sed autem vellit historiæ veritas, jubetque meminisse ab Athenodoro Stoico consilium hoc datum Augusto, auctoribus Plutarcho, Suida, Juliano, Zosimo, Glyca, Manasse, cæteris; quos exscribere longum esset ei qui terram videns vela contrahit. Contentus igitur qui in manibus est paucorum, Julianum inperatorem de Inperatoribus loquentem ἐν τῷ περὶ Καισάρων λόγῳ citasse. Heic enim ita inducitur Augustus: Παρέσχον ἐμαυτὸν τῇ φιλοσοφίᾳ χειροήθη, ὥστε καὶ τῆς Ἀθηνοδώρου παῤῥησίας ἠνεσχόμην οὐκ ἀγα-

νικτῶν, ἀλλ' εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτῇ καὶ τὸν ἄνδρα καθάπερ παιδαγωγὸν ἢ πατέρα μᾶλλον αἰδούμενος· ἄρειον δὲ φίλον καὶ συμβιωτὴν ἐπιγράφομαι. Plutarchus certe in vita Poplicolæ, Athenodori quædam advocat, Octaviæ Cæsaris sorori inscripta. Tranquillus etiam literis Augusti Athenodorum Claudio Tiberio appositum docet, quicum quotidie versaretur, usuque sapientior efficeretur. Claudio cap. 4. Idem tamen cap. 41. Livium quoque familiarem fuisse, adeoque scribendæ historiæ auctorem Claudio exstitisse. Quid si igitur loco *didicerat*, quod in Mss. afuisse jam diximus, vel *Livio*, vel *Athenodoro* (uterque enim Augusto juxta familiaris) scriptum fuerit? Sed hæc conjectura tantum nostra, non *τεκμήριον*. Vulgatam igitur lectionem Frobenii et Vineti retinere placet, quasi philosophi nomen auctoris memoriam fugerit; dum veritas Democriti puteo mersa in apricum proferatur, Temporis enim filia est. *Schott.* Mss. et Veron. *a natura:* a quibus etiam sequenti versu abest inclusum *didicerat.* In quibusdam edd. legitur hic locus: *Unde modica dilatione emolliebatur. Aliquando severa præcepta habuit de Livio, vel quod Augustus, a philosophiæ doctore didicerat.* In qua lectione Gifanio *παρεμβεβλημένα* videntur ista, *aliquando severa præcepta.* Sylb. Vox *didicerat* delenda, suadentibus libris calamo exaratis, in quibus non visitur: iidem quoque habent *a natura* tantum. *Grut.* Nescio quas in loco apertissimo turbas excitent viri docti, simplicissima est lectio Mss. quæ tentari non debebat conjecturis minus necessariis; sensus est, tantum Theodosium naturæ beneficio profecisse, quantum Augustus litterarum disciplina. Hæc ita opponuntur apud Ciceronem pro Archia c. 7. 'Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse et sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. Etiam illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.' Horatius Epist. I. 18. vs. 100. 'Virtutem doctrina paret, naturane donet.' Cicero iterum Oratione pro Mur. c. 30. 'Fatebor me quoque in adolescentia, diffisum ingenio meo, quæsisse adjumenta doctrinæ.' Quod rationem loquendi spectat, non multum abit Ovidius ex Pont. Epist. IV. 5. 31. 'Vivit adhuc, vitamque tibi debere fatetur, Quam prius a miti Cæsare munus habet.' Si quis tamen *naturæ munere* voluerit, non magnopere pugnabo. *Arntz.*

§ 15 *Monuit, ut*] Abest et a nostris: et uncis incluserat Schottus. *Arntz.*

§ 16 *Raræ*] *Claræ* vulg. et mox *grave pondus.* Rursum *benigni principes,* quod mirum quantum placet. Iidem *sollicitus attendere,* Cujacii et Pithœi liber *sollicititius* scriptum habent. *Schott.*

§ 17 *Benigni principum*] Horatius Od. II. 18. 9. 'At fides et ingeni Benigna vena est.' Phædrus Fab. I. 23. 'Namque ista subita me jubet benignitas Vigilare:' ubi Burmannus, &c. Nec caussa est, cur *principes* ex edd. præferat vir doctus, cum ita legatur contra omnes Mss. et non male Leid. 2. *principium.* Nomen enim hoc utroque modo genitivum pluralem terminat. Cicero pro Ligario cap. 6. 'Partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principium dignitas erat pæne par:' ita in scripto cod. inveni, et numerus orationis exigit. Quinctil. Decl. XI. 2. 'Habet hoc mali principium innocentia:' sic quidem Ms. quod contuli, cum nonnullis, quæ laudat Burmannus. Adde Duker. ad Florum II. 5. fine et III. 21. § 13. cum Cortio ad Sall. Jug. c.

74. In præcedenti vero idem cod. Lugd. male *e suis restituere*, quasi non eleganter Latini dicerent 'de suo,' 'de meo,' et sim. Livius IV. 59. 'Quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.' XXXIV. 4. 'Quæ de suo poterit, parabit.' Suetonius Cæsare c. 19. 'Nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret.' Terentius Adelph. I. 2. 37. 'Olet unguenta de meo.' Justin. XXXVI. 3. fin. 'Facile tum Romanis de alieno largientibus.' Plinius Paneg. c. 43. 'Quotusquisque Principum ne id quidem in patrimoniis nostris suum duxit, quod esset de suo?' Phædrus Fab. IV. 19. fin. 'Libitina ne quid de tuo faciat lucrum:' ubi nonnulla Schefferus. Quibus exemplis quis moveri posset, ut et hic *de* non *e* scribi oportere contenderet. Sed nihil necesse puto. *Arntz.*

Studio dignitatibus] Malo, quod est in Mss. Veron. et Aug. *studia dignitatibus:* in quibus libris τὸ *pro* afuit. Iidem libri veteres *illecebram* vel *inlecebram* scribunt, et edd. *ambulat: magnis.* Post rursum *ad vescendi continentiam.* Pro *utrique* Ms. cum Veron. *utrisque filiis.* Schott. Attamen a Mss. non est recedendum sine summa necessitate; *pro* tamen omnes habent codd. *Illecebram* numero singulari Guelf. quod et in vet. cod. se reperisse testatur Vinetus, nec apud alios est novum. Cicer. de Leg. I. 11. 'Quæ est illecebra turpitudinis.' Plaut. Men. II. 3. 4. 'Munditia illecebra animo est amantum.' Symmachus Epist. I. 47. 'Soli aut cœli illecebram dixit.' Postea *utrisque filiis* omnes manu exarati et Paullus Diaconus. *Arntz.*

Sermone cum gravitate jucundo] Sic Corn. Nepos in eleganti illa T. Attici vita: 'Comitas,' inquit, 'ejus non sine severitate erat; neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu utrum eum amici magis vererentur, an amarent.' Plura exempla ad eum locum attulimus in Fragmentis Nepotianis: quare hic inculcare putidum esset. Supersedendum igitur. *Schott.*

§ 19 *Excessit*] Annum a Christo nato trecentesimum nonagesimum septimum fuisse putat Prosper, at annum ab urbe Roma condita millesimum centesimum quadragesimum septimum Haloander, quo tempore *excessit* Theodosius Augustus. *Vinet.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.

ELENCHUS ALPHABETICUS

NONNULLORUM SCRIPTURÆ COMPENDIORUM

QUÆ IN VV. LL. ET NOTT. VAR. OCCURRUNT.

Agripp.	Agrippinense exemplum, cujus variantes notat Schott. in Virr. Illust. et in Epit.
August.	Augustanus, vetus codex in Epitome tantum citatus.
B. aut Boend.	Codex membranaceus, pars olim bibliothecæ Boendermakerianæ.
Cassian.	Cassiani vetus codex a Vineto citatus in Epitome.
Colon.	Coloniense exemplum.
Floriac.	Floriacensis codex, qui est Petri Danielis.
F. aut Fran.	Codex membranaceus, in academiæ Franequeranæ bibliotheca ab Arntzenio inventus.
G. aut Gramm.	Codex manu scriptus, quem academiæ Hauniensis lumen, Joannes Grammius, ad Arntzenium misit.
Guelf.	Excerpta ex Manuscripto Gudiano, qui nunc Guelferbyti servatur; ab Arntzenio in Epitome notata.
Guelf. 1. 2.	Codices Guelferbytani a Grunero in Epitome notati.
H. aut Haun.	Codex e bibliotheca academiæ Hauniensis Danorum.
Leid. 1. 2.	Manuscripti Leidensis bibliothecæ.
Lugd. 1. 2.	Codices bibliothecæ Lugduno-Batavæ, in Epitome tantum relati.
Mediol.	Mediolanensis codex.
Pall. 1. 2.	Codices Palatini, a Grutero et a Sylburgio citati.
Parisin.	Parisinus codex, a Schotto constanter citatus.
Pithœi.	Mss. Franc. Pithœi et Petri Pithœi.
Pulmanni.	Theodori Pulmanni exemplum.
Vascosan.	Codex Vascosanus.

NOTITIA LITERARIA

DE

SEXTO AURELIO VICTORE.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,
A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, T. III. LIB. III. CAP. 9.

Aurelii Victoris Ætas.

SEXTUS AURELIUS VICTOR, Afer vulgo creditus, certe multus in Africæ laudibus, quam vocat 'decus terrarum.' Sub Constantio et Juliano floruit, qui eum rure ortum tenuique familia, sed ingenii ad scriptorum laudem commendatissimum, apud Sirmium cognitum et ad se venire jussum, Pannoniæ[a] Secundæ Consularem præfecit et honoravit ænea statua, virum sobrietatis gratia æmulandum, multo post Urbi præfectum. 'Indubie is est Victor hic,' inquit Frid. Lindenbrogius, 'cujus extat Historia Vitarum Augg. quique tenui atque indocto patre rure ortus, propter egregias virtutes ad amplissimos honores promotus fuit; quos ex veteri hac inscriptione agnoscere licet, quam ipse beneficiorum memor Imp. Theodosio curaverat poni :—IERVM. PRINCIPVM. CLEMENTIAM . . . NCTITVDINEM. MVNIFICENTIAM. SVPERGRESSO D. N. FL. THEODOSIO. SEX. AVR. VICTOR. V. C. VRBI. PRÆF. IVDEX. SACRARVM. COGNITIONVM. D. N. M. Q. E.'

Liber de Origine Gentis Romanæ.

Ad eum vulgo refertur libellus de Origine Gentis Romanæ, 'a Jano et Saturno conditoribus per succedentes sibimet reges usque

[a] Vide Ammianum Marcellinum xxi. 10.

ad consulatum decimum Constantii, digestus ex auctoribus Verrio Flacco Antiate (ut quidem ipse Verrius maluit dicere, quam Antia), tum ex Annalibus Pontificum; dein Cneo Egnatio Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Cæsare, Tuberone, atque ex omni prisca historia; proinde ut quisque neotericorum asseveravit, h. e. Livius et Victor Afer.' Prodiit primum per A. Schottum Antverp. 1579. 8. unde Victor Schotti solet dici. Post editus est annexus Tomo I. operum Dionysii Halicarnassei apud Wechel. 1586. f. et separatim Lipsiæ 1591. f. et cum A. Schotti notis ac Jo. Metelli ad Pighium Epistola, præmissus libro de Viris Illustribus et Cornelio Nepoti Variorum notis illustrato, Francof. 1609. fol. Præterea adjunctus commentariis Onufrii Panvinii de Rep. Romana 1588. 8. et inter Antiquæ Historiæ Auctores junctim editos a Dionysio Gothofredo Lugd. 1591. 12. Quanquam autem Vossius pag. 169. de Hist. Latinis, ex hoc ipso titulo (a recentiore haud dubie manu, non ab auctore adjecto) colligit, libellum illum collectum fuisse ab aliquo qui fuerit post Aurelium Victorem; facile tamen intelligitur, si hoc argumentum valeat, idem dicendum de libro, quo Viri Illustres Urbis Romæ, et quo Cæsares descripti sunt: utrumque enim horum simul titulus ille tangit, cum a Jano et Saturno conditoribus per succedentes sibimet reges historia Romana deducenda promittitur ad consulatum decimum Constantii. Nam libellus ipse de Origine Gentis Romanæ in historia conditæ urbis Romæ desinit. Itaque ego quidem titulo tantum tribuere nolim, ut propterea negandum putem, libellum ipsum scriptum esse a Victore. Auctor vero, quisquis est, c. 1. ait, se etiam librum de Origine Patavina composuisse. Sed is non extat. Exinde Asconium Pedianum auctorem suspicati sunt Ausonius Popma,[b] ut supra est in Asconio dictum, et Jo. Metellus, usi etiam hoc argumento, quod de Livio loquens c. ult. 'nostræ,' inquit, 'memoriæ Historia Liviana:' et cap. 7. 'quam opinionem sequi metuit noster Maro:' de quo vid. Arntzenii præf. ad Victoris libros, qui et ipse e diversitate orationis

[b] Popma ad Sallustii Catilin. pag. 306. libellum de Origine Gentis Romanæ allegans, 'eum auctorem,' inquit, 'esse Q. Asconium Pedianum adducor ut existimem, primum quia de Virgilio et Livio ut æqualibus et familiaribus suis loquitur, quod ipsum et facit Pedianus in commentariis ad Orationes Ciceronis: deinde dicit, se fecisse librum inscriptum de Origine Patavina. At Pedianus fuit Patavinus, ut ex Eusebii Chronico constat; postremo stylus, optimus auctorum index, commentatori magis quam historico convenit, nec a Pediani stylo abhorret.'

aliisque colligi posse putat, diversum hujus libelli auctorem esse ab eo, qui de Cæsaribus scripsit, quod et Barthio videbatur ad Statium Theb. XII. 664. qui grammatici potius quam historici opus putabat. Ceterum ea quidem levia sunt, quæ huic sententiæ opponit Burch. Gothelf. Struvius in diss. de Origine Romana et de ea scriptoribus, quæ inserta est T. III. Obs. Hallens. p. 93.

De Viris Illustribus et De Cæsaribus libellus, ab Andrea Schotto primum editus.

Minus hodie ambigi solet, Aurelium Victorem verum auctorem esse libri de Viris Illustribus Urbis Romæ; quorum primus est Proca,[c] rex Albanorum, ultimus Q. Pompeius. Hic libellus sæpius prodiit sub nomine Cornelii Nepotis, Suetonii Tranquilli, vel Plinii Secundi junioris, ut notatum est, cum de horum scriptis dicebamus. Prima editio videtur ea quæ cum Plinii Epp. in Germania s. l. et a. prodiit, repetita illa Neapoli 1476. Media inter has est Florent. 1474. 8. ap. Jac. de Ripoli. His proximæ videntur esse, quæ Mediolani sub Æmilii Probi et Plinii nomine s. l. et a. 4. prodiere (apud Saxium pag. DCXIII.) per Casp. Lampugnanum, Petrum Melleum, et Petrum Cornerum. Sub Plinii porro nomine editum habemus Argentinæ correctum opera Henr. Monoceri a. 1505. et editum per Jac. Gottesheim, qui in præf. dicit, se ante aliquot annos enarrationes quasdam in hunc libellum excudisse. In nostri exempli titulo scripsit antiqua manus, 'opus Corn. Nepotis, judicio magistri Her. Barbari.' Sub Suetonii nomine prodiit Lips. 1507. 4. cum Machanei notis. Hujus Machanei s. Maccanei Commentarii in hunc libellum prodiere Taurini s. a. in 4. per Mag. Franc. de Silva. Vid. Saxium in Hist. Liter. Typograph. Mediol. p. CCCXXXV. ubi de Maccaneo ipso videndum. Post Argent. 1517. 4. cum iisdem notis. Tum eum Duaci 1582. edidit Andr. Schottus: et cum ejus et Machanei scholiis post prodiit Francof. 1609. f. præmissus Cornelio Nepoti. Ab aliquibus Tacitum[d] proditum esse auctorem refert Gyraldus dialogismo 26.

[c] Georgius Cassander in sua editione, quam Plinii nomine inscripsit, tres addidit, qui ante Procam fuere; Evandrum, Latinum, et Ascanium: alios item novem in extremo libri, qui Pompeii ætate floruerunt.

[d] Fatendum est, auctorem multa illius fideliter repetere. Passim etiam a Spartiano, qua res, qua verba, mutuari, notatum a Casaubono est ad Spartiani Hadrianum cap. 1.

Fuit etiam, qui Asconio Pediano ascriberet, Joannes Metellus in literis ad Steph. Pighium. Sed Andreas Schottus et cl. Hankius lib. I. de Rom. Rerum Scriptoribus p. 151. seq. eum Sexto Aurelio Victori vindicant auctoritate veteris codicis, in quo libellus iste dicitur pars prior 'historiæ abbreviatæ Victoris,' ita ut altera pars sit liber de Cæsaribus. Sed unius istius codicis auctoritas profecto rem non conficit, nec ipse titulus ille satis evidens est: unde post Barthium, de auctore Victore dubitat Arntzenius, sane non sine idonea causa.

Liber de Cæsaribus ab Imp. Augusto usque ad Constantium Constantini M. filium, cujus editionem primam debemus eidem Andreæ Schotto, Antv. 1579. 8. unde et ipse Victor Schotti dici solet, ut a seq. distinguatur. Hunc Victoris libellum mitti sibi petit S. Hieronymus Epist. XXI. ad Paulum Concordiensem 'propter notitiam persecutorum,' ut videtur Theodorico Ruinarto præf. ad Acta Martyrum p. VIII. Sed vid. Intt. ad h. l. De illo varia virorum doctorum judicia vid. si placet in Thomæ Crenii parte XVIII. Animadvv. Philologico-Historicarum.

Alter De Cæsaribus liber.

Extat præterea alius liber, qui inscribitur, 'De Vita et Moribus Imperatorum Romanorum Epitomæ, ex libris Sexti Aurelii Victoris, a Cæsare Augusto usque ad excessum Theodosii Imp.' Sed hic juniorem auctorem habet et diversum a superioris libri de Cæsaribus, quem Schottus edidit, auctore, a quo interdum dissentit. Profecto, cum in omnibus Mss. Excerpta dicantur e Victore vel Victorino, hi non possunt esse ejus libelli auctores. Sub Victoris nomine memoratur a Paulo Diacono de Gestis Langobard. II. 18. etsi in quibusdam edd. nomen Victorini legitur. Vossius autem p. 221. de Hist. Lat. eum esse suspicatur, qui in vetere Inscriptione apud Gruterum, Theodosii Aug. temporibus præfectus urbi et judex sacrarum cognitionum dicitur. Fuit et Aurelius Victor cognomento Primus, utroque, cujus jam meminimus, antiquior, cujus verba laudat Julius Capitolinus in Opilio Macrino.

Marianus Victorinus ad Epist. XXI. S. Hieronymi scripsit, in Bibl. Vaticana extare Ms. 'Aurelii Victoris Historiam Persecutionum Ecclesiæ usque ad Domitianum.' Sed ejus fidem merito

in dubium vocat eruditissimus Baluzius in calce notarum ad Lactantium de Mortibus Persecutorum T. II. Misc. p. 462. Neque ex Hieronymo colligas, hujusmodi opus unquam scriptum fuisse ab Aurelio Victore, cujus historiam sibi mitti petit Hieronymus 'propter notitiam persecutorum,' i. e. Cæsarum: ita enim legitur ille locus in antiquissimis codd. non *persecutionum*. Porro minime Christianus fuit Aurelius iste Victor.

RECENSUS EDITIONUM
SEXTI AURELII VICTORIS,
AUCTIOR FABRICIANO,
ET IN IV. ÆTATES DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1789.]

ÆTAS I.

S. Aur. Victoris libellus de Viris Illustribus, prima ætate vel Plinio juniori vel Suetonio vel Cornelio Nepoti ascriptus, hisque auctoribus fere conjunctus est, si primam exceperis 1471. cum Rufo editam. Sed ab Andrea demum Schotto restitutus Victori 1577. In illum primus commentarius Dominici Maccanei prodiit Taurini sub finem sæc. xv. repetitus Lips. 1507. et Argentor. 1513. et 1517. ac dein alter Phil. Poncherii Paris. 1545. Victoris liber de Cæsaribus hac ætate lucem nondum vidit, quippe a Schotto primum editus a. 1579. Sed quæ ex illo et aliunde excerpta habentur, s. de Vita et Moribus Impp. Epitomæ a Cæs. Augusto ad Theodosium usque, ac juniorem auctorem habent, Argentorati an. 1505. primam videre lucem, et ab J. B. Egnatio in Hist. Rom. Scriptt. Aldinis 1516. et 1521. recognita, et in Frobeniana Scriptt. Hist. Rom. 1532. emendatiora, ab Elia Vineto 1564. curatius recensita.

s. a. 4. Sextus Aurelius Victor de Viris Illustribus, et Sextus Ruffus. In fine Rufi: 'Sexti Ruffi: Viri consularis Valentiniano Augusto de historia: Ro: libellus finit: Sixtus Ruesinger.'—Editio omissa Maittario. Circa annum 1471. Neapoli impressam dicit Hambergerus l. l. pag. 771.

1474 Florentiæ, 8. Sexti Aur. Victoris (sub nomine Plinii Secundi) Liber Illustrium Virorum. Florent. ap. S. Jacobum de Ripoli an. 1474. Extat in Bibl. Francofurtani Capituli S. Bartholomæi, teste illustri Phil. Wilh. Gercken in Itinerum suorum vol. iv. et ult. Wormatiæ 1788. edito, p. 188. n. 13.

1476 Neapoli, fol. Sext. Aur. Victor de Viris Illustribus, cum Plinii Epistolis. In fine, 'Neapoli, millesimo quadringentesimo

septuagesimo sexto, mense Julii. Impressit Matthias Moravus vir singulari ingenio et arte. Recognovit Junianus Majus Parthenopæus rhetor publicus summa cura summaque diligentia.' Cf. Maittarii Ann. Typogr. T. I. p. 361.

s. a. et l. editio Plinii in Germania facta habet etiam Victoris libellum de Viris Illustribus, teste cl. Ernestio in Bibl. Fabricianæ auctioris T. III. p. 126. Vide Recensum nostrum edd. Panegyricorum Veterum, p. 2480.

1501 Venetiis, 4. (Sext. Aur. Victoris) Liber de Viris Illustribus, cum Plinii Epp. Vide Recensum nostrum edd. Panegyricorum Veterum p. 2481.

1505 Argentinæ, 4. C. Plinii junioris (Sext. Aur. Victoris) liber Illustrium Virorum a condita Urbe. Argentinæ, in offic. Henr. Quentel.—Editor est Jac. Gottesheim, qui in præf. dicit, se ante aliquot annos enarrationes quasdam in hunc libellum excudisse.

— Argentorati, 8. Sext. Aur. Victoris Epitome sive de Vita et Moribus Imperatorum Rom. Excerpta a Cæsare Augusto usque ad Theodosium Imp. Argentor. ap. Matth. Schurer.

1506 Argentorati, 4. Sext. Aur. Victor de Viris Illustr. cum Justino et Floro.

1507 Lipsiæ, 4. C. Suetonii Tranquilli (Sext. Aur. Victoris) Liber de Viris Illustribus Urbis Romæ, cum notis Machanei.—Hujus Machanei s. Maccanei Commentarii in hunc libellum prodierant Taurini s. a. in 4. per Mag. Franc. de Silva. Vid. Saxium in Hist. Liter. Typograph. Mediol. pag. CCCXXV. ubi de Maccaneo ipso videndum.

1508 Venetiis, 8. Idem libellus, cum Plinii Epp. Vide Recensum nostrum edd. Panegg. Vett. p. 2483.

1510 Argentinæ. Suetonii Tranquilli Illustres Viri: quos qui Cornelio Nepoti vendicant maxime falli, Alexander Minutianus præceptor luce clarius probavit. Ad Lectorem:

Mascula quid virtus animoso pectore possit,
Parvulus hic codex Lector amice docet.
Insignes titulis monstrat is: quos Romula tellus
Esse viros peperit: posteritasque colit.

In fine operis addita hæc sunt:

Romanas acies regumque illustria facta
Si cupis hoc sumas fac breve lector opus.

Quod breve sit quamvis: ingentia pondera rerum
Continet et veterum fortia facta virum.

Julianus Bescus studioso Juveni S.

Qui cupis acta virum clarorum noscere paucis:
Jam præcio parvo fac opus istud emas.
Maximus ingenio Macanæus hunc explicat: At nunc
Limam impræssori me tribuente legas.

Sequitur epistola 'Jo. To. Sertorii Cremonensis ad Generosum Michaëlem Pall. Apostolicum Prothonotarium Mecænatem suum:' et post hanc ista: 'Impressum Argentine per Johannem Knoblauch Anno domini M. D. X. die sequente Vitalis martyris.'—Hac ed. usus est Jo. Frid. Grunerus, editor ed. 1757. Præter Victoris textum continet etiam Dom. Machanei Scholia.

1513 Argentorati, 8. Suetonii Tranquilli Liber Illustrium Virorum.—Inferius, post brevem allocutionem ad lectorem, carmen sequitur: 'Romanas acies,' &c. quod ad an. 1510. laudavimus. Hæc etiam ed. continet Machanei Scholia. In fine, post epistolam Sertorii, de qua supra, hæc ascripta sunt: 'Argentorati. Ex ædibus Matthiæ Schurerii, mense Octobri. Anno M. D. XIII. Regnante Imperatore Maximiliano P. F. Aug.'—Contulit et hanc Grunerus.

1516 Venetiis, Aldina I. Egnatii, 8. Sext. Aur. Victoris a D. Cæsare Aug. usque ad Theodosium excerpta. Eutropii de Gestis Rom. libri X. Paulli Diaconi libri VIII. ad Eutropii Historiam additi. Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. Una cum Suetonio. Vid. Recensum nostrum edd. Suetonii pag. 1794.

1517 Argentorati, 4. Sext. Aur. Victor de Viris Illustribus, cum notis Maccanei. Repetitio ed. 1507.

1517 et 1519 Florentiæ, 8. ex offic. Juntina repetita est Aldina I. Prior tomus habet cum Suetonio Victorem et Eutropium; certe posterior tomus complectitur VI. Scriptt. Hist. Aug. cum Dione.

1518 Basileæ, fol. Ex recognitione Des. Erasmi Roterodami C. Suetonius Tranquillus, Dio Cassius Nicæus, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, V. C. Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus Syracusius. Quibus adjuncti sunt Sext. Aurelius Victor, Eutropius, Paulus Diaconus, Ammianus Marcellinus, Pomponius Lætus, Ro. Jo. Bapt. Egnatius Venetus.—In fine legitur, 'Basileæ apud Joannem Frobe-

nium, mense Junio MDXVIII.' Dedicatio et præfatio Erasmi scripta est Antverpiæ Nonis Juniis 1517. in qua ait, se in his auctoribus permulta correxisse et restituisse. Viderat autem nonnisi primum collectionis Aldinæ volumen; quod testantur hæc illius verba: 'Cum hanc editionem jam adornassem, commodum allatus est Suetonius, Aldinis typis excusus, sed emendatus opera Baptistæ Egnatii, viri cumprimis tum integri, tum eruditi. Atque utinam, ut Suetonium, Aurelium Victorem, et Eutropium dedit, ita et Ælium Spartianum, ceterosque huic adjunctos nobis dedisset, in quibus nos permulta restituimus.' Sed hac præfatione jam scripta et expressa typis, accepit Frobenius Codicem Ms. e monasterio Morbacensi, et ed. Aldinæ alterum volumen, quod habet Scriptores Historiæ Augustæ Minores. Itaque iis usi sunt ad reliqua castiganda: in iis, quæ jam expressa erant typis, satis habuere lectiones varias utriusque libri excerpere, et in capite operis addere.

— Aldina, 8. Plinii Epp. et Paneg. habet etiam libellum de Viris Illustribus.

1521 Venetiis, Aldina II. Egnatii, 8. De Vita et Moribus Imperatorum excerpta ex Sexto Aurelio: item Eutropii c. n. Des. Erasmi, et Paulli Diaconi de Gestis Romanorum libri XVII. Cum Suetonio. Havercampus contulit.

1524 Venetiis, 8. eadem repetita, teste Fabricio.

1527 Coloniæ, fol. Sext. Aur. Victor, Eutropius, et Sext. Rufus, inter Scriptt. H. A. curatos ab Erasmo an. 1518.

1529 Parisiis, 8. ap. Colinæum repetita est Aldina an. 1516.

— ibid. 8. Plinii (Sext. Aur. Victoris) de Viris Illustribus, cum Plinii Epp. et Paneg. it. Suetonio et Jul. Obsequente. Apud Rob. Stephanum.

1530 Parisiis, 8. Sext. Aur. Victor de Vitis Cæsarum a D. Augusto ad Theodosium usque. Cum Justino. Paris. ap. Sim. Colinæum.

— Basileæ, 8. ap. Cratandrum. Idem libellus.

1531 Parisiis, 8. ap. Sim. Colinæum Aldina 1516. repetita. Ibidem Paulli Diaconi Libri VIII. de Gestis Rom. ad Eutropium additi.

1533 Basileæ, fol. Omnia quam antehac emendatiora: Annotationes Des. Erasmi et Egnatii cognitu dignæ. C. Suetonius Tranquillus, Dion Cassius, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Fla-

vius Vopiscus, Herodianus Politiano interp. Sex. Aurelius Victor, Pomponius Lætus, Jo. Baptista Egnatius, Ammianus Marcellinus quatuor libris auctus. Cum Indicibus copiosis. Basileæ in officina Frobeniana, anno MDXXXIII. Repetita, quantum ad scriptores nostros, ex ed. 1518. Ejus exemplum est penes nos.

— Parisiis, 8. C. Plinius (Sext. Aur. Victor) de Viris Illustr. Suetonius de Grammat. et Rhetor. Julius Obsequens de Prodigiis. Apud Rob. Stephanum.

1536 ibid. 8. Iidem libelli repetiti apud Rob. Stephanum.

1537 Parisiis, 8. C. Plinii Sec. (Sext. Aur. Victoris) de Viris Illustribus liber. Suetonii Tranquilli de Claris Grammaticis et Rhetoribus liber. Julii Obsequentis Prodigiorum liber imperfectus. Paris. ex offic. Rob. Stephani.

1539 ibid. 8. C. Plinii (Sext. Aur. Victoris) de Viris Illustr. cum Sueton. de Grammat. et Rhetor. et Jul. Obseq. apud Rob. Stephanum.

1541 Parisiis, 8. C. Plinii (Sext. Aur. Victoris) de Viris Illustr. cum Sueton. de Grammatic. et Rhetor. et Jul. Obseq. apud Rob. Stephanum.

1542 Lugduni, 8. Sext. Aur. Victor de Vitis Cæsarum, apud Gryphium.

— Basileæ, 8. Sext. Aur. Victor de Viris Illustribus, &c. apud Cratandrum. Vid. Recensum nostrum edd. Panegyricorum Veterum, p. 2488.

1543 Parisiis, 8. Sext. Aur. Victor de Vita et Moribus Cæsarum.

1544 Parisiis, 8. ap. Rob. Stephanum. Trebellius Pollio; Flavius Vopiscus, cum Egnatii annotationibus; Sext. Aur. Victor; Pomponii Læti Compendium Historiæ Romanæ; Egnatius de Principibus Romanorum.—His separato volumine eodem anno accessit Ammianus Marcellinus.

— ibid. 8. C. Plinii (Sext. Aur. Victoris) de Viris Illustr. cum Sueton. de Gramm. et Rhetor. et Jul. Obseq. apud Rob. Stephanum.

1545 Parisiis, 4. Sext. Aur. Victoris de Viris Illustribus liber, Philippi Præpositi Poncherii commentariis illustratus. Paris. ap. Jo. Lud. Tiletanum.—Repetita 1550. Vid. Hamberger l. l. T. II. pag. 817.

— ibid. 8. Idem libellus apud Rob. Stephanum.

1546 Basileæ, fol. Sext. Aur. Victor de Vita et Moribus Cæsarum. Inter Hist. Aug. Scriptt. ex recognitione J. B. Egnatii et Erasmi apud Frobenium.

ÆTAS II.

Usque ad 1579. procedit.—S. Aur. Victori nihil singulare hac ætate contigit, quam quod sub ejus finem libellum de Viris Illustribus, cum adhuc vel Plinii jun. vel Nepotis, vel Suetonii nomine ad eorum scripta accesserit, tandem an. 1577. jure postliminii reddiderit Victori Andr. Schottus, veterum librorum fide rationumque momentis subnixus. Fortuna major ab eodem Schotto biennio post arrisura erat Victori; unde novæ ætatis princeps foret Schottus.

1550 Parisiis, 4. Sext. Aur. Victor de Viris Illustribus. Vid. ad an. 1545.

1551 Lugduni, 12. Sext. Aur. Victor de Vita et Moribus Cæsarum. Inter Hist. Aug. Scriptt. post Suetonium c. n. Jo. Bapt. Egnatii, ap. Seb. Gryphium.

1562 Lugduni, 8. Sext. Aur. Victoris Epitome de Vita et Moribus Impp. Rom. ad calcem Justini. Apud hæred. Seb. Gryphii.

1563 Basileæ, fol. Sext. Aur. Victor de Viris Illustr. cum Lycosthenis commentariis.

1564 Pictavii, 4. Sext. Aur. Victor de Vita et Moribus Impp. Rom. &c. ex Eliæ Vineti recensione et cum ejus notis.

1568 Pseudo-Messala Corvinus, Sext. Aur. Victor, Sext. Rufus, et Eutropius, inter Historiæ Rom. Scriptores ab Henr. Stephano editos.

1569 Basil. 8. Eutropii, Flori, Victoris, Eusebii, Rufini, Orosii, Jornandis, et al. Historiæ Miscellaneæ a Paullo Aquileiensi collectæ, postea a Landulpho auctæ et productæ ad A. C. 806. Lib. XXIV. Acc. Anastasii Historia Ecclesiastica et Nicephori Chronologia.

1573 Lugduni, 12. Sext. Aur. Victor, ad calcem Justini. Apud Gryph.

1576 Coloniæ, 8. Eutropius, cum Victoris Epitome, apud hæredes Arnold. Birckmanni.—Memoratur Jo. Fr. Grunero in præf. ed. Victoris 1757.

1577 Duaci, 4. Sext. Aur. Victoris de Viris Ill. urbis Romæ liber, falso hactenus Corn. Nepoti, vel C. Plinio Cæcilio inscriptus: nunc recens ex vett. et Mss. Codicum comparatione factus auctior et emendatior ab Andr. Schotto Antverpiano. Ejusdem notæ, quibus partim emendationum ratio explicatur, partim obscura et antiquitates illustrantur: ut vice commentarii esse possint. Duaci, ap. Jo. Bogardum.—Vid. Hamberger. l. l. T. II. pag. 817.

ÆTAS III. SCHOTTIANA an. 1579—1678.

1579 Antverpiæ, 8. Sext. Aur. Victoris Historiæ Romanæ Breviarium a Jano et Saturno usque ad consulatum x. Constantii Aug. et Juliani Cæs. III. nunquam antea editum; de Viris Illustribus; de Cæsaribus; de Vita et Moribus Imperatorum Epitome, cum castigationibus Eliæ Vineti. Ex bibliotheca Andr. Schotti, cujus etiam notæ adjectæ sunt. Antv. ex off. Plantiniana.

Hinc nova ætas S. A. Victori illuxit a Schotto ejus reduce, qui primus illius Breviarium Hist. Rom. s. de Origine Gentis Romanæ et librum de Cæsaribus ex bibliotheca sua protulit, iisque librum de Viris Illustr. a se Victori antea vindicatum, et illum de Vita et Moribus Impp. Rom. a juniore quodam auctore ex Victore excerptum, ita ut ab eo passim dissentiret, a Vineto castigatum conjunxit in unum volumen. Priores bini libri adeo dicuntur Victor Schotti, ut ab hisce posterioribus prius editis distingueretur. Repetita hæc editio Plantiniana est 1582. inde translata in Sylburgianam collectionem, de qua vide an. 1588. Secuti sunt Dionys. Gothofredus in Hist. Antiqua Basil. 1590. et Argentor. 1604. Franc. Raphelengius in Hist. Aug. Scriptt. min. 1607. ipse Schottus inter Opera Corn. Nepotis 1609. Janus Gruterus in Hist. Aug. Scriptt. min. 1611. quos recensuit Mss. Pal. usus et in capita divisit, Genevenses in Corp. Hist. Lat. ter, 1609. 1623. et 1653. Amsterodamenses in Hist. Rom. Epitome 1615. 1625. et 1647. Elzevirii in Republ. Rom. 1629. Boxhornius in Scriptt. Hist. Aug. Min. 1632. Nic. Blancardus in Hist. Rom. Epitome 1649. Tanaq. Faber in Eutropio et Victore cum brevibus notis 1667. Agmen claudit S. Aur. Victor cum notis. varr. et iconibus Lugd. Bat. 1671.

1582 Antverp. 8. S. Aur. Victor repetitus ex ed. Schotti 1579.

— Duaci. Sext. Aur. Victor de Viris Ill. &c. repetitus ex ed. 1577.

1586 (Paris.) Wechel. fol. S. A. Victor de Origine Gentis Rom. annexus est T. I. Operum Dion. Halicarnassei.

1588 Parisiis, 8. Sext. Rufus et incerto nomine (Sext. Aur. Victor) de Origine Gentis Romanæ, in Onuphrii Panvinii Reipublicæ Rom. Commentariis.

— Francofurti, fol. Messala Corvinus, Sext. Aur. Victor, Sext. Rufus, et Eutropius, ex ed. Vineti collata cum illa Schonhovii inter Sylburgii Scriptores Historiæ Rom. Latinos Minores T. I. Conf. an. 1590.

1590 Basileæ, 12. Messala Corvinus, Sext. Rufus, Eutropius, Sext. Aur. Victor, in Dionys. Gothofredi Antiquæ Historiæ ex XXVII. auctoribus contextæ libris IV. 2 voll.

1591 Lugduni, 12. Eadem collectio D. Gothofredi.

— Bardi Pomer. (S. Aur. Victor) de Viris Illustribus cum Æmylii Probi vit. exc. Impp. ex ed. Nath. Chytræi.

— Lipsiæ, fol. S. Aur. Victor de Orig. Gentis Rom.

1592 Lugduni, 8. Historia Augusta prodiit, minores complectens, inter quos S. Aur. Victor, ap. Franc. le Preux, vel Jac. Stœr.

1596 (Heidelbergæ) apud Hier. Commelinum, 32. S. Aur. Victor. (quo anno etiam Velleius per eundem editus est.)

1604 Argentorati, 8. Messala Corvinus, Sext. Rufus, Eutropius, S. Aur. Victor in Dion. Gothofredi antiqua historia ex ed. 1590. recusa.

1605 Colon. 8. Plinii Sec. (rectius S. Aur. Victoris) de Viris Illustribus liber.

1607 (Lugd. Bat.) ex offic. Raphelengii. Junctim cum Floro, Aurelius Victor, Festi Rufi Breviarium, Messala Corvinus, Cassiodorus, et Eutropius.

1609 Francofurti, fol. Sext. Aur. Victor de Origine Gentis Rom. et de Viris Illustribus, inter Opera Cornelii Nepotis explicata studio Andr. Schotti. Francof. apud Cl. Marnium et hæred. Jo. Aubrii.

— Aurel. Allobr. (Genev.) fol. in Scriptorum Hist. Rom. Lat. Veteris vol. I. extant post Livium Pseudo-Messala Corvinus de Progenie Aug.—S. Aur. Victor de Rom. Gentis Origine, de Viris Illustr. de Impp. et de Cæsaribus, Sexti Rufi s. Festi Breviarium,

Eutropii lib. x. cum viii. libris additt. Paulli Diac. &c. apud Petrum de la Roviere.

1611 Hanoviæ, fol. Messala Corvinus, Sext. Aur. Victor, Paullus Diaconus, Sext. Rufus, inter Hist. Aug. Scriptores Latinos Minores a Jano Grutero editos.

1615 Amstelod. vel Lugd. Bat. 16. S. Aur. Victor, Rufus Festus, Messala Corvinus, Eutropius in Rom. Hist. Epitome.

1623 Genevæ, fol. Messala, Victor, Rufus, et Eutropius, in recusis Scriptt. Hist. Rom. Latinis. Apud viduam Petri de la Roviere.

1625 Amsterodami, 24. Sext. Aur. Victor, Sext. Rufus Festus, Messala Corvinus, Eutropius, (ex rec. Vineti) cum Floro, Velleio . . . Paullo Diac. Cassiodoro, Jornande, et Exuperantio, in Hist. Rom. Epitome. Amsterod. ap. Guiliel. Janss. Cæsium.

1629 Lugduni Batav. 12. Elzevir. Respublica Romana post Velleium et Florum habet Aurelium Victorem, Eutropium, Cassiodorum &c. cura Petri Scriverii.

1630 Amstelod. 12. Iidem cum Scriptt. ceteris minoribus.

1632 Lugd. Bat. 12. ex offic. Jo. Mairii. 5 voll. Historiæ Augustæ Scriptores Latini minores, ex recensione M. Zuerii Boxhornii. In fine additas habet inscriptiones, quæ Imperatorum, quorum vitæ hic describuntur, mentionem faciunt, illustriores, necnon Boxhornii in ipsos illos scriptores animadversiones. Editor haud semel dissentit cum Salmasio ; nec ita Salmasius præceperat omnia, ut haud inveniret Boxhornius, in quo ipsius diligentia laudabiliter posset versari. Reperiuntur vero in hac collectione: C. Jul. Florus, P. Velleius Paterculus, Sex. Aur. Victor, Sex. Rufus Festus, Messala Corvinus, Eutropius, Cassiodorus, C. Suetonius, Ælius Spartianus cum sociis, et Ammianus Marcellinus.

1647 Amsterod. 12. S. Aur. Victor, Festus, Mess. Corvinus, Eutropius, cum Floro, Velleio, in Hist. Rom. Epitome apud Janssonium.

1649 Lugduni Bat. 12. Iidem in Hist. Rom. Epitome e Museo Nic. Blancardi. ap. Adr. Wyngaerden.

1653 Genevæ, fol. Pseudo-Messala Corv. S. Aur. Victor, Sextus Rufus s. Festus, Eutropius cum aliis in vol. i. Corp. Hist. Rom. ex ed. 1609. et 1623. repetiti ap. Sam. Chouet.

1667 Salmurii, 8. Eutropius et Aur. Victor, cum brevibus notulis Tan. Fabri.

1670 Lugduni Bat. 8. S. Aur. Victoris Historiæ Rom. Breviarium, cum notis varr. apud Gæsbeeckios.

1671 Lugduni Bat. 8. Sext. Aur. Victor cum iconibus in æs incisis et notis variorum, Dominici Machanei, Andr. Schotti, El. Vineti, Jani Gruteri, &c.

ÆTAS IV. ANNÆ FABRI-PITISCIANA 1681—1696—1729. inde ARNTZENIO-GRUTERIANA.

Schotti Victorem notis varr. 1681. a Tanaq. Fabro filiaque Anna illustratum, æque ut libros de Viris Illustribus, de Vita et Moribus Imperatorum Sam. Pitiscus 1696. denuo recensitos varieque ornatos dedit. Sed Jo. Arntzenius JCtus Amsterod. 1733. pluribus exemplis scriptis libelli de Viris Ill. (quem a Schotto temere Victori ascriptum judicat,) et Epitomes usus et cum locupletiori apparatu ex variorum notis integris collecto edidit. Cujus vestigia legit J. Fr. Grunerus, duobus codd. Guelf. in emendandis iisdem libellis adjutus 1757. quam recensionem reddidere Erlangenses 1787.

1681 Parisiis, 4. Sext. Aur. Victoris Historiæ Romanæ Compendium. Interpretatione et notis illustravit Anna Tanaquilli Fabri filia, in usum Delphini. Paris. apud Dionysium Thierry.

1696 Trajecti ad Rhen. 8. Sext. Aur. Victoris Historiæ Romanæ Breviarium, illustratum Andr. Schotti, Dominici Machanei, Jani Gruteri, et Annæ Tanaquilli Fabri filiæ commentariis integris, ut et Cæsarum et Augustorum, virorumque illustrium iconibus ex nummis veteribus expressis. Contextum recensuit, commentarios suis locis disposuit, et indices copiosissimos adjecit Samuel Pitiscus. Traj. ad Rhen. apud Franc. Halmam et Guilielm. vaande Water.—Huic ed. accessit

— ibid. 8. apud eosd. De Vita et Moribus Imperatorum Romanorum excerpta ex libris Sext. Aur. Victoris a Cæsare Aug. usque ad Theodosium Imperatorem, cum notis El. Vineti et Merici Casauboni. Recensuit Samuel Pitiscus.

1703 Coburgi, 8. Sext. Aur. Victoris libri de Romanæ Gentis Origine, de Viris Illustribus et Imperatoribus, et Sext. Rufi Breviarium Historiæ Romanæ. Edidit Christ. Junker.

1704 Lipsiæ et Francofurti, 8. Eadem ed. repetita.

1705 Londini, 12. Eutropius et Aur. Victor cum notis Tan. Fabri. Recusi ex ed. 1667.

1710 Parisiis, 16. Sext. Aur. Victoris Historiæ Rom. Breviarium. Ex biblioth. Andr. Schotti. Ap. Jo. Bapt. Brocas.

1721 Parisiis, 16. Sext. Aur. Victoris Historiæ Romanæ Breviarium. Ex bibl. Andr. Schotti. Apud Jo. Bapt. Brocas.

1723 Florentiæ, 8. quæ historiæ Romanæ epitome prodiit voll. II. exhibet vol. I. post Velleium et Florum etiam Victorem, et vol. II. Rufum Festum, Messalam, Eutropium cum Suetonio, Paullo Diac. Cassiodoro, Jornande, &c.

1733 Amstelodami et Trajecti Bat. 4. Sext. Aur. Victoris Historia Romana, cum notis integris Dominici Machanei, El. Vineti, Andr. Schotti, Jani Gruteri, necnon excerptis Frid. Sylburgii et Annæ Fabri filiæ. Curante Joanne Arntzenio JCto. Amstel. apud Janssonio-Wæsbergios, Traj. Bat. ap. Jac. a Poolsum.—Arntzenius usus est scriptis exemplis pluribus, quorum lectionibus ad emendandum textum est usus, quem tamen e Schotti editione expressit, sed ejectis ejus emendationibus. Nec contemnendæ sunt ejus notæ, quibus multis locis lucem accendit.

— Parisiis, 24. Aurelius Victor.

1734 Londini, 12. Eutropius et Sext. Aur. Victor de Viris Ill. ex ed. Fabri.

1743 Heidelbergæ, fol. In Bennonis Caspari Haurisii Scriptoribus Historiæ Romanæ Latinis Veteribus in unum corpus redactis T. II. Messala, Victor, Rufus, et Eutropius.

1757 Coburgi, 8. Sext. Aur. Victoris Historia Romana, ex recensione et cum animadversionibus criticis atque historicis Jo. Frid. Gruneri. Coburgi, ap. Ge. Otto.—Basis est ed. Amstelodamensis 1733. Jo. Arntzenii, a quo tamen nonnunquam dissentit. Usus est autem Grunerus, quod ad Epitomen, duobus codd. Guelferbytanis; in opusculo vero de Viris Ill. contulit edd. Argentoratenses 1510. et 1513. supra laudatas.

1761 Halæ, 12. Sext. Aur. Victoris libri de Romanæ Gentis Origine, Viris Illustribus, Imperatoribus, et Epitome. Quibus accessit Sexti Rufi Breviarium Historiæ Rom. Halæ, sumtibus Orphanotrophei.

1787 Erlangæ, 8. Sext. Aur. Victoris Historia Romana, ex recensione Jo. Frid. Gruneri. Accedunt animadversiones. Erlangæ, sumtu Palmi.

VERSIO GERMANICA.

1535 Strasburg, fol. Corn. Nepos (Aur. Victor) vom Ursprung des Rœmischen Reichs der VII. Kœnige, wie die regieret, und wie sie zulezt vertrieben sind worden, und das Bürgermeisterthum angefangen. Darnach folget das Leben und Thaten etlicher weltlicher und herrlicher Bürgermeister bis auf Cneum Pompeum M. Item C. Crispus Sallustius, &c. Alles von neuem verdeutscht, und lustig zu lesen.

EDITORES antiqui (Codices quosdam Mss. secuti) nominibus diversis, nempe Plinii, Suetonii, et Cornelii Nepotis, (ut jam in præcedentibus notatum est,) quod Aurelio Victori adjudicandum est, inscripserunt; et inde factum est, e. g.

De Viris Illustribus, sub Plinii Junioris nomine, Venet. 1477. 4to. et in Biblioth. Spencer. per Dibdin. vol. I. p. 272. inter Epistolas Plinii sine anno, ut postea inter Epistolas et Panegyricam orationem Plinii in Aldina editione, Venet. 1508. 8vo.

Paris. 1504. 4to. Liber continens tantum De Vita et Moribus Rom. Imperatorum, ex libris Aurelii Victoris.

Fani, 1504. 8vo. apud Hieronymum Soncinum: prima editio Aurelii Victoris, ut dicitur, quæ sæculo XVI. evulgata est. Alios, præter Aurelii Victoris, tractatus continet. Moss's Manual of Classical Bibliography, vol. I. p. 208.

Siene, 1506. 4to. Versio Italica libri De Viris Illustribus, sub nomine Plinii Novocomensis.

Liber Illustrium Virorum, sub nomine Suetonii Tranquilli, vel Cornelii Nepotis, ut in Epistola scripta per Sertorium Cremonensem, Taurini, 1508.—Idem Argent. ex ædibus Matthiæ Schurerii, 1512. 4to.

Liber Illustrium Virorum, Lugd. Bat. 1532. 8vo. Justini Historiæ adjungitur.

Liber Illustrium Virorum, Venet. 1548. 8vo. Italica versio; at vide Paitoni Biblioth. degli Autori vulgarizzati, tom. IV.

De Viris Illustribus, Basil. 1552. 8vo.

Aurelii Victoris Epitome de Romanis Imperatoribus, cum Eliæ Vineti castigationibus. Patav. 1563. 4to. Catal. Universorum Librorum, Lond. 1701. vol. I. p. 42. De editione cum castigationibus Vineti ex bibliotheca Andreæ Schotti vid. Bipont. Recens. sub an. 1579.

De Romanæ Gentis Origine, de Viris Illustribus, de Imperatoribus cum ejusdem Epitome, de Romanorum Vita et Moribus, Antverp. 1607. 8vo. et Paris. 1626. 8vo. Bibl. Bodl.

De Viris Illustribus, &c. cum notis Jani Gruteri in tom. II. Hist. Rom. Scriptt. Hanov. 1610. fol.

De Viris Illustribus, Anglice, 1693. 8vo.

Sexti Aurelii Victoris de Viris Illustribus Romæ Liber. Lond. 1705. 12mo.

Gallica versio est par M. Savin. Paris. 1780. 12mo.

Germanica prodiit versio, Curiæ Regrit. 1784. 8vo. Valde mediocris est versio, ait Harlesius. Rutter fertur esse auctor.

Historiæ Romanæ Scriptores Minores: Sexti Aurelii Victoris, &c. ad optimas edd. collati. Præmittitur Notitia Literaria, ut in præcedentibus editionibus, bene elaborata, et Index copiosus. Studiis Societatis Bipontinæ. Editio accurata. Bipont. 1789. 2 voll. 8vo.

Liber de Illustribus Viris, una cum Justini Historia. Excudebat in usum Scholæ Etonensis J. Pote. Lond. 1790. 8vo.

De Illustribus Viris, Wachleri. Lamgov. 1792. 8vo.

Sextus Aurelius Victor, ex recensione Joannis Arntzenii. Roterod. 1804. 12mo. Ejusdem nempe Arntzenii, cujus elaborata editio (anni 1733.) adeo commendatur.

Sexti Aurelii Victoris de Viris Illustribus Romæ et de Cæsaribus Historia. Zum Gebrauch für Schulen, &c. Von J. E. Friese. Alton. 1804. 8vo. Germanicam exhibet versionem, literatim nempe revertentem, quippe in usum juventutis, in elementis linguæ Latinæ acquirendis. Textus est Harlesii, et, ut ipse dicit, nitide et correcte exhibetur.

Victoris Historia Romana, ex recensione Jo. Frid. Gruneri. Cura Franc. Xav. Schoenberger. Vindob. 1806. 8vo. Gruneri textus ab Harlesio multum commendatur, et ipse eandem vulgavit notis, Erlangæ 1787.

Aurelii Victoris, &c. editio nova. Halæ, in libr. Orphan. 1808. 8vo.

Aurelii Victoris Historia Romana, ad optimorum librorum fidem edita, et animadversionibus criticis in loca quædam difficiliora instructa. Marburg. 1818. 8vo.—De Origine Gentis Romanæ, ibid. 1818. 8vo.—Epitome de Cæsaribus, ibid. 1818.

Aurelii Victoris Romanam Historiam edidit F. X. Schoenberger. Viennæ, 1820. 8vo.

Explicit Recensus Editionum Aurelii Victoris: quod ad alia, tam multis enarratis a Fabricio, Harlesio, Anna Fabri filia, et aliis, nihil novi manet hic loci a nobis observandum: at forsan lectori operæ pretium erit loca quædam in sequentibus consulere; nempe, Molleri Disputatio de Aurelio Victore, Altdorf. 1805. 8vo. Pope Blount p. 275. 276. Catal. Bibl. Bunav. vol. I. p. 397. et vol. II. p. 1675. Hamberger. P. II. p. 812.; Criticæ observationes in editionem Arntzenianam a Jo. Matth. Gesnero, in Actis Eruditorum, Jan. 1734. p. 1. Saxii Onomast. part. I. p. 410. Gibbon's Decline and Fall of the Roman Empire; cum multis aliis, qui de Romanis Imperatoribus et Historia tractaverunt.

RECENSUS CODICUM MSS.

SEXTI AURELII VICTORIS,

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

CODICES Mss. sub Aurelii Victoris nomine nullos invenimus in Bibliothecis Britannicis: est vero, ubi tam in Codicibus Mss. quam in antiquis editionibus, liber iste de Viris Illustribus inter codices Plinianos inveniendus est, quippe Plinio male olim tributus; ut, e. g. in Museo Britannico, in Biblioth. Harl. cod. 218. in Burneian. n. 231.

Apud *Oxonienses*, in Biblioth. Bodl. inter Laud. codices n. 780. in Coll. Balliol. 301. in Coll. Lincoln. 1296. in Biblioth. Corp. Christi n. 1551. ut in Catal. Mss. Angliæ et Hiberniæ.

Apud *Cantabrigienses* unus tantum codex ejusdem generis inveniendus est; ut in Dyeri Privilegiis Univers. Cantabrigiensis vol. II. p. 626. non vero in Catal. præcedente inveniendus.

Et similiter de aliis Aurelii Victoris operibus; adeo ut forsan operæ pretium futurum sit Lectori, quæ jam in suis locis diximus, sub nomine non tantum Plinii Junioris, sed Suetonii Tranquilli, Cornelii Taciti, Cornelii Nepotis, et Eutropii consulere.

INDEX

IN

AURELIUM VICTOREM.

INDEX

IN

SEXTUM AURELIUM VICTOREM.

O. Originem Gentis Romanæ, V. I. Viros Illustres, C. Cæsares, E. Epitomen de Cæsaribus: numerus prior Capita, posterior Sectionem denotat.

C.

D.

G.

H.

I.

K.

L.

O.

Q.

R.

T.

V.

X.

Z.

FINIS SEXTI AURELII VICTORIS.